ABELII
SAMMARTHANI
SCÆVOLÆ F.

OPERA QVÆ EXTANT, LATINA & Gallica, tam ea quæ proſâ, quàm quæ verſibus conſcripta ſunt.

NAPOLI

LVTETIÆ PARIS.
Apud IACOBVM VILLERY, in Palatio Regio.

M. DC. XXXII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

AD
ABEL. SAMMARTHANVM
SCÆV. F. SANCTIORIS CONSILII ASSESSOREM ET BIBLIOTHECARIVM Regium.

ERGO *fori turbas inter mediosque tumultus,*
Ingenij nobis das monumenta tui.
Felix ô nimium, gemino cui numine, Abeli,
Mercurij & Phœbij viuida corda calent.

N. CHEVALIER supremæ vectigalium Curiæ primarius Præses.

ABELIO SAMMARTHANO SVO.

SAMMARTHANE, *graui dum pectine carmina condis,*
Quàm Patris ingenium, quàm Geniumque refers?

C. MÆNARDVS Senator Parisiensis.

AD
EVNDEM PRO SVI SENATVS, LEGISQ; SALICÆ DONO.

SAMMARTHANE, *tuum lego, dumque reuoluo Senatum,*
Dúmque Senum per te scribitur Ordo Patrum,
Et Salicæ Legis dum sacra recondita pandis,
Galli tutamen Regis & Imperij,
Regalis fundamentum, columenq. Coronæ,
Quo Regum series excita longa fuit,
Qui dena adiectis superarunt sæcula senis,
Rexere & forti mascula Sceptra manu,
Subiecere suo qui Lunæ ancilia Marti,
Quíque ausi Gallis iungere Idumen aquis.
Occiduos inter radios qui Solis & ortus
Iura dedere salo, iura dedere solo.
Qui metas Orbis Regni fecere, suósque
Fines binum inter qui posuere Polum.
Restabat Cælum, Cæli fastigia quærunt,
Tentarunt ipsum munere, thure Iouem.
Qui Cælos ipsos dextrâ rapuere potenti,
Emeruntque datis astra, polumque opibus.
Ingenij, Genijque tui demiror acumen,
Quodque vocas nugas, seria iure voco.
Siue igitur nugas, seu malis seria dici,
Nugari hoc cuperem sæpe licere tibi.
Ista licet tardè, tamen amplè redditur à me
Gratia, maiori tu quoque digne manu.

IO. OLIVARIVS DV SAVLT, in Senatu Burdigalensi Regij publicíque Iuris vindex.

IN
PANEGYRICVM ABELII SAMMARTHANI.

HOC *imperfectæ Panegyricus hic habet artis,*
Operique cedentis, (licet
Egregio & puræ contextu diuite linguæ,
Rerumque partu effloreat)
Perfectè vt nunquam LVDOVICI *Principis acta*
Stupenda possit assequi.
Præstitit hoc quondam Trajano Plinius, illud
Et Gratiano Ausonius;
Nec mirùm, vt claris humano limite, sed Rex
Diuina noster perficit.
Hinc SAMMARTHANVS *reliquos qui laudibus æquat,*
In Principe suo deficit.

NIC. RICHELET Paris.

IN ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ F. Poëmata.

PVTABAM *nihil elegantiarum*
Venturis superesse posse chartis;
Quando SCÆVOLA *sanctiore libro,*
Musas, quæ fuerant sacratiores,
Parnasso prius in secretiore,
Omnes omnibus vnus exhibebat.
Sed tu consimilis tuo parenti
ABELLI, *lepidos & elegantes*
Tot versus habet hic tuus libellus,
Imò tot veneresque gratiásque,

Vt putem quoque nil ita expolitum
Venturis supereſſe poſſe ſaclis.
Et verò pariter referre tantum
Quis poſſit, niſi filius, parentem?

NIC. RIGALTIVS Pariſ.

THEMIDI VOTVM PRO FILIO ABELIO.

DVLCIBVS *Aonidum nobis eductus in antris,*
Molliáque aſſuetus plectra mouere puer,
Nunc cytharam abijciens, veterumque oblitus amorum,
Se tibi, magna Themi, tempus in omne dicat.
Tu Dea, ſi niueos huic dant ſua ſemina mores,
Ingeniumque aptum qualibet arte coli;
Da ſtudij faciles curſus, templiſque ſacerdos
Pura tuis olim fac tibi ſacra canat.

SCÆVOLA SAMMARTHANVS.

PANEGYRICVS PRIMVS, LVDOVICO IVSTO REGI CHRISTIANISS.

ILLVSTRIS fuit ille dies, totíque Galliæ salutaris, quo primùm veluti Cœli iubar aureum nitenti lumine refulgens, LVDOVICE IVSTE Rex Christianissimè in spem certam illustrissimæ totius terrarum Orbis familiæ, in regni potentissimi singulare subsidium, & in æternam nobilissimi nominis memoriam fœliciter illuxisti. Benigniori tamen syderum conspiratione voluit huius Imperij propitius ac tutelaris Genius, viridi sub flore ætatis motus varios, pacis & quietis inter gaudia, suboriri, quò tam pręcipua virtus & ingentis animi magnitudo variis agitata casuum procellis non vtique frangeretur, sed crescentibus annis altiùs insurgeret. Quem enim læta sors in rebus secundis prudentem & moderatum, quem rara virtus in aduersis fortem & magnanimum reddidit, is demum beatæ vitæ cumulum attigisse merito iure censetur. Natus es faustis auspicijs ineunte nouo sæculo, & ab indole tenera & efflorescente, velut ab amica veris noui temperie, totius vitæ vberrimum expectauit Gallia prouentum, & luculentissimum futuræ frugis incrementum. Te nato ad Fontem Bellaquam in aula basilica supra cæteras longè magnificentissima, nonnulli Astrologiæ peritissimi, propter incredibilem & planè prosperum astrorum concursum, de te inuicto Principe fœlicia & diuturnis omnium Gallorum votis exoptanda multa prænunciarunt. HENRICVS MA-

gnvs & Maria Medicæa potentiſſimi Principes aureo illi & admirando partui parentes fuêre: & luſtrico die, quo ritè ſacro fonte ſuſceptus es, D. Lvdovici Magni ataui nomen fuit impoſitum ab Illuſtriſſimo Cardinale Ioeuſa, Pavlo V. Pontifici Maximo Vicariam hîc præbente operam. Ita neque naſci nobilius, nec ſanctiùs luſtrari, nec digniùs appellari potuiſti. Hinc quæcunque fauſta præclaráque Dei beneficio & humanæ ſortis amica conditione animi fortunæque bona contingere poſſunt, omnia tanto Principi diuinitus euenere. Vetuſtiſſima & antiquiſſima Heroum ſtirpe progenitus es, quæ abhinc annis plus mille ita viguit, vt omnes Orbis vniuerſi Regias & illuſtres quaſque familias nuſquam interrupta maſcula ſucceſſione longiſſimè ſuperauerit, cùm tot támque inſignes ab eo tempore vel perierint funditus, vel certè ab amplitudine & authoritate penitus deciderint. Tulit te fœcundiſſima & præter alias exculitiſſima terra Gallia, quæ hinc Pyrenæis montibus, illinc Alpium iugis, partim Rheno, partim Oceano, velut alter Orbis, naturæ beneficio cingitur, firmiſſimóque propugnaculo præmunitur. Florentiſſimum totius Europæ Diadema inuiolabili fatorum lege & natiuitatis iure tibi deſtinatum ſeruatúmque eſt. In vultu longè pulcherrimo diuinam quandam effigiem Imperio dignam præfers, purpureo iuuentæ flore conſpicuus, & ſpecie præcellenti, quæ vi tacita & mirabili ſolet animis hominum impotentiùs dominari. Corpus tibi adeò vegetis membris & forti compage firmum eſt, vt nec æſtu, nec frigore, nec inedia, nec vigiliis frangi vel debilitari poſſit. Quietis & deſidiæ impatiens, ne corpore vel animo torpeſcas, præclaris operibus & laboribus aſſiduis firmatis, otiáque fallere conſueuiſti. Atque adeò equitandi peritia & armorum tractandorum exercitatio, venationíſque & aucupij ſtudium indefeſſum tibi maiorem in modum ſemper placuit, & in delitiis hactenus fuit. Cúmque primùm eam ætatem attigiſti, quæ labori ferendo par eſſe videretur, nullæ ſunt artes Imperatore dignæ, nulla belli munia, quæ non auidè arripueris, amplexúſque fueris: vnde non dubium quidem, ſed Numine cœleſti deſtinatum victoriæ fructum vbique ſemper decerpſeris. Hæc corporis & naturæ bona, tot inſignes excelſi animi dotes orna-

uêre, vt nulli vnquam Cœli benignioris indulgentia pleniùs fauisse visa sit. Ac primùm quidem teneris ab annis ingens tibi semper adfuit spiritus, elementáque virtutis & gloriæ ita impigrè hausisti, studio & industria præstantissimorum virorum, qui succrescentem ætatem perita manu rexerunt, vt animum singulis virtutibus heroïco pectore dignis mirum in modum excolueris. Agnouerunt illi memoriam incredibilem, ingenium ardens, ad sublimia quæque factum formatúmque: & nihil non excelsum veréque regium in tam fœlici naturæ melioris opere præsenserunt. Iam verò cùm ætate aliquanto prouectior factus es, mira statim in te prudentia, virtus & grauitas enituit, & supra communem hominum fidem solertia, iudicium atque animi præcipuum quoddam robur: nec sanè præter expectationem: nam totius ferè vitæ cursus à puerili pendet educatione, quâ non dubiè fit, vt in ea ætate bene agendi consuetudo sensim in naturam coalescat, ipsáque adeò virtus venientibus annis adolescat & augeatur. At vbi sæua immitiáque fata patrem HENRICVM verè Magnum non solùm patriæ, sed & totius terrarum Orbis parentem execrabili parricidio nobis inuiderunt, compressis vix demum fidelibus lachrymis, inter populi acclamationes Rex salutatus, cœlestíque oleo non ita multò pòst, ingenti applaudente populi corona, Rhemis perunctus es & inauguratus: Cui quidem solemni sacro interfuêre Regij Sanguinis Principes, regníque proceres. Indè Matris, excellentissimæ prudentissimæque Heroïnæ, & optimatum regni tui præcipuorum saluberrimis consiliis feliciter omnia temperauisti, Iuliacensia dissidia quęsitus arbiter extinxisti; motus exorientes in regno cōsopiuisti, comitiáque publica omnium Imperij Ordinum, qui rebus miseris & calamitosis prouiderent, suadente generosissimo Principe Condæo, indixisti, benignè excepisti, & expleuisti. Ac postmodum tete more antiquo assidentibus iisdem Principibus regníque proceribus Maiorem x[illegible] annis in supremo Senatu Edicto solēni declarauisti, eodémque momēto diplomata Sanctimoniæ, Pietatis & Iustitiæ titulis insignia promulgari iussisti. Quod fuit tibi inter initia principatûs gloriosum & omni prædicatione longè latéque celebrandum. His peractis illustrissimam Principem ANNAM AVSTRIA-

CAM Regij diadematis & thalami cõsortem tibi fecisti, è quorum auspicatissimo coniugio speramus fore vt proles nascatur, quæ Orbem vniuersum olim sit moderatura. Sororem denique charissimam Hispaniarum Principi Catholico in vxorem dedisti. Sed iterum nouis bellorum incendiis æstuante Gallia, dum Imperij gubernacula tractas LVDOVICE IVSTE Rex potentissime, quàm admirabile Virtutis, Iustitiæ, & Pietatis vbique specimen edidisti? præcipuè quum Rothomagi procerum spectabilium & omnium Ordinum conuentus edixisti, qui de rebus Imperij prudenter agerent & illis fœliciùs prouiderent, eorum animos præsentia Regis optimi ad Reipub. salutem procurandam enixè promouente. Interea variis in Imperio perturbationibus iterum sedatis & extinctis, motus etiam inter Ferdinandum Bohemiæ Regem & Venetorum Rempub. intérque Hispaniæ Regem & Sabaudiæ Ducem, velut vnus inter Christianos Principes Arbiter æquissimus composuisti, sororémque alteram serenissimo Principi Pedemontano vxorem adiunxisti. Nec tamen te externa negotia ita detinuêre, quin rebus Gallicis prudenter vnâ prospiceres. Nam primùm veteres Principum exterorum & Rerumpublicarum affinitates & fœdera diligentissimè renouauisti. Edicta, subditis à prisca maiorum nostrorum religione diffidentibus concessa, obseruari iussisti, procerésque præcipuos vel Ecclesiarum præsules, vel Regni administros, vel iustitiæ, vel armis, vel regiæ gazæ, vel denique legationibus præfectos ita elegisti, vt te virorum præcellẽtium perbueris diligentissimum & sagacissimum æstimatorem. Rixas & contentiones, inter præstantes viros, illustrésque familias admirabili prudentia composuisti, FRATREMque vnicum egregiis corporis & animi dotibus indoléque præcellenti florentem, necnon Regiæ stirpis proceres fauore multo, beneuolentia & honore prosecutus es. Quod autem in Principe rarum est, infœlici hoc præsertim æuo, literas ita coluisti, vt eruditione præstantes viros lubentissimè videres, insignique liberalitate super omnes ætatis tuæ Principes admirandus foueres. Nec verò laudem ex publicis operibus eripi tibi passus es Rex optime: varia nempe Templa magnificentiæque studio præclara Cœlo eduxisti, Pontes nouos, & stupendos Aquæ

ductus maximo omnibus vsui futuros extruxisti. Oceanum quoque mari Mediterraneo iungere decreueras, nisi tumultus exciti tam laudabile propositum intercepissent. Sic olim Ægyptij Reges Orientis maria Occidentalibus, Iulius Cæsar Ionium Ægæo, Carolus Magnus Rhenum Danubio, & Franciscus primus Aquitanicum æquori Narbonensi commiscêre statuerant, nisi variis bellis vel difficultate suborta præpediti opera illa planè regia intermisissent, quorum vtinam tibi, LVDOVICE, solidam gloriam fata reseruarint. Plurima denique ædificia, quæ ciuium vtilitatem, decus vrbium & regni limitum securitatem quàm maximè spectant, ingenti sumptu extruxisti. Atque adeò tot tàmque insignibus & egregiis monimentis æternam nominis tui memoriam posteris consecrauisti. Sed quæ Pietatem, Iustitiam & mores spectāt, quàm longo interuallo ea, quæ diximus, anteuertunt? Deum summa religione & cultu veneratus, nullum rerum agendarum initium sumis nisi numine cœlesti priùs inuocato. Iustitiam supra mortales omnes præcipuè colis, nec insontes iudiciorum acerbitate damnari, nec legum mollitie nocentes absolui, vnquam passus es. Leges de singulari certamine renouauisti; quíque eas, gladiatorio illo & ferino more, quem nostro æuo grassantem optimus quisque indoluit, perfregerint, sine vllo sanguinis, sortis aut cōditionis respectu, pœnis acerrimis submisisti: vnde & timor sic ad omnes peruenit, vt iam nullus fermè insano studio in tantam barbariem incurrat. Legem quoque de sumptibus vestiariis restituisti, cui te primū astrinxisti: & vigeret adhuc pleno robore institutum longè vtilissimum, nisi bellorum iniuria vulnus aliquod huic legi fecisset haud multo tempore sanandum. Criminibus insidiosè perpetratis, & sceleribus immanitate sua non ferendis diplomata criminúmque abolitiones, omni spe adempta gratiæ, constanter denegauisti: Corruptos bellorū illuuie & deprauatos populi tui mores ad moderationem, pacémque & ad sanctiorem disciplinam reuocauisti. Neminem ne offensus quidem vlla vel vltionis acerbitate, vel acrioris animaduersionis seueritate insectatus es. In administratione Regni & in reddendo iure tantę humanitatis & iustitiæ moderamen tenuisti, vt apud omnes Ordines omnésque prouincias singulari semper ęquissimi

Principis gloriaflorueris. Nil humile, nil remiſſum ſpirat excelſus veréque Regius animus: nil tibi vnquam inauſpicatò excidit: quódque mirum eſt in hac ætate, ſecreti tenaciſſimus, in conſiliis capiendis prudentiſſimus, & in eorum executione fœliciſſimus celebraris. Interea incredibili magnificentiæ liberalitatíſque laude nulli non arrides, ipſáque comitate, quæ ad promerendam hominum gratiam mirùm quantùm valere agnoſcitur. Nemo denique Principum à longis vſque temporibus repetita memoria Pietate, Iuſtitia, Fortitudine, & Imperij magnitudine auguſtior potentiórve extitit. Quippe qui nil quicquam cogitas habésve antiquius, quàm de Religione, vt & de Republica bene ſemper & ſtudiosè mereri. Hinc à ſummo Pontifice impetrauiſti diem D. LVDOVICO ſacrum, in poſterum per Gallias feſtis Eccleſiæ Romanæ cæremoniis paſſim celebrari: ita fœlicem Sãcti Principis memoriam animo aſſiduè reuocauiſti. At verò dum neſcio quis rumor & incerta ſuſpicio nonnullos Regni proceres à te ſecedere feſtinanter egiſſet, omnéſque fermè iam timor inuaſiſſet, ne grauior tumultus totum Imperium labefactaret, non aliud communis ſalutis iter expeditius, quàm in celeritate ſtatuiſti, inueniſtíque opportunũ rei gerendæ & tanti conficiendi negotij momentum. Nam in dubio diſcrimine promptiſſima quæque conſilia præualent, cùm è diuerſo morâ & cunctatione victoria plerunq; euaneſcat. Itaque ſumma diligentias ſumóque iudicio atque conſilio exercitum contrahis, procerúmque ac militum, qui continuò in caſtra confluxere fidelibus armis præcipuáque opera vſus, Regináque coniuge auguſtiſſima Lutetiæ relicta, cui aſſideret N. Brulartus illuſtiſſimus Franciæ & Nauarræ Cancellarius & ſacri Conſiſtorij pars magna, vt in vrbe principe, perſpicaci vigilantia rebus intenderent, copias armari iubes, & hoſtibus fulgure ipſo propè velocior occurris, tótque tumultus intrepido & ſagaci animo præuertis, Normaniámque totam & cæteras prouincias, quò arma detuliſti, in ditionem recepiſti. Ea demum vtilitatis & prudentiæ plena fuere conſilia, quæ dubiis rebus ſecuritatem peperêre tam ſubitam atque inexpectatam. Quoties à tuis te proripuiſti, & in ipſis vallis ſclopetorum grandinem ab hoſtilibus muris ingruentem

imperterritus neglexisti, dum cæteri de Principis incolumitate sollicitì ad genua illius procumberent; dulce quidem tibi periculum, sed nobis metuendum vt declinare velles enixè obsecrantes? Quoties noctu è stratis te corripuisti, vt exercitui, ne ab hostibus interciperetur, summa cura & diligentia prospiceres, prouideréśque? Quoties breui somno contentus per septemdecim horarum spatium indefesso labore equitauisti? Denique tāta humanitate, tam tenaci memoria pollebas, vt equitum militúmque ferè omnium nomina nosses, eósque singulos blandè acciperes atque alloquereris, ægros & indigos peramanter subleuares, benemeritos præmiis & honoribus ornares. Tu quoque castrensis disciplinæ munia militari fronte Martióque vultu & armorum splendore conspicuus, obibas, tuorum ordines obequitabas, bellicæque virtutis egregium decus cœlesti fulgore micantibus oculis emittebas. Sors amica Regi audenti non defuit, & cœptis arridens, vltrò ad victoriam te vocauit; quam qui olim neglexerunt, inutili mora cunctantes, aliquando frustra fortunam incusauere. Cæterùm vrbes omnium populorum consensu tibi deuotissimas, nullis factionibus laborantes, & summa contentione ad officia certantes inuenisti. Matrémque charissimam perquā amanter & honorificè excepisti, ne vlla in re iusti pietatem officij prætermitteres. Cúmque nihil esset infortunij, nil ærumnarum, quod rebus aduersis boni non metuerent, improbi non impotenti cupiditate expeterent, tanta dexteritate in comprimendis tumultibus, tantáque fœlicitate vsus es, vt palmæ gloriam retuleris ex eo bello, cuius vix spectatorem fuisse ætas tua pateretur. Augusto Cæsari & Carolo V. nostro bella eorum auspicijs confecta renuntiabantur: sed tuo præpotenti numini & præsentibus armis omnia cessere. Porrò tantam Clementiæ virtutis & Iustitiæ opinionem animis hominum iniecisti, vt plures lenitate tua in officij viam incolumes reuocaueris, quàm armorum violentia oppressos eras in potestatem redacturus; maluerìntque illi conditionis æquas leges, quàm acerbam imminentis excidij sortem experiri. Sic innocentiæ, immò virtuti tuæ fortuna ipsa non defuit, dum tumultum illum nascentem, bellíque omnes reliquias paucos intra dies penitus extinxisti. Denique

offensionum pro salute publica contemptor admirabilis, promulgato subinde salubri Amnestiæ rescripto fecisti G. Vairij sacri sigilli custodis illustrissimi generoso & laudabili consilio, quod ad seueritatem lenius, quod ad Regni decus & salutem vtilius foret, atque ita te gessisti, vt nemo te victum eo victore doluerit, crediderítve. Nec omittenda est illa solemnis Caroli inclyti Ducis Engolismensis, & summorum virorum ad Germaniæ Principes Legatio, tranquillitatem Orbi Christiano, nisi fata obstent, breui maxima cum dignitate Gallici nominis allatura. Hinc tanti Imperij maiestatem & Regis inuicti fortitudinem tot populi fœliciter experti statuēt, posteris æternum LVDOVICE famæ tuæ nusquam interituræ monumentum. Nil tamen quicquam gloriosius aut illustrius vnquam aggressus es, quàm dum triumphali lauro atque armis victricibus insignis admirabili velocitate Benearnum ingressus, rem ab HENRICO Magno dum in gremium Romanæ Ecclesiæ reciperetur, summo Pontifici solemni fide promissam, & à Rege potentissimo hactenus tentatam, auspicatò potētérque confecisti, & Religionis antiquæ cultum in ea prouincia instaurauisti; prudentes piósque viros, qui populū Catholica fide instituerēt, legisti; sacerdotiorum reditus & prædia in priuatos vsus auersa sacrorū ministris reddidisti; quódque vniuscuiusque intererat mirifica liberalitate subleuauisti, prouidente fortissimo Comite H. Schombergio supremo sacri ærarij præposito. Fuit denique totum tuum illud fortunatum iter tuū, memorabilis & perpetuus splendoris victoriæque cursus. Enimverò ad Galliæ salutem & ad sacrosanctæ Maiestatis gloriam pertinere arbitratus es, negotium tanti momenti diu versatum, posteàque decretum, summo fidei Christianæ bono & fœlici propagatione compleri. Mihi certè tot veterum & recentium Heroum insignia gesta libentiùs animo repetenti, nil quicquam pro dignitate Ecclesiæ, pro tanti maiestate Imperij adeò piè fortitérque gestum multis ab hinc sæculis occurrit. Atenim miraculi speciem non minimam habet, quòd gentes illæ ad tuum felicissimum aduentum, quò sibi liceret coram intueri, tanquam è latibulis & mōtium specubus erupêre. Tu verò tot populis diu multúmque suorum vultu Regum carentibus mortali specie formosior & in

in ipso ætatis ineunte vere splendidior apparuisti. Qualis Hyperboreis gentibus longo spatio luce continua destitutis, nitidior & fulgidior verno primum æquinoctio fœliciter Sol ipse tandem è densa caligine solet exoriri. Præterea fama inualuit eos, qui falsò mortis iniecto periculo in proximos Pyrenæi montes confugerant, assuetæ clementiæ & mansuetudinis fama regionem peruagante, è latebris prodiisse, Principémque suum auidè venerari & suspicere cœpisse; vnde tot simul repentini motus & militares animi conquieuerunt, & ad colenda pacis studia sese volentes contulerunt. Nempe Religio Principi maximo ingenita eum populis augustiorem & magis venerandum præbuit. Eius ergo intuitu sanctæ Ecclesiæ Romanæ cæremonias & ritus in regione Benearnensi instituisti, supplicationes publicas pro tam singulari beneficio, & in quibus sacrosanctum Domini corpus deferri placuit, sapienter indixisti, & iis religiosè interfuisti, Templa denique solemnibus sacrificijs & purificationibus lustrari iussisti: visisque tam piis sacrorum cæremoniis innumeri fidem Catholicam amplexi sunt, & velut in admirationem rapti Deum & ritè & more maiorum tandem aliquando coluerunt. Denique Nauarræum Regnum & Principatum Benearnensem Coronæ tuæ omnium Ordinum vnanimi consensu asseruisti; sicque ingenti votorum publicorum gratulatione prosperi rerum euentus sapientibus tuis consilijs, Regiæque maiestatis auspiciis respondêre, & quocunque iter fecisti populos omnes, & nationes omnes amore tui & admiratione & veneratione compleuisti. Fœlix expeditio non ad fastum & ambitionem, sed ad veram Dei gloriam & fidei Christianæ dignius incrementum suscepta! fœlix cogitatio pro sanctæ Sedis auctoritate & pro Maiestate Imperij perfecta! fœlix denique susceptio, quæ Regi Maximo decus immortale, subditis salutem, Principibus & Imperij administris perpetuam prudentiæ laudem sit allatura! Salue ergo flos Regum, populi tui spes optima, decus Orbis, & fidei Christianæ præsidium, qui patrem HENRICVM MAGNVM non solùm numeris omnibus absolutè refers, sed augustiùs exuperas virtute & fortuna tibi iam inferiorem. Nempe tuus ille Parens armis Imperium auitum & sibi quouis iure debitum quæsiuit. Tu quæsitum non solùm armis tu-

tatus es, ſed & illud ab imminenti diſſipatione vindicaſti, coitionéſque & clandeſtina fœdera fregiſti ac diſſoluiſti. Ille aduerſus Hiſpanos, Belgas, & Allobrogas in ipſa Gallia, varia bella geſſit. Exteris illis tantæ formidini fuiſti, vt etiam patre extincto affinitatem tuam te puero & adoleſcente ambierint & expetierint. Pater tuus extra Regnum arma proferre haud quaquam potuit. Tu verò arma tua in exteras nationes protuliſti, Italiæ, Sabaudiæ, Germaniæque leges indixiſti, & pacis conditiones, quas iuſtas & legitimas eſſe iudicares, ſubire coëgiſti. HENRICVS Magnus negotium illud Benearnenſe implicitum & difficile nuſquam eſt aggreſſus. Tu è contra laborioſum licet & arduum prudenter adortus es, fœliciúſque confeciſti. Pater tuus execrandam de ſingulari certamine opinionem & pertinaciam legibus coercere, quidquid adniteretur, nuſquam potuit. Tu eam illo fræno compeſcuiſti, vt Edicta tua ſuper hac lege promulgata firma huc vſque permanſerint, nec ea quiſquam violare ſit vſquam auſus, niſi qui famæ, capitíſque certiſſimum diſcrimen incorrupto ſanctiſſimi Senatûs iudicio, incurrere non dubitaret. Ille vix milites, adeò erant iniqua tempora, continere legitima diſciplina potuit. In tuis verò caſtris nullus infeſtus militum inſultus, nullæ rapinæ, ſtupra nulla, incendia nulla; omnes denique mediis in armis placidiſſima frui pace conſpiciuntur. HENRICVS Magnus poſt tumultus Henoticæ factionis compoſitos etiam hoſtibus non ingratas pacis conditiones conceſſit. Tu contrà hoſtibus leges & conditiones ad libitum indixiſti, Regiæ Majeſtatis aſſertor & vindex acerrimus. Pater vnicum ciuile bellum compoſuit. Tu varios ſeditionum fluctus & inſanas bellorum ciuilium procellas ſæpius inuſitata virtute ſedaſti. Ille ſanguine multo & longo annorum ſpatio ſuos hoſtes atterere coactus eſt. Tu celeri victoria vſus, pauco ſanguine & mediocribus ruinis palmam inſignem ex hoſtibus reportaſti. Pater glorioſa quidem & admiranda opera incœpit. Tu inchoata quidem abſoluiſti; ſed & alia pleraque immortalitate ac cedro digna occepiſti, direxiſti, perfeciſti. Denique Parens ille tuus poſt fata MAGNI titulum eſt aſſecutus. Tu & ſuperſtes & etiamnum adoleſcens, publico omnium ore & conſenſu auguſtum illud & diuinum IVSTI cognomen in-

comparabili gloria fœliciter es promeritus & adeptus: cúmque Iustitia certam è Cœlo ducens originem, omnium virtutum concursu sit nobilis, nec eas tantùm in se contineat, sed etiam longè superet & imperio quodam soleat dirigere: sic tot egregijs incorruptæ Iustitiæ speciminibus tam sæpe exhibitis, paternas virtutes non solùm tuo sinu complecteris, verùm etiam longo interuallo superas. Quidnam ergo spei de te, iam nobis affulgere non debeat, Rex Christianiss. qui patrem ea ætate superaueris omnibus ęui pręteriti sęculique sui Principibus longè superiorem? Fœlici certè augurio præmissa futuris dant exempla fidem. Erit, erit adspirante Numine, cùm B. LVDOVICI memor bellum sacrum aduersus Turcam incredibili pietate renouabis, victóque Mahomete & Caucaseos intra saltus, Riphæósque montes pulso fugatóque, religionem Christianam sacrorúmque auctoritatem delubris ritè expiatis, religiosè instaurabis, secundiore quidem euentu, dum te redeuntem & victoriæ compotem Europa salutabit, & tua Gallia tibi trophæa mille constituet, palmásque præferet immortales. En pro tua incolumitate solliciti vota suscipiunt omnes populi, vitámque & Maiestatem tuam Deo Optimo Maximo commendant, & meritissimo quidem iure. Quis enim vel magnitudine animi, vel personæ dignitate, vel authoritate nominis, vel virtute, vel fortunâ maior aut illustrior vnquam extitit? Quęnam Regia digniori Principum & Heroum conuentu frequentior aut ornatior vnquam fuit? Quotus quisque numeratur, qui in ea ætate tot partis felici marte triumphis maiora vnquam cultissimis ingeniis celebrandi argumenta suppeditarit? Licèt verò Lutetiam reuersus triumphos & ouationes recusaris, ostentationis minimè appetens, omnes tamen te reduce & incolumi exultant, mirásque inter se gratulationes faciunt, mutuóque & publico consensu meliora & lætiora sibi tempora non dubiè expectant: Dum præcipuè celebrem insigni Procerum comitatu rerúmque pondere in magnam Britanniam legationem, adornas & meditaris; & vbique inuigilans, Picardiam maximi momenti prouinciam, Lutetiæque proximam, parta securitate firmas, vicina lugubri armorum strepitu feruente Germania: Dum denique maris turbulenti varios accessus & insultus Ic-

cio portui ruptis aggeribus infeſtos, comprimis, neceſſariíſque molibus iuſſu tuo extructis & oppoſitis, vrbis aditus præcludis, & æquoris impotentiſſimi clauſtra validiori frænas munimento. Te ergo præpotens Deus interea diutiſſimè ſeruet ſoſpitétque, paternæ virtutis HENRICI MAGNI & auitæ D. LVDOVICI pietatis æmulum, & IVSTITIA præ cæteris omnibus inſignem, vt longùm inuictiſſimi, ſanctiſſimi iuſtiſſimíque Regis munia poſſis obire. Nam dum propitius Orbi refulges, ſcelera continuò faceſſunt, proſperóque ſucceſſu Eccleſiæ pacem, Imperio ſalutem, & populo quietem fata pollicentur. Sic dum Iouis benigni ſalutiferum ſydus refulget, dira & minitantia Cœli ſigna procul euaneſcunt, potentíque aſpectu Cœlo ſerenitatem, terris abundantiam, & mari tranquillitatem fœliciter inducit.

PANEGYRICVS SECVNDVS, LVDOVICO IVSTO REGI CHRISTIANISS.

NOBILIOR luculentæ materiæ mihi surgit ordo & rerum copia fœcundior, tótque generosi & penè diuini spiritûs edita tam breui tempore specimina, Terras immortalibus virtutũ monimentis, Cœlum ingenti lætitia, téque, LVDOVICE IVSTE, immenso ac prorsus incredibili laudum præconio feliciter implent: Etenim quæ nuper euenêre humanas vires & consilia superant, nec dubiæ vllo modo sorti atque incertis casuum momentis, sed potiùs arbitrio Numinis, tuæque Virtuti accepta referenda sunt. Scilicet ab vtroque turbulentos fluctuum assultus comprimere, furores & motus ciuiles in variis prouinciis tanquam flatus ventorum importunos compescere, perduelles atterere, contumaces plerasque vrbes edomare, tandémque veniam & pacem petentibus condonare tibi quàm felicissimè contigit: Morbos etiam lethales & ex aëris intemperie ac iniuria cœli contagiosos, necnon ex putridis aquarum, ægrorum atque cadauerum expirationibus vndiquaque subortos effugere, varia denique discrimina declinare tibi saluo sospitíque ac reduci non sine miraculi specie, benigna fatorum indulgentia concessum est. Et merito iure; nam Deum maiestatis tuæ vindicem, Virtutem innocentiæ præsidem, Fortunámque Imperij comitem semper habuisti; téque Deus IVSTVM ab æthere supero in terras demisit, Virtus magnanimum extulit, Fortuna verò

gloriæ nusquam interituræ compotem fecit. Nempe annis superioribus torrentis instar per Galliam exundantis Benearnum & Aquitania tota breui spatio non solùm te victorem vidit, sed ab ipso Sequana Pyrenæos vsque montes ac Tarraconensis Hispaniæ limites cuncta rapidissimi fluminis more prosternentem, & intra spatium sex mensium octoginta vel vrbes vel arces validissimas cum viginti fermè prouinciis asserentem Imperio tuo firmiorique nexu adiungentem conspexit: Et Solis instar annuo circuitu totum Orbem conficientis cunctáque suo lumine lustrantis, te Lutetia tuum orbem Gallicum exacto nuper hoc annuo cursu circumobeuntem & amico vultu omnia fouentem ac certissimæ Paci restituentem vidit: & redeuntem excepit, ea militari fronte, ea oris dignitate, planéque heroïca maiestate, atque his viuacibus vegetísque oculis, vt in ipso iuuenilis ætatis flore ob recentem bellicæ virtutis & rerum gestarum insignem gloriam, constantis, inuicti & magnanimi Principis habitum & generosam speciem, animíque vim infractam ac ingenij vigorem admirandum præferres. Denique ter intra triennium Gallia triplex victorem te vidit trophæa trophæis cumulantem & victorias victoriis excipientem, dum palmam victricem & paciferam oliuam plena manu decerpis, non ex spoliis vulgaribus, sed ex vrbibus captis, regionibus subactis, populísque innumeris, pace vbique concessa, in ditionem tuam vno momento receptis. Auspicium nobis erit illa tui beata Imperij constitutio, qua Gallia salutari & optabili tranquillitatis otio vigere ac florere cœperat, quum repentè nonnulli ex subditis tuis neotericæ opinionis aduersum Regni leges & iussa tua inscio te, & inconsulto Rupellæ temerè conuenticulum habent, cæteris in officio & obsequio permanentibus. Tum verò Majestatem tuam tali ausu imminui, eámque coïtionem fieri sub inani vel potiùs iniquo & iniusto querelæ prætextu iudicas, discessionem iterum atque iterum imper , cui quidem parere illi negligunt, frustra etiam monente Bona Diguierio Duce & Patritio Franciæ heroe fortissimo. Inuitus ergo, at rerum ita iubente necessitate adductus, Edictum ad Curiam mittis, quo perduelles & Majestatis læsæ rei denunciantur, nisi ab incepto destiterint: qui autem in cultu

fidéque permanserint, vt sunt plurimi, à te sub libera Edictorum securitate proteguntur; ínque tuam fidem recipiuntur. Verùm enimvero istis nec certissima tutissimáque persuaderi possunt. Habet siquidem hoc iniqui & sibimet noxij pertinacia, vt neque quid debeat cogitet, neque quid faciat consideret, neque tandem quid eueniat, præsentire possit. His peractis Fontem-Belliaquam tendis, nil minùs quàm de bello cogitans, nisi lacessitus & imminutæ Majestatis contumelia excitus: spes obedientiæ quædam effulget; tali spe adductus copias nouas contrahere, veteribúsque supplementa mandare distulisti: Sed quàm exiguo momento res humanæ voluuntur! quàm è paruis initiis ingentia sunt orta bella! Tu, quæcunque iusta peterent, obtulisti, modò discederent: obstinatis insistunt animis: legem tibi dicere vult non vniuersus populus tuus, sed cœtus ille è minima parte Imperij collectus, & in eo cœtu pars è plebe minima, quæ cæca sortis futuræ spe inani turget, nec circunstantia discrimina cernit, sed rebus turbatis inconsultè & temerè spem in discordiis collocat. Quid facias? consilium cogis; bellum suadetur pro decore Majestatis, & Imperij salute. Hoc stabili decreto innixus singulari perseuerantia statuis difficultates omnes non minùs virtute quàm felici sorte superare: sic bellum ingenti animo suscipis, pari fortuna dante Numine confecturus. Itaque iussu tuo illustrissimus & generosissimus Princeps Condæus Auaricum Biturigum properat, vt in Prouinciis, quæ sibi Proregi erant commissæ, nec non vicinis oris securitati & quieti publicæ prospiceret. Tu quoque Fonte-Bellaqua discedis, relicto Nicolao Brularto Sillerio illustrissimo Franciæ Cancellario, qui comitantibus amplissimis viris P. Ianino, & Antonio Lomenio à Secretioribus mandatis, nonnullísque alijs sacri Consistorij Assessoribus dignissimis Lutetiam recurreret, vnâque cum Augustiss. Senatu, cúmque Hercule Rohanno Mombasonij Duce Lutetiæ & Insulæ Franciæ Prorege, cæterísque Magistratibus, incolumitati Vrbis & finitimarum prouinciarum inuigilarent. Nec frustrà; nam præterito furente ciuili motu Gallia iam senserat, quàm opportunè & vigilanter tibi regnóque tuo studium & operam impenderant. Interea Aureliam tendis, deinde Cæsarodunum, vbi se-

ditionum fluctus nascentes tua præsentia comprimis; Continuò te Ligeri credis, die noctéque intempesta. Magne, imò beate Liger, depositum ingens tibi creditur, macte felicitate hac, Cæsaris fortunam vehis, præsta te placidum, vt amne secundo defluat. Sors tua, Princeps Augustissime, inclementiam Cœli & duri temporis injuriam vicit, leni placidóque flumine veheris, atq; arcem Salmuriensem recipis, eámque mansueto præsidio firmas opera & ductamine Francisci Crequij Saltuensis Comitis, Caroli Crequij Equitum Tribuni heroïs fortissimi, filij. Vrbe Salmuriensi restituta, cæteræ simul ad submissionem inclinant. Nempe in eam vicinarum vrbium animi & oculi erant conuersi, vt circumspicerent qualem euentum habitura esset illius vrbis seu defectio siue deditio. Itaque Iuliodunum etiam te non adeunte primas obedientiæ partes egit, Thoarciúmque, Sanmaxentium, & Castri-heraldum, Niortium quoque, Fontenaium, Malleacum & Maranium. Cætera Turonici, Pictonici & Andini tractus oppida & arces parem submissionem agunt, similibúsque muniuntur custodiis, tantáque humanitate cum ijs omnibus actum, vt nil vbique immutatum fuerit, nisi in præsidiis vrbium, cætera manserint integra, te nimirum plus amoris & mansueti imperij, quàm terroris & odij, clementer addente. Denique ita te placidè gessisti, vt omnium ferè ciuitatum animos tibi conciliaueris, fecerísque vt ad redigendas in officium cæteras paucis in posterum tibi opus esset obsidionibus. Vrbs Diui Ioannis Angeriaci Santonica in regione parêre abnuit, quoniam ibi confluxerant aliqui ex nobilitate viri, animos rebellioni & contumaciæ subministrantes. Omnibus rebus ad bellum necessariis imparatus itineri te accingis, vt qui non decreueras obsidionem instituere, sed à subditis obedientiam expectare, interímque propiùs hostium munimenta perpendere. Itaque operam dedisti, vt copias nouis accitis supplementis aliquantulum augeres, quódque miraculi loco fuit, præsaga rei mente, vrbe obsessa te intra diem Diuo Ioanni sacrum potiturum esse præsensisti, palàm pronuntiasti & professus es, omniáque secundum vota euenere. Scilicet in Regum animis quædam insita vis est augurij, nec bonus ille Genius, quo auctore niteris, animum tuum fefellit. Sunt qui proponebant vrbem

esse

esse loci natura difficili, turrium altitudine ferè inexpugnabili, profundis vallis & fossis, miróque tormentorum, pilarum, sulphurei pulueris, vini, carnium, & frumenti, quódque potissimum erat, Subisij vnius ex Rohannæ familiæ proceribus, militariúmque virorum præsidio abundè munitam, adeò vt de obsessione & oppugnatione haud quaquàm consilium darent, exemplo præcipuè moti difficillimæ obsidionis sub Rege Carolo IX. Tum alacri vultu & intrepido animo hæc ais. Huc vsque cœptis nostris fauit Deus, præsensione quadam prosperum mihi successum coniicio, vrbs intra mensem capienda est; nec frustra huc aduenisse dicar: Quæ ardua sunt, egregiæ laudis & inusitatæ gloriæ decus allatura sunt. His dictis, cum omni tormentorum apparatu ad vrbem continuò castrametaris, magnámque & validàm obsidionem moliris, nec quotidianis excursionibus oppidanorum interruptã. Huic obsidioni cæterísque aliis præter Carolum Albertium Luinium Equitum magistrum, Dignierium illum summum castrorum Tribunum, & Henricum Schombergium Comitem sacri ærarij, posteàque rei tormentariæ supremum Præfectum, interfuere quatuor illustrissimi Lothareni Principes Ludouicus Cardinalis Guisius, Claudius Ionuillæ Princeps, Carolus Dux Ellebouius, & Henricus Comes Harcurianus. Adfuere quoque generosissimi Proceres, Ioannes Ludouicus Valeta Espernonij Dux, Carolus Cossæus Dux Brissacus, Honoratus Albertius Dux Chalnius Equitum Tribunus, Leo Albertius Dux Luxemburgicus; Theminius, Praslinus, & Sangeranus, tres alij Equitum Tribuni, Crequius ille Prætorianorum militum ductor, postea Equitum Tribunus, Augustus Bellogardius Termæus Franciæ Hipparchus, & Franciscus Bassompetræ Comes Heluetiorum Præfectus, multíque alij Principes & ex primaria nobilitate viri ad famam obsidionis illius tuæque expeditionis conuenere, maximéque Franciscus Valesius Alesij Comes Equitatûs Gallici leuis armaturæ ductor, Henricus Gondius Retij Dux, Carolus Schombergius Haluinij Dux, Ludouicus Guferius Dux Roannensis, & Philippus Emanuel Gondius Gallicarum Triremium Præfectus, aliíque innumeri, vt nemo fuerit paulò notior, qui vacationis causam afferret. Vndique concurrunt,

& indecorum iudicant, si fidelem operam tibi non præstiterint, dum bellum maximi momenti suscipis & certis auspiciis ad victoriam tendis. Interea procurante ipso Schombergio heroe vigilantissimo & fortissimo, tormentorum copiam ingentem, pilarúmque fercarum, sulphurei pulueris, vectium & omnis generis ferramentorum adduci iubes è præcipuis oppidis & ipsa regni arce Lutetia, magnitudine impensæ minimè deterritus. Quinetiam ab eo tempore, quo castra fuere posita ex summa rei frumētariæ inopia & victus caritate, quæ in eis prouinciis erat per tot annos bello ciuili attritis & deturpatis, tanta repentè prouidis tuis consiliis annonæ & comeatus vilitas consecuta est, quantam vix ex summa vbertate agrorum & tranquillitate temporis, pax ipsa efficere potuisset. Mirùm verò quanta cum prudentia pietatéque simul ægris & vulneratis sapientissima commonitione illustrissimi Henrici Cardinalis Retij prospexeris, xenodochia in castris institueris, publicósque Confessores legeris, & stipendiis ornaueris, qui vel prælíantes, vel morbis grauibus infirmos, vel vitæ periculum subeuntes ad Deum immortalem erigerent, & in ipsa religione & pietate confirmarent. Quanta cura peritos adhibueris medicos, qui solerti & fideli officio non solùm vulneribus, sed & morbis omnibus mederentur. Horum exemplo illustres Heroïnæ & ex Regio Gynæceo nobiles matronæ per xenodochia ægros & vulneratos inuisentes diligenter & studiosè curabant, & quæ ad subsidium vitæ & curationem explendam necessaria vel accommoda erant, piè & officiosè porrigebant & ministrabant. Et quisquam asserere audebit, tot pietatis officia sine fructu incassum defluxura suóque præmio fraudanda? His adeò accuratis & feliciter inchoatis murorum & turrium pinnæ & fastigia diuerberantur, duobus præsertim inusitatæ molis aggeribus excitatis perbreui tempore, coacta ad ingens illud opus frequenti fossorum turbâ terram excauantium, & pedetentim ante se aggerem hostilem reuulsa tellure proscindentium. Ex his nimirum tormenta insuetæ magnitudinis displosa contra tectorum fastigia summáque propugnaculorum omnibus horis dirigebantur: occupauerántque iam fossas tui milites, muróque ferè successerant, fundamenta ab imo dolabris concutientes &

vectibus subruentes, ita vt profundis & latis vbique cuniculis hostium cuniculos excipientes in vrbem ferè penetrarent, & tandem aliquando, nisi facta esset deditio, per subterraneos specus cum hoste decertarent. Dum hæc ad Diuum Ioannem aguntur, Rupellani crebras incursiones vt exercitum fatigarent, moliebantur. Eos non solùm fortiter repressit Dux Luxemburgius, sed omnibus etiam artibus ad pugnam elicere conatus est: conserere manus recusant & iusti negant prælij copiam. Quòd si nonnulli prælia tentare audeant, in concursantes impetum facit cum Vico Regiorum leuis armaturæ Equitum Propræfecto, conuersísq; in fugam pluribus suorum vel interfectis vel captis, se Rupellam recipiunt. Interim Angeriacum oppidum acerrimo pressum obsidio deditionem cogitat: mittuntur ad te obsessorum nomine supplices, per quos se tibi submittit, & à te victore leges accipit. Lætitiam euentûs adeò prosperi leuauit, & minuit illustrissimi Cardinalis Guisij fatum sanè miserabile purpurea febre absumpti. Sic mortalium negotia versat fortuna, dum mœstis læta temperat. Postmodum de vrbis deditione transactum fuit. Hæc autem constituta conditio, vt pedites arma inuersa ferrent, & inexplicatis signis ab vrbe exirent, vtque Subizius cæteríque ex nobilitate in armis & equis discederent. Ille cum cæteris te flexo poplite salutauit, & honorificentissimis verbis à te veniam precatus est. Ea impetrata, ipsum etiam allocutione tua dignaris, & benignè addis, modò in fide permaneat, te omnia obliuioni daturum. Quid potuit humaniùs, quid generosiùs à victore in victum, à Principe in subditum proferri? Tanta fuit apud te virtutis gratia, vt hostem etiam subblandè allocutus fueris. Atenim voluisti, vt rebellionis memorabile stigma illi vrbi apud posteros inureretur: eam scilicet merita damnatione notauisti, priuilegia sustulisti, murósque dirui iussisti; ídque eò libentiùs actum fuit, quòd tempore obsidionis Comes Monreuelius legionis Campanæ Tribunus vir fortis & generosus, Descrius, Lauardinus, Carbonarius, Fauolius, Villandrius, nonnullíque alij nobiles cæsi ceciderint: Dúxque Ellebouius, Crequius Equitum Tribunus, Marchiones Valerius, Humerius, Rotelinus, Rouillacus, Vaillacus, Sanchalmontius, vt & Rabatius, Pal-

uæus, & quidam alij vulnerati fuerint, Sed hostis fusus fugatúsque, vrbs capta & deleta, mortuis ac vulneratis heroïbus solatio fuit. At vos quotquot estis generosæ superstites animæ, & beati virorum illustrium Manes, parcite, si vestra omnium decora & nomina hîc vel prætermissa vel minùs explicita videntur: instituti nostri ratio minimè patitur ea sigillatim enumerare & discutere: vestra virtus historiæ quondam amplioris largior vberiórque seges extiterit. Te verò tuum non fefellit augurium, Princeps Augustissime, nec ciuitas obsessa fatis obsistere suis potuit, dum ea mente prorsus diuina prædixisti, quæ fati necessitas erat perfectura: Siquidem eo ipso die B. Ioanni sacro vrbs dedita demum recepta est, & colla victa victori subiecit. Nec verò Scipio in Hispania diuiniùs ominari potuerit, qui Budiam oppidum oppugnans tribunal suum adeuntibus, postridiè in ipsius hostilis vrbis æde adesse iussis, & tempore & quo prædixerat loco ius dixit. Nec denique Alexander Macedo Persarum arma auro argentóque latè refulgentia victoriæ præmium suis veriore præsagio posuerit. Itaque dicto tuo nil fidentius, præsensione nil verius, & eiusmodi successu nil fortunatius aut illustrius tibi vnquam accidere potuit. Porro Talliaburgum, Pontium, Talmontium, & Royanum validissima oppida, Santonensémque, Engolismensem atque Lemouicensem agrum penè transcursim vno veluti momento ditioni tuæ asseruisti, Rex inuicte, & vbique omnia pacatissima reddidisti. Restabat in illo tractu Rupella, quæ perduelles & contumaces præcipuè fouebat, vrbs inter alias omni opum & armorum genere munitissima, quæ hinc mari alluitur, illinc mœnibus supra modum excelsis, vallisque profundis, & vbique propugnaculis interiectis, horrorem obsidentibus incutere, salutem obsessis abundè certam polliceri videbatur. Ab ea incursiones fiebant, quæ prouinciæ Alnetensis, & aliarum finitimarum quietem turbare consueuerant; Duci Espernonio earum prouinciarum Proregi dignissimo ac longè sagacissimo mandas, vt non solùm hostium insultus reprimeret, sed eos vndique obsessos & reclusos contineret, vrbis ingressum & egressum vnicuique prohiberet. Is operi se alacriter accingit; adscribuntur illi copiæ, quarũ opera procerúmque illustrium

Francisci Comitis Rupifulcaudij, tunc prouinciæ Pictonicæ Præfecti, nunc Proregis, & Franc. Auriaci Comitis, Marchionum Valetij, & Rouillaci, Bironij, Authoni, aliorúmque, eruptiones hostium non solùm cohibuit, spem omnem terreni commeatûs interclusit, sed eos diuersis congressibus fudit, fugauit, cecîdit, & Rupellanos intra mœnia coëgit. Quod & peregit quoque generosus Timoleon Spinæus Sanlucius Broagij Præfectus, & eos itidem infestis non semel armis terra maríque prosecutus est. Quàm verò felix fuit tuus in Petragorios transitus, rebus omnibus à Sequana vsque ad Garumnam secundo Numine constitutis, tótque castris, vrbibus, & arcibus vel deditis, vel restitutis? Bergeracum sub præsidio fortissimi Ramburij leges victoris accepit cum Mussidano, Cadenaco, aliísque pluribus illius regionis: & effecisti, Rex benignissime, ne pœnitendum foret iis oppidis & arcibus, quæ se tibi vltrò subiecissent, cùm incolumes & quietæ atque prorsus intactæ remanserint. Nec mora in Aquitaniam velocissimè tendis; Moessacum, Castilionum, Monsegurium, Thonenium, atque alia oppida tibi se quoque submittunt. Cleracum rebellionis nefandæ & infelicis tristem exitum sustinere maluit, ac nimium insolenti audacia tecum pacisci tentauit. Tu meritò abnuis. Composita igitur obsidio, & in aggressione Zametius, Contenantius, & Vicus ordines duxere: Sortem iniquam & acerbam in ea Termeus tulit, dum nudato capite & pectore vulneri se obiecit. O misera Principum, Heroum, militariúmque virorum hac nostra ætate conditio, dum nouum & insolens, & mortis speciosum genus excogitant, séque nudos & inermes vltrò impauidis pectoribus offerunt. Ita in tumultuario procursu ad vrbem cecidit fortis ille Termeus: dum fusis hostibus militi tuo effreni spiritúsque altiùs attollenti iuxta obsessa mœnia struxit aditum, fatali glande traiectus, paulòque pòst, ferè tuos inter amplexus amantissimi Principis sibi manû prehendentis pulchram animam exhalauit, tantúmque priùs eloqui valuit, quantum ad Cœli & beatæ vitæ contemplationem, animi magnitudinem, & fidem erga Principem suum testandam æternæ laudi satis fuit. Eam ob rem iusta indignatione accensus vrbi cædem, vastationem & incendia minatus es, ferocíusque obsidio vrgeri

cœpta est, & vix credat vllus quanta vi tormenta ingentia in murum hostilem displosa. Tunc demum ciues exitium imminens lamentari, delegatos iterum ad te mittere, se suáque tuo arbitrio permittere: Tu tamen vrbi misericordiam impertiris, paucis, qui ciuilium malorum in vrbe facem subiecerant, supplicio affectis. Multi verò & obsidionem & deditionem Cleraci in religionem vertentes, diuinam iram interpretati sunt, quòd Termei magnanimi herois, Mallocij, & Mazotti, Meusij Propræfecti virorum fortium nece vrbs polluta fuisset. Dum hæc à te geruntur, Princeps Condæus in prouinciis Bituricensi & Borboniensi, copias contrahebat, tibíque fidelem operam nauabat: Argentonium pacto interposito, Sancerrásque, & arces alias naturale iugum detrectantes sub ditionem reuocabat. Sulliacum quoque præfecturæ Aurelianensis in ripa Ligeris oppidum ad officium flectebat: operam in commune illi nauante illustrissimo Principe Francisco Aureliano Comite Diui Pauli, prouinciæ Aurelianensis Proregi (qui Iargolium ad Ligerim receperat) & Nicolao Hospitalio Vitrio Equitum Tribuno, cæterásque suspectas arces in deditionem nomine tuo accipiebat. Quod tam felici successu pręstitit Condæus, vt non solùm prouincias sibi mandatas, sed oras vicinas, totúmque illum orbem, Lutetiámque, licèt longo spatio dissitam, tranquilla fœlicitate cumularet. Hoc memorabili facinore laudem eximiam reportauit, tumultúsque exorientes à Ligeri fluuio ad Oceanum consopiuit. Summa quoque fide & studio illustrissimus Princeps Henricus Aurelianus Longauillæ Dux Neustriæ Prorex, cæteríque Principes & proceres præfecturas agentes securitati prouinciarum sibi commissarum incumbebant: Quíque in castris degebant, pari cura & labore impigri militia fungebantur: ita vnusquísque pro virili tuis inseruire temporibus enitebatur. Vtque Sol aureus non solùm partem illam Orbis quà nitidum iubar extulerit, sed terrarum, quascunque vident ortus & occasus, radiis micantibus oras illustrat; sic tua pręsentia non solùm efficacissimè pręualet, sed & Regij sanguinis Principes, Proreges & administri, quorum in vultu Principis etiam pars Majestatis non minima, vel populi tumultus cõprimunt, vel nomine tuo rebelles ditione premunt, vel tuis sub signis & auspiciis milita-

rem operam nauant, & vbique poteſtatis Regiæ ſplendorem effundunt. Interea proceres tua ſedulò veſtigia luſtrant, conſilia quæ capis fortiter exequuntur, tuæque omnes incolumitati prudenter ac ſollicitè inuigilant, & quantum poſſunt periculis, quæ impauidus obire Martio & iuuenili ardore geſtis, te ſubducunt. Succedit laborioſa, difficilis & dira obſidio vrbis Montalbanæ in Septimania, quò veſtigia reflexeras, vrbis & naturæ & artis beneficio penè inexpugnabilis, quæ tui detrectare imperij lenitatem proteruè nimis auſa eſt. Continuò aduocatur, aciémque inſtruere iubetur fortiſſimus Henricus Lotharenus Dux Meduanius Aquitaniæ Prorex; Ille iam varias vrbes rebellantes per totam Aquitaniam ad officium, vel authoritate tui nominis, vel armis reuocarat, præcipuéque Caldomontium, opera legionum Suzæi, Ornani, Sancruceij & Baraudij virorum fortium: vt & Neracum, Tartaſium, Montemmarſanum, Albiacum, pluréſque alias Tholoſæ infeſtas & Montalbano fauentes ceperat, fuderat, diruerat. Itaque iuſſu tuo diuerſi rei tormentariæ & foſſarum & munitionum labores & artificia inſtituuntur, quibus digniſſimè Luinius Magiſter Equitum, Meduanius, Ionuillanus, Diguierius, Praſlinius & Chalnius præerant, vnuſquiſque operi ſuo noctes atque dies inſtabat intrepidè, peritos & induſtrios artifices ad perducendas foſſas & attollendos aggeres excitabat. Eorum quæ ad rei tormentariæ apparatum, directionem & opus erant neceſſaria, curam ceperat Schombergius, vt & ſacri ærarij, ac in vtroque negotio generosè & prudenter ſe gerebat, virtutiſque bellicæ & excelſi animi ſpecimina multa præbebat. Stante obſidione illuſtriſſ. Princeps Cæſar Dux Vindocinenſis accedere iubetur, qui pacata Britannia, magnis itineribus ad exercitum tuum cum fortiſſimorum Equitum comitatu nobiliſſimo contendit, vt illuſtriſſimus Princeps Iacobus Sabaudus Nemoroſius Dux ſalute ſibi reſtituta. Eodem ferè tempore literas accipis à Gregorio decimoquinto ſummo Pontifice, quæ ab illuſtri Marchione Queuræo tuo tunc Legato miſſæ, te ad ſydera tollunt, támque generoſam expeditionem collaudant, & miros tibi progreſſus ad honorem Sanctæ Sedis

Apoſtolicæ, cuius te filium & quidem Primogenitum, immo verum & ſtrenuum protectorem libenter agnoſcit, exoptant. Sub id tempus ad te quoque accedit illuſtris Legatus Anglicus, non vt ſereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem huiuſmodi factionis & rebellionis adſtipulatórem denũtiaret, inuidiam enim facti conſtantiſſimè recuſauit prouidus ille Princeps, quod iam præmonuerat Comes Tillerius apud eum digniſſimè quoque legationem nunc agens, ſed vt te alijs de rebus maximi momenti honorificentiſſimè conueniret. Quod & ſtudiosè præſtitere Ordines Belgici, delegatis ad te viris grauibus & tranquillitati publicæ enixè ſtudentibus. Sic à diuerſis partibus Orbis terrarum gratulationes accipis & officia tibi pollicentur Principes extranei quamuis à te longè diſſiti. Interea Henricus Dux Rohannus auxilia vrbi obſeſſæ vndique tunc primùm mittere parat & contrahit. Quod vbi eſt ad te perlatum, præmittitur ecce Princeps illuſtriſſ. Carolus Dux Engoliſmenſis legatione Germanica honorificentiſſimè perfunctus, cum Franciſco Aleſenſi Comite filio, & Gilberto Curæo ſtrenuo Equite, qui marchione Malozio priùs fuſo fugatóque viam Rohanno venienti tunc maturè intercluſere. Quam in expeditionem opportunè adiungunt ſeſe Henrici Ducis Momorancij Archithalaſſi & Septimaniæ Proregis copiæ, ductore Marchione Porteo, quorum ſtrenua opera & aliorum quoque procerum adnitentibus auxilijs intra Caſtræ vrbis pomeria crebris velitationibus acerrimíſque congreſſibus hoſtis compellitur. Et quoniam rumor erat obſeſſos auxilium à Germanis & Heluetiis petiiſſe, illuſtriſſimus Princeps Carolus Gonzaga Cliuenſis Dux Niuerniæ, Campaniæ Præfectus, & Rogerius Bellogardius Burgundiæ Præſes, ne quid ab extraneis Gallia detrimenti caperet, prudenter prouident. Plurimæ interim fiunt eruptiones à Montalbanis: verùm illi à tuis vehementiùs multò repelluntur: eo euentu, vt aliquanto celeriùs quàm exierint & pugnam appetierint, pedem referrent; non tamen ſine virorum illuſtrium cæde miſerabili. Eorum multi variis temporibus cadunt, in quibus Marchio Teminius Equitum Tribuni fortiſſimi maior natu filius, Franciſcus Comes Fieſcæ, Vallancæus Eſtialius, Freteus Priæus, Carbonius, Forillius pater, Geuſleus aliique

aliíque deſiderantur: ſauciati verò fuere Theminius & Praſlinius Equitum Tribuni, Carmanius Comes, Alluius Marchio, Vallancæi fratres, Zametius, Riberacus, Baro Cruceius, Toiraſſius, Baraudius, multique alij, qui omnes memoranda multa & æternis cum annis conſecranda incredibili animi magnitudine geſſerant. Hi ſanè perplexis & ancipitum periculorum agitationes moram incœpto nectunt, præclaris quoque Imperatoribus inextricabilem. Tu verò inuictiſſime Princeps, fortunæ ſæuientis impetus omnes ingenti tam corporis quàm animi robore ſuſtines, omni tempore exercitui tuo & oppugnationi inuigilas, licétque in longa, & periculoſa obſidione detinearis, tamen vel grato illuſtrium heroum colloquio, vel frequenti, dum licet, aucupio bellici laboris tædia nonnunquam demulces, interímque mirabilis in te conſtantia & æquanimitas elucefcit, & ſiue ſereno ſiue obnubilo tempore eundem vbique ſeruas tranquillæ mentis tenorem. Atque adeò victricis tuæ dexteræ nobiliſſimum ornamentum ac digniſſimum geſtamen, palmam ſcilicet, ſuetus es imitari. Hæc enim vt æſtate, ſic hyeme ſuæ frondis honorem ac decus retinens, gracilis quidem ac tenuis primùm è ſolo prodit: at cum tempore adoleſcens ad Cœlum vſque ſpatioſis tendit foliis, & in cacumine gratis oneratur dactylis, ac planè iucundis exuberat fructibus. Quid enim tu aliud ex quo per ætatem licuit ad ſublimis Imperij clauum ſedere, præter quàm longè ſuauiſſimos virtutis & conſtantiæ fructus protuliſti? Nec mirum: nam tibi fors nobilitatem ſanguinis totius terrarum illuſtriſſimi & antiquiſſimi, potentiæque maximæ vires aſſignauit, virtus verò excelſum animum, fortitudinem, & perſeuerantiam ab ipſo immortali Deo feliciter impetrauit. Sic ad nouos caſus temporum & varias conſiliorum rationes te prudenter iuxtà fortitérque accommodare noſti. Curſum quoque obſidionis aliquantiſper moratus eſt caſus fortuitus ab igne tormenti rutilas per nubila fauillas emittente, & longè in cados pulueris ſulphurei cadente, qui globos flammarum voluens, & latè percurrens Emanuelem Sabaudum Marchionem Villarium prudentiſſimum & fortiſſimum Equitem, Riberacum filium, nonnullóſque alios ex nobilibus corripuit, & miſerabili fati ſpecie conſumpſit. Hæc verò infortunia maioris ali-

cuius mali prænuntia portenta extitere; nam paulò post ipse Meduanius dum operi suo instat, & feruentem excitat militem solerti simul audentíque ingenio assiduam operam suffossionibus impendentem, glandis ictu repentè concidit. Illustrissimus Carolus Lotharenus Dux Guisius tunc ex Prouincia in exercitum aduolarat, à te humanissimè exceptus, vt qui Prouinciam, quam nomine tuo regebat, pacatam & tranquillam reliquisset, & ab omni hostium insultu, insidiisque abundè tutam vindicasset. Meduanius fortè illi, Comitíque Schombergio inchoatum & productum opus ostentabat suum, cùm lethaliter ictus in oculo fuit globulo plumbeo, qui pileum Schombergij proximè in ipsis aggeribus adstantis priùs traiecerat, atque inter amplexus coniunctissimi arcta necessitudine Principis, fortissimíque illius Comitis generosam effudit animam. Erat Heros ille virtutis ac fortunæ incomparabilis, insitámque animo suo magnitudinem, & pectore constantiam, & ore veritatem, & dextra fortitudinem exhibebat, ac præ se ferebat. Nec tantùm in militares & equestres viros sors iniqua in hac expeditione sæuiit: Quinetiam Iustitiæ & literaturæ politioris ornamentum Guilelmus Vaïrius sacri Sigilli custos, inter manus Ant. Ribierij sacri Consistorij Assessoris diem vitæ clausit extremum, vt & Antonius Philippæus Ponchartrinus, (cui paulò pòst Herbaudæus frater successit) & Antonius Poterius Seausius, in viuis esse desiere: quorum interea vicem in castris fidelissimè expleuere Petrus Brulartus Piziæus, & Henricus Lomenius Villaclarius, ijdem illi quoque quatuorviri ab interioribus Consiliis, epistolis, & iussis tuis dignissimi. Quid quòd Ioannes Perronius Senonensis Archiepiscopus, Carcassonensis, Massiliensis, & Valentinus Episcopi, multíque alij Præsules, proceres quidem omnes illi & sacri Consistorij Assessores, præproperè nimis, & præter omnium vota erepti sunt? Qui tamen vniuersi non poterant nobiliori loco ac magis necessaria tempestate occumbere, quàm ante ora Principis in expeditione militari operam, laborem & animam pro Rege, regníque salute impendentes. Nec omittenda sunt, quæ interim Lutetiæ euenere, dum nonnulli perditi, facinorosi, & ex ignobili fæce populi seditionem Religionis prætextu contra quosdam neo-

tericæ opinionis homines excitarunt. Sed Magistratuum authoritate & prudentia tumultus iste compressus fuit, statímque authores tumultus capti, & iudicio capitali damnati, merito supplicio affecti fuere; continuóque solemne à Senatu decretum emanauit, quod impijs terrorem, probis lætitiam, populísque contrariæ opinionis securitatem in posterum afferret atque assereret. Pari Senatûs prudentia profectum & obuiam irum fuit igni rapidissimo, qui fortuito casu, & incredibili celeritate percurrens, Pontes mercatorum & aurificum peredit, penitúsque absumpsit. In his ædium solum vbique & pauimenta erant asseribus compacta, & cratitij parietes atque arrectarij ybique compositi in vnaquaque domo attollebantur: his suppositum erat interiectúmque nigrum & feruens bitumen cum pice præusta & torrenti, quibus illinebantur axes & asseres, ne quis per rimulas humor aquæ exiliens penetraret. Vt semel ignis picem & bitumen, alimenta flammæ liquore oleaceo perfusa, pinguiáque & tenacia corripuit, è vestigiò latè vagans velocissimè percurrit, & ab imo ad tecta citissimè subsiliens trabes, axes, asseres, tigna, domósque integras sursum & deorsum deuorauit. Etiam in vndis ardebant pix & bitumen, trabésque & asseres, nec Sequana flammam opprimere poterat, superantibus ipsa pice & bitumine, quibus nutriebatur ignis: his demum consumptis tandem aliquando flamma quieuit, & vires posuit. Horum pontium instaurationem, & Palatij Regij ab aliquot annis quoque combusti Iustus & liberalis imperasti: ac meritò; nam ædificium illud totius terrarum Orbis augustissimum, Astrææ è Cœlo delapsæ nobilissimam sedem, D. LVDOVICI ataui tui sanctissimum domicilium, à Philippo Pulchro inchoatum, sub Ludouico X. perfectum, & à te, LVDOVICE IVSTE, fundamentis lapideis & maiori sumptu & magnificentia rursus excitatum non sine ratione & mysterij specie intuemur. Quid memorem vt interea dùm diræ sortis in te necessitas impetum faciebat, colligis tamen acriùs & animos assumis? Nam perexigua pars exercitus supererat, maior deperierat, multósque morbus venenatus absumpserat, plurimi domum discesserant,

multíque vulnerati & ægri in castris oppidísque & vrbibus vicinis remanserant, eorum omnium piam habes rationem. Sic non solùm parentis patriæ, sed & vrbium orbísque vniuersi, bonorum omnium, castrorum denique & exercituum patris merito iure cognomen assecutus es, haud leuiori ratione, ac olim Augustus, Antoninus Pius, Hadrianus, aliíque perpauci, verùm optimi ac inuictissimi Cæsares. Tu quoque de valetudine illustrissimi Principis fratris longè carissimi morbo etiam affecti, sollicitus mirum in modum fuisti, quem studio fideli Ioannis Baptistæ Dornani herois generosi, Alphonsi magni illius Equitum Tribuni filij mandaueras; tantæ tibi fuit curæ tam charum caput, olim decus æui sui futurum. Quibus omnia prosperè cadunt, veræ gloriæ fulgor nullus vnquam irradiauit, sed quibus per arduos labores, vigilias, & calamitates datur elucere: Ecce Deus tua secundat vota. Paruo siquidem momento, & singulari fortunæ beneficio copiæ auxiliares fusæ fugatæque fuere. Tantum illis fiduciæ & spiritus accesserat, vt vel necessitate obsessorum, vel inani ostentatione adductæ, perrumpere castra & vrbem ingredi tentarent. In tres partes diuisæ istæ copiæ sensim & sine strepitu per varias & difficiles viarum ambages fossis, sepibus, paludibus, atque arboribus impeditas, nactæ occasionem temporis nocturni, ad vrbem ferè peruenerant. Principiò munitiones, vbi nonnullæ cohortes legionis Neustriacæ & Stissaci excubabant, perrumpere sperant hostes. At fortissimè castra propugnantur. Re igitur minùs succedente, altera eodem impetu castra sunt adorti, sed frustrà: siquidem generosus Comes Bassompetra cum quadringentis Heluetiis fortè aliò tendens, vt vidit copias agmine facto irruentes, signa simul ad hostes conuerti, aciémque dirigi iubet. Illi nequaquam fortissimi ducis & strenui populi grauem impressionem ferre potuerunt, sed primo concursu in fugam se conuertunt, atque ita magno eorum numero interfecto, multísque cum ductore captis, cæteri eodem itinere quo venerant, saluti consulere parabant, sed Equitum Magistri consilio viis interclusis, fugientes interfecti partim à Comite Aiensi, capti partim fuere, paucíque incolumes euasere: ideóque supplicationes indictæ & habitæ sunt, signa quoque militaria capta, & ad Augustissimam Reginam vxorem à te

missa: Nihil enim decori prætermittere potest ille tuus regius & verè excelsus animus. Quo suadente, paucis antè diebus Gilbertum Preaulium integræ probatæque fidei & virtutis Equitem ad Illustrissimam Reginam Matrem tuam salutationis & humanitatis gratia præmiseras, vtque de rebus maximi ponderis cum illa prudenter ageret. Interea militi tuo maior animi incitatio & alacritas, licèt naturaliter innata, tam nobili facinore multis partib. audacta & excitata est, vt è diuerso hosti refrixit vis illa, quam præ se ferre videbatur; eo quidem euentu, vt continuò pacem per delegatos petierit. Tam prospero tamen rerum successu non intumescis, victoriam fræno cohibes, téque victorem vincis, & animum regis, atque ab insana desperatione hostem ad spem salutis reuocas. Blainuillius sacri cubiculi Magister ad Rohanum id enixê efflagitantem, Desplanius in vrbem obsessam mittuntur: locus & dies constituitur, quo Luinius Equitum Magister cum Rohano verba faceret: dicta & accepta fide conueniunt; sed re infecta colloquium diremptum fuit. Sub id tempus Dux Momorantius copias auxiliares adduxit ingenti spiritu & vigore bellico assurgentes, quæque tanto Duce insignia facinora per totam Septimaniam ediderant, vt & ab Anna Leuio Duce Ventadurio Septimaniæ Propræfecto egregia ibidem virtutis documenta in Regis obsequium sunt exhibita. Itaque receptis etiam copiis Marchionis Villaregij, tormenta ingentia continuò displodi summa dexteritate iubes; tantámque pilarum ingruentium effusam vndique grandinem fuisse constat, vt obsessorum plurimi interfecti fuerint, & fossarum spatia ruinis ingentibus completa. Nihil porrò te morantur assidui & atroces pluuiarum nimbi, qui in tellure vliginosa, ex qua densus & effusus humor ille nequaquàm recedere, nec delapsum habere poterat, ita exercitum pulsabant, & militem in cœno tenaci ex imbribus atris & longis concreto sic hærere cogebant, vt in vallis & fossis penè mergeretur. Non reuocat Autumni grauior tempestas, quæ lethalibus infesta morbis militares copias ita miserè diuexabat, atque affligebat, vt multiplicatis funeribus plurimi paucis diebus acerbo fato desiderarentur; cæteri verò penè omnes languentes & lurida macie deformati, longis vigilijs laboribus immensis, & frequentibus

cum hoste congressibus fatigati vix sustinendis corporibus idonei superessent. Sed ecce, quum vrbem proximè irrupturus, eámque cædibus & incendio victor miles deformaturus videbatur, vt ad internecionem summúmque excidium illius vrbis res tota non dubiè spectaret, tunc mitissimi Princeps animi, atque ad omnium subditorum salutem propitio sidere natus, humanitatem instanti victoriæ, quæ iam in manibus erat, præponere constituis. Itaque viis & itineribus à tuo milite occupatis, omníque commeatu intercluso, in longiùs obsidionem trahis, aliam horam, aliud tempus expectandum iudicas, quo flagitij vel obsessos pœniteat, vel certè illi temeritatis suæ pœnas promeritas luant. Interea nuntio accepto Monthurium ad hostiles partes defecisse, præmisso Rupilaureo Equitum Tribuno & ipso Bassompetra qui vrbem obsidio cingerent, Tholosam tendis à ciuibus summa animi gratulatione exceptus, continuóque pòst illuc aduolas. At verò eò loci Theminius Lozerius glande plumbea lethaliter ictus: paulóque pòst tempore morbi contagio Luinius Equitum Magister diem extremum obiit, ingenti animi tui mœrore, summóque hominis fidissimi, tibíque addictissimi desiderio. Tunc omnem belli curam in te vnum suscipis, maturè consulendo, fortiter agendo, languentis exercitûs vires instauras, & ducibus animos restituis, singularémque militaris peritiæ, senilis prudentiæ, & efficacis industriæ laudem in ipso ineunte ætatis flore omnium iudicio consequeris; Siquidem vt in vallis circumiens hostium munimenta & vrbis mœnia prospexisti, tunc, nonnullis non satis consultè dissuadentibus, per cuniculos præcipua propugnacula tentare iussisti, angulósque mœnium, qui prominebant, & obsessos maximè protegere videbantur, tormentis aggressus, celeriter decussisti, adeò vt nuda obsessorum apparerent latera, illíque murum subire deinceps non ausi fuerint. Hostis verò, abiecta defendendæ vrbis cogitatione, vocatóque Montespanio Equite strenuo, clementiæ tuæ statuit sese dedere. Atque ita in ipsa hyeme horrida vicesimóque obsidionis die oppidum munitissimum receptum est: ciues & auxiliares salui & incolumes abscedere iussi sunt, vita omnibus concessa. Oppidum verò direptum, prædæ militari concessum, post-

modùm incensum. Sed interim mulierum & virginum piam ac Iusto Principe dignam curam non aspernatus es, eásque omnes furori & contumeliæ irruentis militis subtraxisti, & in cymbam coactas trans fluuium illæsas procul amandasti. Quod sanè facinus memorandum posterior ætas nunqunm obliuione conteret. His peractis Burdigalam te confers, virúmque illustriss. Mericum Vicum authoritate, eruditione, & integritate vitæ, longóque rerum vsu præstantem sacri Sigilli custodiæ deputas, eámque illi curam honorificentissimam demandas: & securitati Aquitaniæ & Septimaniæ prouinciisque vicinis, ne quid detrimenti te absente caperent, sagacissimè prouides, itérque velocissimè emensus, Lutetiam ingrederis comitantibus Illustriss. & generosiss. Principibus fratre tuo Duce Andegauo, Principe Condæo & Suessionum Comite, aliísque primæ notæ proceribus, sub initium anni M. DC. XXII. die verò D. Carolo Magno sacra. Erat ergo in fatis, vt qui Carolum Magnum fortitudine, pietate, & animi magnitudine referebas, die tanto Imperatori consecrata, victor vrbem regni caput magnificentissimè subires. Ciuitas ouationem tibi solemni decreto & in armis conspicua præparauit. Pro more atque ex officij ratione præibant Dux ille Monbazonius Insulæ Franciæ & Vrbis Prorex; H. Memmius supremi Senatûs amplissimus Præses ac Mercatorum Præfectus, L. Seguierius Sanbrissonius Prætor vrbanus, ac N. Ballolius Proprætor. Aderant quoque vrbanæ cohortes ductore Dureto Ceurio sacri ærarij præfecto. Tu in sancto D. Virginis templo, summa illustrissimorum Cardinalium Rupifulcaudij, & Retij, Clerique totius exultatione salutatus es: Tu N. Verduni meritissimi Senatûs Principis, communia vota A. Seguierij, H. Hacqueuillæi, N. Iaij, N. Belleuræi, & A. Poterij Præsidum illustrium, ipsiúsque augustissimi Senatûs vniuersi, ac L. Seruini, M. Molæi, & I. Talæi Trium-virûm dignissimorum, voce præferentis, incredibili lætitia, & omnium acclamatione exceptus es. Studia denique & gratulationem amplissimæ Rationum Cameræ, & Supremæ Vectigalium Curiæ, ac I. Nicolaij, & N. Ceualerij primorum in his Pręsidum affectus testantium perquam certo

indicio agnouisti. A templo, ad Luparæ sumptuosam & magnificam arcem proueheris, non solum perpetuo virtutis atque clementiæ concursu admirabilis, sed triumphali lauro & victricibus armis conspicuus. Lutetia quietis & tranquillitatis plenissima sedes videbatur; è contra te quies ad laborem reuocauit, & subeuntis anni principio assuetos belli labores prospero conamine abundè renouasti, felicique augurio posthac tibi aditum ad maiora præparasti. Siquidem classem stupendam exornas & naualem exercitum conscribis aduersus Rupellanos, qui se notitia maris, terrarum & ventorum pollere, & æquoris imperium ab inueterata illius elementi possessione, vsúque rei nauticæ abundè tueri iactabant. Vt eorum vanitatem coërceres, ingentem nauigiorum numerum in id bellum diligenter contrahis, Melitensem illum inusitatæ molis Galeonem euocas, déque numero & genere nauium, de militum delectu, de apparatu tormentorum & pilarum, de commeatu, déque cæteris sumptibus prudentissimè constituis, continuóque prospicis, vt armamentis omnibus instructa classis tua quàm validissima in proximam æstatem educeretur. Ducem illum Guisium Prouinciæ Proregem & marium Orientalium Archithalassum merito iure classi tuæ præfecisti: Adiungunt se Gondius Triremium Præfectus, Sanlucius, Roüillacus, Mongomerius Corbuzonius, Valetius Eques, Vinciguerra, multíque alij. Tota classis in apertum mare progrediens sub tuis auspiciis ex longa & felici nauigatione in portum tandem appulit nullo vspiam exscensu facto. Naues tuas Neptunus passis Liliorum insignibus conspicuas bellicóque apparatu cuiuis hosti audaci ac superbo formidabiles Tridente propulit, secundóque à puppi flatu volitantes complectuit, & pacato mari compositísque fluctibus salutarem dexteram gubernaculis admouit. Dum verò plenis velis & contentis remis in Oceano classis tua decurrit, tu profectionem aliam adornas: Brulartum Sillerium primariæ nobilitatis ac virtutis Equitem Romam deputas, munus legationis cùm omni rationum momento, tùm maximè ob Sedis Apostolicæ sanctimoniam longè honorificentissimè obiturum. Tu quoque oræ limitaneæ, quæ Atrebates ac mare Batauum attingit, diligenter prospicis; Duci Chalnio Ambianum, Aumontio

Bononiam

Bononiam ad mare, Haruilleo Palaisæo portum Iccium, Gilberto Preaulio arcem Hamensem committis, cæterísq; oppidis & arcibus alios quoque proceres antiqua fide tibi notos præficis, ac bellicam iterum expeditionem in Aquitaniam moliris, téque actutum itineri accingis, rebelles terra maríque obsessurus. Hæc dum aguntur, Diguierius Baiis & Pusinio ad Rhodanum receptis, paci operam dabat, & cum Rohano, priùs à te veniam præfatus, colloquium inibat. Sed quid mirabilius potuit accidere fortunáque, & Majestate tua dignius, quàm illa copiarum Subisij perquàm inopína strages, deditióque? Scilicet auditis tot earum incursionibus, & inferioris agri Pictonici deuastatione planè miserabili, continuò viam voras, & Ligeris secundo flumine deuectus ad vrbem Nannetensem accedis. Non longè admodum aberat Subisius cum exercitu, & nonnullo tormentorum apparatu. Ille verò aduentum tuum pertimescens in insulam Riesiam Via fluuio præclusam traiecerat. Mittitur à Schombergio Soisaius qui locum lustraret: eóque audito amnem illum & æstum maris transeundum, atque è vestigio inuadendos hostes non minùs prudenter quàm alacriter censuisti; Communicatis cum illustriss. Principe Condæo & Schombergio consiliis, quæ illi summopere approbant, celeritatem ad victoriam tanti esse momenti, quantum in bello pollere fortunam facilè consuadent, & vtramque admirandos proferre casus vtilissimè præmonent. Itaque, magnis & insuetis die noctéque solitò magis illustri confectis itineribus, ac impeditis aquarum exundatione, & circa maritimam oram difficilibus alueis, labore multo superatis, improuisus hostem adoriris, insulam aggredi constituis, & triplicem aciem instituis, quam ita distinctam Principi Condæo, Vitrio Equitum Tribuno, & Rupifulcaudio concredis, missis, duce Bassompetra, præcursoribus. Condæus, acceptis quas illi destinaras copiis, acutè prospicit, si quid assueta celeritate itineris, atque opportunitate temporis arrepta proficere possit: & protinus emensa citra omnium opinionem ineluctabili via, vastísque arenarum cumulis interiectis summa cum dexteritate & animi virtute superatis, te commodè euocandum curat, mo-

nétque tempus & locum hostibus feliciter aggredientis oblatum. His certò acceptis, quindecim horarum ipso curriculo equo insidens, copias reliquas in proximam amnis oram perducis, nec non hunc ac paludes interiectas tranare contendis. Et verò tuis tunc votis obstabat æstus Oceani refluus, qui lentè nimis abscedere visus est. Tu tamen pugnæ victoriæque impatiens, primus terram inimicam & hostilem ingrederis, licèt ob altitudinem amnis æstu illo maris reflui excitatam non modici res esset periculi. Te simul pedestres copiæ insequuntur, & mediis in aquis cum Bassompetra & Heluetiis extant generosè & audacter emergentes, atque acri animo vim & impetum fluminis ac maris non adhuc omnino mirabili fortunæ beneficio decrescentis, nequaquam reformidantes. Sic omnis è vestigio citra iacturam traducitur exercitus. Planè quemadmodum præpotens ille Deus per Arabicum sinum diductis illius aquis, populum suum sicco pede transmisit, instar molis cuiusdam marmoreæ, stantibus vtrinque maris fluctibus: Quinetiam hunc ipsum nube contectum interdiu aduersum Solis ardorem, noctúque prælucente ignea columna per deserta loca ductauit incolumem; Ita omnino te nocte progredientem secundioris ac fulgentioris Astri ministerio promouit, ac speciali prouidentia maris fluxum ac refluxum continuit, quâm tuis rebus id visum est expedire, cœlestíque præsidio te periculis omnibus caput intrepidè obiectantem felicissimè tutatus est. Hîc vero sese tibi adiungunt Condæus & Schombergius, quorum opera & consilio te plurimùm in hac memorabili expeditione vsum fuisse literis publicis honorifico testimonio professus es. Aderant vnà illustrissimi Principes, & egregiam tibi nauabant operam Suessionum Comes, Vindocinensis & Fronsaci Duces, Magnúsque Franciç Prior, vt & Retij Dux, Praslinius Equitum Tribunus, Curtenuallij & Neslij Marchiones, Comes Auriacus, Zametius, Paluæus, Boreuillius, Pongibaldus, Chalasius, Vitellius, multíque alij per quàm strenui viri. Alueo superato creuit illicò amnis, superueniente maris æstu: nullus patebat regressus, aut vincendum, aut pereundum. Hostem à fronte, latum ac profundum à tergo flumen, à dextra & sinistra mare & palu-

des conſpicere erat. Sed enim tam repentino incurſu perterriti hoſtes, nulla ſtrenuè pugna vel tentata, vel commiſſa, vel vnquam inſtaurata, diffugiunt, ſignis pluribus, tormentis ac impedimentis omnibus in pignus & præmium victoriæ relictis. Etenim eorum ductor prælio dimicandum non exiſtimauit, vel tempore excluſus, vel tuo ſubito & inopino aduentu commotus, vel denique, vt veriùs coniicere licet, Majeſtate tui nominis perterrefactus: Atque adeò cum equitibus nonnullis vada cœnoſa & arenis mobilibus admodum impedita tranſiliens abiit, locorum notitia fiduciáque planè ſecurus. Totis demum terror atque cæca formido ingruit hoſtium caſtris, neque ſatis illi quò ſigna ferant, quóve ſe recipiant, prouident: pedeſtres copiæ confugiunt in naues, & eas conſcendere promiſcuè conantur. Deerant verò & nautæ & nauarchi, mare tunc ſubſidebat fortunæ quoque beneficio, nec rates in altum deducere erat, ſiccum etiam littus & ora maritima aquarum longinquo receſſu viam præſtruebat tuis copiis, & pugnæ copiam faciebat, vt hoſtes fugientes & naues in littore ſtantes aggrederentur. In eo concurſu ingens hoſtium multitudo cæditur, multi capti, cæteri fuſi fugatíque & deſperata ſalute per itinera occulta, ſiluas & loca remota diſperſi à ruſticis paſſim trucidantur. Eadem celeritate & iiſdem auſpiciis Royanum, cuius defectio Burdigalam & totum illum tractum infeſtabat, expugnas: obſidionis curam omnem alacriter & ingenti ſpiritu ſuſcipis; eam ipſemet, in vallis aſſiduus ad militum animos accendendos, vrges: acriter oppugnatur oppidum. Bipartitò tui validas munitiones, operáque hoſtium aggrediuntur. In altera parte cui Praſlinius, Baſſompetra, Rupiguïonius, Dalognius Rupifortius, Chappæus Villoquierius Fertæus, aliíque ſtrenui proceres egregiam impendebant operam; nemo aliquantò celebrior, præter Refugæum, vel cæſus vel vulneratus fuit. In altera parte, vt plerunque belli ſors dubia ludos facit, periere viri generoſi, Humerius, Vaſſæus, Baro Mataſius, Ligondaius, paucíque alij, & grauibus icti vulneribus fuere Eques Souræus, Palmorius Sancius, Guitaldus, Boërius Sammartinus, nonnullíque alij: ſed non ſine magna hoſtium ſtrage & deditione tan-

dem facta, Droetióque vrbi pręposito, naues ex pacto cōscendunt, Rupellámque se recipiunt. Atque ita non solùm memorabilem in illa insula victoriam, haud multo tuorum sanguine partam, consecutus es, sed & oppidum illud maximi momenti, & in eodem tractu Talliaburgum Hallerio commissum imperio subiecisti: vt & Fidei-fanum Cleracum, D. Antonini quoque fanum, nec non Thonenium ab Ellebouio iam antè acriter obsessum, Carmanium, Figeacum, Cadenacum, aliáque plurima, quæ defecerant, non illius duntaxat regionis, sed & finitimarum vno momento in ditionem recepisti, Paluæo & Betencurio cæsis, Retióque & aliis in obsidione Antoniniensi vulneratis. Interea obsidionis Rupellanæ curam suscipis, & exercitum contrahis, cui præesset illustrissimus & generosissimus Princeps Suessionum Comes. Adfuere illi quoque Vitrius & Rupifulcaudius, Sanlucius, Neslius, Roüillacus, Sannectarius, Arnaldus pluresque viri generosi, qui præclara singuli multa in ea expeditione gessere. Continuò iussu tuo & Suessionum Comitis consilio, ductúque Pompeij Targonis ingeniosi opificis lacus, paludes, & canales siccantur: arx valida & capax rupe excisa iuxta mœnia vrbis obsessę, contra omnium expectationem, extruitur, ac in mole saxea inciditur, opus admirandum singulari solertia miróque artificio confectū. Parte alia magnanimus ille Princeps cum Vitrio reliquísque primæ notæ proceribus laborem indefessum exhibebat, pinnas & turres vrbis horribili tormentorum fragore diuerberabat, perduelles, vt se offerebat occasio, fugabat & cædebat, iugitérque volitans tergis hostium, & portis Rupellæ inhærebat, vt frumentandi liberéque pabulandi & ad castra accedendi facultas eriperetur. At ecce in diuersa Galliæ plaga bellum ingruit: Mansfeldius Comes Germanus cum ingentibus copiis in eam tentat irrumpere. Continuò grauissimi vir iudicij Sillerius ille Galliarum Cancellarius prouidet ne quid ab imminentibus exteris tua Lutetia, immò tota simul Gallia detrimenti capiat. Lomenius pater tibi à consiliis & secretis mandatis fidelem in consulendo & scribēdo quo vnumquemque ad Officium adhortaretur, operam impendit. Parte alia Niuernius in Campaniam sibi creditam continuò tendit, se quoque viæ committit Engolismensis:

Hi quibus huiuſce belli ſummam commiſeras, cum ingenti equitum peditúmque apparatu Mansfeldio eunt obuiam, manus acerrimis ſtudiis conſerturi atque eius irruptionem prohibituri. Hanc ille Gallorum celeritatem & animi magnitudinem ac ſedulum apparatum pertimeſcens, feſtinanter caſtra mouet, ſignóque receptui dato, ad Ordines Hollandiæ principémque Arauſienſem ſeſe conferens noua conſilia ſectatur. Hæc inter Diguierius, qui ab ineunte ætate ad hæc vſque tempora multa ſumma & præclara geſſit, fortiſſimi militis & ducis peritiſſimi decus aſſecutus eſt, cum tota familia orthodoxam religionem ſuſcepit, noménque in Eccleſiæ Romanæ & Sedis Apoſtolicæ militiam dedit, continuóque pòſt Equitum Magiſter, qui ſupremus Galliarum honos ſemper eſt habitus, ſummo omnium ordinum applauſu creatus eſt, & Gladium tantæ dignitatis inſigne perferente Crequio, Torquémque Sancti Spiritûs ordinis illuſtriſſimi Lomenio Villaclerio hîc tibi operam præbente, ſuſcepit: eodémque ferè tempore Crequius ipſe & Baſſompetra Equitum Tribuni à te deſignati ſunt. Hi pro tam beneuoli animi ſignificatione tantíſque beneficiis tibi ad res magnas prodeunti officium, laborem & induſtriam impendunt, víxque ſatis grati videntur ſi plures animas te colendo profuderint. Id fuit eximium quòd eodem anni curſu, feréque pari temporis momento in ſummis dignitatibus conſtituti fuere, tibíque tot triumphos ducenti vtilem ſimul & fidelem operam nauauere, neque cuiquam mortalium erga te pietate, fide & obſeruantia vnquam ceſſere. Dum hæc fierent, conſilio tuorum in Septimania manſionem conſtituis immodicis caloribus & anni tempore grauiſſimo: dúmque rebus illius prouinciæ afflictis manum regiam admoues, belli ſummam Principi Condæo fortiſſimo & vigilantiſſimo tuorum omnium exercituum Præfecto credis, qui vnà cum Schombergio, Baſſompetra & Germanis cohortibus hoſtes adortus eſt, Diuíque Ægidij arcem, Ginacum, Aymargum, Lunellum, Sommerium variáſque arces & oppida inferioris Septimaniæ non ſine felici ſucceſſu ditioni tuæ reſtituit, Toraſſio maiore natu in obſidione Lunel-

lensi desiderato : operáque & studio Vindocini & Ventadurij Ducum Lombezium, Renerium, & alia nonnulla superioris Septimaniæ oppida se tibi submittunt.. Rohanus, qua erat prudentia, his accuratè perpensis, iterum pacem tentat, perspecto præcipuè victoriarum tuarum cursu. Interea dum Cardinalis Retius & Vicus Procancellarius fatis cedunt non minimo rerum tuarum dispendio; augustum imperij tui Sigillum fideles in manus P. Brulartij Piziæi deponitur, & illius demum cura defertur Ludouico Fabro Caumartino Sacri Consistorij Assessori, virtutum, cæterarúmque animi dotium láude cumulatissimo. Eodem ferè momento Poterius Dauquerrius Rationum Curiæ Præses in locum Poterij Seausij substituitur, vt & Io. Franciscus Gondius fratri Retio Cardinali suffectus est Ecclesiæ Parisiensis Antistes. Sed in votis tibi fuit, quod & à summo Pontifice facilè exorasti, Lutetiam Parisiorum vrbem Orbis primariam, regni florentissimi caput, Aulæ regiíq; comitatûs nobilissimam sedem, Themidis augustissimum tẽplum, Musarum amœnissimam ædem, Religionis & Fidei Catholicæ fortissimum propugnaculum, Archiepiscopatûs illustriori titulo eminere, ipsúmque Gondium primum Archiepiscopum inscribi. Neque sanè prætereundũ illud quoque sedis Apostolicæ duplex in te beneuolentiæ testimonium, quo Valetius primùm, deinde Richelius illustre sacræ purpuræ decus merito iure tulêre. Hæc inter Monpelium vrbs ciuium & incolarum robore, militum animo & omni bellico apparatu instructa, obsidione à te cingitur. Mirantur omnes te paucis copiis rem tam arduam & difficilem moliri. Sed quæ in alio Principe sors ageret, in te Virtus operatur; quæ in alio temeritas videretur, in te felicitas meritò iudicatur; vnde periculum aliis immineret, inde tibi salus oriri solet; quæ in alio pertinacia, in te fortitudo æstimatur; quæ denique in aliis audacia, in te fiducia celebratur. Ea propter vrbs obsessa submissioni se præparat, cum ecce temerarij quidam homines è colluuie populi turbas excitant, sensimque portis exeunt exercitum tuum inuasuri. Momorantius, Fronsacus, Bassompetra, multíque alij viri strenu caput impauidum tanto discrimini obiiciunt. Acriter vtrimque certatur; & in hoc

congreſſu Fronſacus, Beuueronius, Canillacus, Hoquetotius, Combaletius, aliíque viriliter cadunt. Momorantius vulneratur, vt & Caniſius, poſtmodúmque Zametius vir bello inclitus globulo plumbeo miſerabiliter ictus occubuit. Interim obſidio vrgetur, copiæ Seuenarum vndique ad vrbis obſeſſæ auxilium contrahuntur; cui quidem, pro tua prudentia, ingruenti periculo occurris. Auxilia & conatus tantos eadem quæ à te ſemper ſteterat fortuna, fortiter eluſiſti: quódque æternæ tibi erit laudi, quoties non ſolùm obſidionis, ſed huiuſce prælij pars eſſe magna ipſe voluiſti? quoties depoſita maieſtate pugnaturus imminens ſalutis periculum cum tot nobilium præſtantiſſimo cœtu ſubire conatus es? Vt enim inertia & timiditate Principis militares viri & copiæ deprimuntur: ſic ipſius fortitudine & animi magnitudine attolluntur, atque accenduntur. Sic tuo ſpectabili exemplo animos aſſumebat nobiliſſima procerum manus. Nec immeritò; nam tanti erat ponderis hæc copiarum retuſio, vt hoſtibus & militibus in animum occurreret, non alibi generoſiùs enitendum eſſe & obſiſtendum; cùm ab earum expulſione obſidentes tandem aliquando finem laborum expectarent, & è contrà ſi vrbem ingreſſæ fuiſſent, obſeſſi animos erant reſumpturi, nec ampliùs de ſalute deſperaturi. Illius itaque auxilij vel ingreſſus vel expulſio non minùs quàm vrbs capta vel obſidio ſoluta maximum habebat momentum. Si quidem paulò pòſt Monpelium ſub ditionem & imperium reuocaſti. Rohanus tot proſperos intuens ſucceſſus, pacem vrget, eáque tandem icitur. Tu verò, Princeps Auguſtiſſime, pace data & venia conceſſa magis clementiam extuliſti, quàm imminuiſti maieſtatem; foritudinem magis auxiſti, quàm potentiam attriuiſti; tantíque apud te tuorum etiam hoſtium gratiam eſſe voluiſti, vt iniuriam acceptam eorum precibus & regiæ clementiæ, qua cæteris præfulges, condonaueris, eorúmque ingenti calamitate permotus in miſeros & ſupplices potiùs miſericordiam impendere, quàm pœna etiam mediocri in rebelles iuſtè ſæuire ſtatueris. Quinimò, vt patrem populi æquum erat, ſubditorum tuorum ſanguini & egregijs multarum vrbium molibus atque ædificiis parcere maluiſti, quàm

ſupplicium offenſioni tuæ ſanè debitum non in homines modò culpæ affines, ſed in muros quoque & propugnacula producere. Atque ita te dominum non durum, ſed æquum; te victorem non infeſtum, ſed optandum; te Principem non inclementem, ſed amicum ac benignũ præbuiſti. Victor ergo Monpelium ditioni tuæ ſubiicis, & præmiſſis Equitum Magiſtro, Crequio & Baſſompetra vrbem ingrederis. Nemauſus, Caſtra, Vtica, cæteræque vrbes & oppida Septimaniæ deditionem vnà fecere, vt & Montalbanum in eodem tractu. Dum hæc geruntur, ingens & atrox prælium nauale committitur. Claſſis tua è Maſſilia ſoluens, tardè quidem, ſed proſperè curſum tenuerat, iunctóque Ducis Niuernenſis ſumptuoſi operis nauigio, cæteríſque nauibus, quæ aduentum illius expectabant, in ſinum Alnetenſem peruenerat. Ex aduerſo Rupellani vela ventis dederant. Guiſius claſſis Regiæ Præfectus Rupiſulcaudij, Sanlucij & aliorum primæ notæ procerum aduocato conſilio, intercurrentibus nauiculis ac nuntiis milites adhortatur, vt animos ad ineundam pugnam confirmarent, primóque ſtatim clangore tubæ hoſtes explicatis regiis vexillis generosè adortus eſt. Tum fortè ventus omnis ſubſidebat, & æquora ad edendum certamen ſe fluctibus pacata Galeoni & triremibus præbebant. Tuis igitur auſpiciis feliciter dimicatum eſt; licétque hoſtis nauem principem & Prætoriam igne coniecto concremare tentaret, tamen præproperè extinctus fuit ab ipſo Vinciguerra rei naualis peritiſſimo. Ad noctem certatum eſt, dum ſe vtraque Claſſis pugnaciſſimè defendit, tandémque ſeſe aduerſaria ſenſim proripuit, periculóque ingruenti ſubduxit, & diſſipatis hinc inde nauigiis citra vllum ordinem receſſit. Plures icti, interfecti, demerſi, & in his cecidere promiſcuè milites, naualis officij magiſtri, remiges, viríque nobiles, ac inter eos ille Vinciguerra. Prælium hoſtibus iniquiùs infeſtiúſque fuit, ſeu naues demerſas, ſeu deſideratos ab iis milites perpendamus. Et certè fata poſtulabant, vt qui terra tot palmas hactenus eras promeritus, maritimis quoque conflictibus glorioſa trophæa reportares; vtque tuarum victoriarum curſum Oceanus in Europam, Aſiam & Africam, atque cæteras Orbis remoti partes volubili vndarum fluxu ac
refluxu

refluxu diduceret spargerétque. His peractis Rupella tibi, suis ad Comitem Suessionum continuò missis, fidem obsequij pollicetur. Pace constituta Princeps Condæus se voti religione obstrictum reputans in Italiam tendit, vt in æde Lauretana fidem exolueret. Quo facto Romam adiit, vbi trophæa, quæ fortiter ab hostibus retulisti, periculáque & casus quibus te feliciter explicuisti, dum pro religione & cultu Dei laboras, longè latéque prædicari agnouit. Quid mirum; cùm etiam summus Pontifex & S. R. E. illustrissimi Cardinales in admirationem tui rapiantur? Vnde te tam pium, tam fortem & magnanimum suspiciunt, & pro te sollicitas preces fundunt, ac supplicationes assiduas decernunt. Et meritò; nam Pontificiæ dignitatis assertorem & vindicem semper te exhibuisti, Christianissimorum Regum auorum tuorum vestigiis insistens, atque erga Romanam Ecclesiam obseruantia pióque & ardenti studio te nulli vnquam cessurum vbique professus es, principem inter Ecclesiæ filios locum tibi pro tuo iure à maioribus pridem accepto, asserens, & cætera in Apostolicam Sedem merita renouans. Interea Princeps ille non solùm in Aula Romana, sed in Italia tota, Maiestatis & auctoritatis tuæ intuitu, suíque ipsius dignitate, rerum omnium nobilissimo apparatu exceptus fuit. Et certè, nomen ibi tuum ab omnibus præcipua dudum obseruantia colitur. Hinc statuæ & simulachra tua per compita, per sacras ædes, & priuatorum domos conspiciuntur, & ea vbique venerantur Itali aliæque gentes exteræ. Dum Condæus Alpes superat, tu in Prouinciam properas, vrbes & arces amœnissimi illius tractûs inuisis, & summo cum applausu magnificentissimè vbique salutaris. Mox Auenionem tendis, vbi iubente summo Pontifice maxima cum dignitate & frequentissimo populi concursu exciperis. Te aduenientem extra mœnia ciues poplite flexo salutauere; & vrbem ingredienti aurea numismata, quibus insculpta erat altera ex parte effigies tua, & altera ciuitas Auenio, studiosissimè obtulere. In omnibus præterea biuiis triumphales arcus occurrebant: dúmque sub vmbella progrediebaris equo inuectus albo, præibat Diguierius nudum ensem Equitum Magistri, & Liencorius primus Hippar-

chus regium gladium liliis aureis interlitum præferens. Niuernius, Momorantius, Spernonius, ac Luxemburgius Duces, cæteríque proceres ponè militaribus equis inuecti ſequebantur. Populi vndique & captiui iuſſu ſummi Pontificis in tuam gratiam liberati fauſtas acclamationes iterabant. Denique nomine tuo ius dictum fuit in vrbe Pontificali, quod non antea viſum, tibíque ſoli à Pontifice maximo & ſancta Sede Romana tantus honos eſt habitus. Ibidem Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem te inuiſentem benignè amplecteris. Mox Delphinates & Gratianopolim adis, totiúſque prouinciæ tam oppidis quàm arcibus proſpicis. Tandémque Lugdunum properas, vbi ſummo etiam cum apparatu à ciuibus, & incredibili cum lætitia à Coniuge amantiſſima & Matre dilectiſſima, quæ geminato numine Regiam Maieſtatem augent & condecorant, ſubinde exciperis. Ea in vrbe rebus Imperij tui & exteris prouides, viámque ingrederis, ac Luteriam ciriſſimè repetis. Obuius procedit illuſtriſſimus Princeps frater vnicus tibi longè cariſſimus, quo præſente tota Lutetia, citeriórque hæc Galliæ pars, ſub tuo genio tuíſque auſpiciis, incolumis & nulla prorſus clade labefactata remanſit. Interea tuus ingreſſus magnifica pompa illuſtris, totúſque ſplendidus, egregiam ſpeciem præ ſe tulit atque dignitatem. Scilicet adſtabant circumfuſa in campis multa equitum peditúmque millia, & vrbanæ cohortes armorum fulgore & colorum varietate diſtinctæ, à propriis ductorum inſignibus dignoſcebantur, & vexillis in æquore medio explicitis te Vrbis mœnia ſubeuntem excipiebant. Te quoque præcedebant & ponè ſequebantur regni proceres plurimi, equorum, veſtium & armorum pretioſis ornamentis refulgentes. Tu roſeo vultu & pænè cœleſti conſpicuus, aſpectu graui & militari venerandus, ab ipſo cultu corporis & amictûs decentia ſpectabilis progrediebare: Qualis nimirum Solis ales genere vnicus fortunatæ regionis alumnus ille Phœnix, dum ab extremo adueniens Oriente litora Nili repetit, ſui admiratione & odore cinnameo Iouis ipſius internuntias ſecum trahit Aquilas, quę ipſum toto Orbe celebratiſſimum, aureo purpureóque fulgore, planè regiis coloribus, diſtinctum atque interlitum alacri ſtudio comitan-

tur. Denique dies ille, quo vrbem ingrederis, quasi translatis sideribus per ipsam hyemis asperitatem & brumæ inclementiam lenior extitit, nobísque futuræ & perpetuæ tranquillitatis auspex erit, in posterum solemni ritu à cæteris distinguendus: Dum præcipuè sacri Sigilli tui custodiam Nicolao Brulartio Sillerio illustrissimo Galliarum Cancellario, repentè fatis functo Caumartino, rursum meritissimo iure consignas; cuius auspiciis sacra Themis, eiúsque gratissimæ comites Musæ, post tot belli tempestates ac procellas sub tanto, támque iusto Principe denuò florere ac reuirescere non dubiè incipient. Memorandum illud quoque beneuolæ propensionis tuæ signum, dum Marchionem Vieuillæum supremum rei Quæstoriæ moderatorem, & Campinium summum Antigrapheum & adnotatorem constituis, atque Belloclerum ærarij quoque Præfectum adscribis. Per eos dies Serenissimus Carolus Walliæ Princeps potentissimi Iacobi magnæ Britanniæ Regis filius, comitante Marchione Buquinganio traiecit in Galliam, inde in Hispaniam cogitans. Vt venit Lutetiam, opera Preaulij Equitis nobilissimi in regiam admissus, tibi Preaulióque ipsi & ceteris omnibus incognitus, te salutauit, in admirationem tuæ virtutis & magnificentiæ, frontis denique verè militaris etiam atque etiam raptus. Atque adeò maximi & inuictissimi duo Principes fixis & intentis oculis se se conspicientes, non perinde se se neque ex æquo agnouere, ambo Martio præstantis animi vigore præclara & generosa paternæ virtutis ac familiæ decora cumulatè renouantes. Non ita multò post sanctissimus Pater Maffæus Barberinus, qui elegantiores Musas iterum in Italiam traduxit, & cuius illustria & Christiana literarum monimenta æternùm sunt victura, in locum Gregorij XV. fatis absumpti diuino consilio suffectus VRBANVS VIII. appellari cœpit. Et certè beatissimus ille Pater doctrinæ magnitudine, vitæ sanctitate, prudentiáque & bonarum artium atque Musarum studio sacrarúmque literarum notitia & pietate præstantissimus, pro dignitate summam Pontificis Maximi authoritatem & sanctissimæ Romanæ Sedis hodie sustinet decus, atque vtinam longissimè sustineat. Hic ille est, qui D. LVDOVICVM

atauum tuum non minùs eleganti ac terſo quàm pio & veraci poëmate Galliam tuam proſecutus eſt; quique dum Legatus in hoc regno vicariam Paulo V. ſummo Pontifici operam præbet, in ſacrum Cardinalium Collegium aſciſcitur. Et fauſta ſanè fuit illi tua Gallia, quæ certiſſimum ipſi ad ſupremum in terris honorum apicem præparauit aditum. Hîc præuia lux illi tantæ dignitatis primùm affulſit, imò, vt verè dicam, potiùs Diui ipſius LVDOVICI beatus genius illi adſtitit; quo præeunte ad auguſtum illud ſupremæ Cathedræ ſolium & ſolſtitium perueniret. Sub id fermè tempus exitiali peſtilentia primùm quidem vicinarum vrbium contagio, mox & aëre crebris ac importunis imbribus frigorè & æſtu per vicem intempeſtiuis non nihil vitiato, Lutetia miſerè eſt afflictata. Multi omnium ætatum ſexuum, fortunarum, partim funeſta & horribili tabe, partim inedia, & miſeriarum ac ærumnarum tædio interiere: nulla vrbis regio calamitate caruit, nulla mœrore, nulla luctu: qui netiam plerique tanti mali metu perculſi fuga ſibi ſalutem quærentes rura petiere, continuóque poſt vicinus omnis ager ciuium diffugentium exitio funeſtatus, atque ibi plerique auxilio quouis deſtituti miſerrimè extincti ſunt. In xenodochijs, qui affectos curabant, ijſque adſidebant, ferè omnes eadem vis morbi corripuit. Quotidiana igitur ibi funera, iacebantque examina corpora in eorum conſpectu, qui ſimilem quoque mortis exitum exſpectarent. Nec erant qui vel efferendis vel ſepeliendis piam nauarent operam; ita mortui ægrotos, hi ſanos odore peſtifero conficiebant. Tu interim haud procul vrbe ſapienter prouides, proſpicíſque ne remedij deſperata cura tam atrocis mali pernicies ſe ſe didat latiùs; ſed triſtiſſimorum temporum acerbitas tandem aliquando tuis auſpicijs finem inueniat. Pariſienſis igitur ciuitas, quam turba innumera vacuam deſeruerat, à contagij teterrima labe & moleſtiſſimis improborum hominum incurſibus ſarta atque tecta tibi tuíſque popularibus præſtita eſt, ſtudio preſertim, auctoritate ac diligentia primæ notæ magiſtratuum. Ac tandem diſcuſſis fugatíſque peſtilentiæ nebulis purior dies & ſalubrior æthra ſecuritatem attulit: Porrò ſacrum Sigillum tuum, iuſſu tuo à Beringhanio traditur Stephano Haligro vi-

ro illustrissimo, non minùs animi robore & iustitia, quàm prudentia, pietate, doctrina, longóque rerum vsu commendabili. Scilicet egregiæ virtutis in vnoquoque præcipuus admirator vnicuique iusta pro meritis præmia benignissimè rependere consuetus es. Denique Belloclerum ipsum à sacris mandatis & Epistolis renuncias, suffecto suum in locum Tronsonio, eique & Præsidi Cheurio paulò pòst Clerico Malleriòque adadiunctis: deinde rerum tuarum statum feliciter ordinas, imperiique tui profundissimæ paci, & securitati, domi forisque prudenter inuigilas. Tu verò mea Gallia, cui quidem imperare sit potius quàm vniuerso terrarum Orbi, cùm ipsa contineas quicquid eximij totus Orbis habet, sorte tua lætare, cui natus sit IVSTVS & magnanimus ille Princeps, in quo pulcherrimus omnium virtutum concursus, inuictissimo Imperatore dignus, incredibili felicitate & egregia laude præcellat. Cogita eum tibi datum esse Principem & moderatorem, qui in eam publico salutis curam ita sedulò inuigilat, vt externa procul arma prouidus arceat, séque metuendum exteris domesticisque hostibus simul præbeat: Qui singularem in consiliis capiendis prudentiam, in bellis gerendis diligentiam, in periculis propulsandis animi magnitudinem fortissimè iuxtà, & felicissimè adhibet. Qui Religionis & fidei nomine, qui sobrietatis & innocentiæ merito, quíque laudis bellicæ titulo supra totius Orbis Principes excellit eminétque. Qui secunda quæque & infesta magnanimus eadem semper fronte & pectore pertulit. Qui nullis vnquam deliciis & voluptatibus diffluere visus est, nulláque animi perturbatione vehementiùs agitari. Quo dignior nullus Principum melioribus vnquam & excellentioribus animi dotibus & rerum præsidiis instructus & fretus, in isto iuuentutis flore ad regni statúsque moderamina suscipienda florentissimè viguit. Vtque liuor in eo nil deprehendit quod reprehendere possit; sic adeò circumspecta ratione se gerit, vt nil neque cupiditate, nec ira, neq; temeritate vsquam agere censeatur. Qui vt plurimum candoris & clementiæ, sic minimum odij atque sæuitiæ semper habuit. Qui vt egregius sua virtute, sic fortunæ munere maximus vbique conspicitur. Qui vt eximium esse cogi-

tauit hoſtem ſuperare, ſic pium duxit infelicis populi, & laudabile iudicauit inſipientis turbæ miſereri. Cuius denique vt bellicum decus præcipuam laudem & gloriam immortalem, ſic etiam humanitas fidum amorem atque alacre obſequium ab omnibus abundè promeruit.

PANEGYRICVS TERTIVS, LVDOVICO IVSTO REGI CHRISTIANISS.

VT floriferi & amœni veris amica temperies, infeſtæ & inuiſæ hyemis aſperitati; rores matutini, pluuiis & imbribus hiſpidis; Fauonij leniter ſpirantes, Boreæ ſibilis horrentibus; floſculi denique ſuauiſſimi telluris è gremio ſurgentes, opacis & fœtidis pendentibus in aëre nebulis tandem aliquando ſuccedunt: Sic pacis amicæ tranquillitati, bellorum immanis feritas in Gallia; otio leni & beato, grauis ac inſanus labor; iocis deliciiſque, miſeriæ & calamitates publicæ dare locum identidémque cedere coguntur. Sed veluti quò maior eſt ſerenitas, eò ſæuitiam & tempeſtatem peritus nauta prudentiùs extimeſcit, dúmque ſtat nauis adhuc in portu, maris aſperos & violentos motus prætimere ſolet: Sic quò magis tuum, Rex inuictiſſime, maximum terrarum Orbis imperium à domeſticis bellis quieſcit, eò perſpicaciùs & acutiùs externos tumultus ab ingruentibus vicinis hoſtibus præuidere ſoles. His adductus animi cogitationibus, dum Germani Batauíque bella inter ſe renouant inſtaurántque; dum ſocij, dum affines, dum fœderati, dum fidei & clientelæ tuæ commiſſi opprimuntur; Tu, Rex inuictiſſime, rebus omnibus tempeſtiuè prouides, primùm quidem oppreſſis auxilium opportunum immittis, deinde homines ſolertes & ingenioſos magnis ſumptibus euocas, portúſque & oras maritimas Picardiæ Campaniæque & finitimarum prouinciarum limitaneas munitionibus operibúſque & armis ab hoſtium incurſu pruden-

ter confirmare properas; vtque hostes propiùs contempleris, & si res postulat adoriare, Compendium tendis. Hæc inter variis vrbis regionibus commodissimi gratissimiq; fontes construuntur, & aqua pura perennis atque illimis ad immensæ vrbis innumera commoda & præcipuum ornamentum deducitur. Mirum sanè est illam ex terra in planitie vndique adæquata exoriri, & ab ipso capite fieri pellucidi liquoris effusionem longè vberrimam, vnde multiplices aquæ istius salubris & eximiæ riuuli decurrunt, qui totam ferè Lutetiam perfluunt & amœniter vndecumque irrigant: opus egregium tuis sumptibus & auspiciis commodè & magnificè confectum. Verumenim vero vt nobilissimus pictor Phidias, licét omnia scitè & exactè fingeret, tamen in Deorum maiestate demonstranda excellentius quàm in Heroum gloria & amplitudine, feliciúsque in ipsa Heroum dignitate & præclarè gestis, quam in cæterorum mortalium præstantia elaborabat: Sic quæ in aliis Principibus magna ac præclara sunt, leuiter duntaxat perstringens, in præstantissimis tuæ vitæ actionibus ac momentis, quæ admirandi aliquid ac diuini præ se ferunt, posteritati consecrandis diligentiùs & alacriùs elaboro. Primùm quidem variis impulsus grauissimísque causis & rationum ponderibus, Rex Christianissime (qui non modò IVSTI totius Orbis consensu, cum incomparabili gloria cognomentum obtinuisti, sed MAGNI etiam, cùm hæreditario iure, tum rebus à te fortiter peractis, perfectáque præstantissimorum auorum imitatione, Diui imprimis LVDOVICI ac Magni parentis HENRICI, quorum de laudibus Gallia numquam conticescet) Serenissimo Carolo Emanueli Sabaudiæ Duci, suum non sine contumelia Zucarelli dominium à Genuensibus occupatum sibi asserenti auxiliares copias adferre constituisti. Tu quoque Rhœtis Valtelinam suo imperio & ditioni subditam, sibíque fraudibus Hispanorum ereptam, enixè & generosè repetentibus, opem & suppetias non minori robore quàm felicitate præstitisti. Atque adeò vt in grauibus summísque negotiis, ratione & consilio res tota conficeretur, Armandum Ioannem Plessium Richelium Illustrissimum Cardinalem, summa sapientiâ, incredibili pietate, admirabili rerum omnium peritia, illustri natalium splendore,

vniuersis

vniuersis naturæ ac virtutis dotibus, ac singulari in te obseruantia, & inaudito in Regnum vniuersum studio præstantissimum, peropportunè in secretoris arcem Consistorij accersiuisti, vt illius opera, consilio ac vigilantia fruereris. Nec minori publicæ rei bono, quàm omnium procerum applausu, Henricum Comitem Schombergium, Heroem fortissimum, generis nobilitate, ac bellica laude, virtutisque gloria cumulatissimum, in idem sanctius Consistorium acciuisti: iisque vsus es viris amplissimis, qui nec violari iura, quod remissi Principis esset, nec cunctantem esse, quod timidi videretur, in auxilio fœderatis, affinibus, fideique tuæ à longo tempore creditis impertiendo, suadeant. Hinc celebris expeditio Valtelinæa successit auspiciis tuis felicissimè suscepta, & ab A. Estræo Marchione Queuuræo postea meritissimo Equitum Tribuno & strenuis aliis viris alieno & rigido anni tempore per montes & saxa prærupta secundùm ordinem & leges à te præscriptas fortissimè confecta, quam fusiùs alibi iussu tuo prosecuti sumus & luci donauimus, Præterea delectus fuit à te Diguierius summus Equitum Magister, vt qui maximè idoneus apud exteras nationes nomen Gallicum efferret, & insitam fortitudinem in crebris periculis exhiberet. Ille non ingenti, sed alacri procerum manu sibi adiuncta cum Carolo Crequio fortissimo Equitum Tribuno, Comite Alesio, Chappæo, aliisque fortibus & generosis Equitibus Alpes feliciter superat. Parte alia vexilla campis explicat Serenissimus ille Sabaudiæ Dux, filiique Principes illustrissimi, qui omnes tuis quoque auspiciis, militibus & armis, generosi animi & egregiæ fortitudinis in toto huius expeditionis memorabili cursu testimonia edidere, & signa Gallica per Insubriam, Italiam & Liguriam innumeris captis arcibus & oppidis ad vsque Genuam extulere: iámque tota Insubria & Liguria in spem libertatis erigebatur, nisi proditio Gauiensis interueniret. Sed hæc nostri non sunt instituti; prolixiùs alij, reíque narrationem integram exequentur. Interea HENRICI MAGNI beatissima mens quàm lætatur dum te ab æthere respicit, Filium sibi charissimum, terrarum Orbis lumen & decus eximium, documenta virtutis in dies illustriora præbentem, résque nouas & mirabiles, quas vel sorte vel morte & immaturo fato im-

peditus exequi non potuit, felicissimè conficientem! Tu siquidem non solùm tuos & Galliam, sed & omnes Europæ Principes & populos tui amore & admiratione compleuisti, tuâque in Fide, Prudentia & Fortudine totius Imperij Gallici dignitas & præsidium, imò totius Vniuersi vnica salus & singularis incolumitas conquiescit. Sub id tempus Walliæ Princeps affinitatem tuam vehementer exoptauit. Varij super rebus tanti momenti tractatus inter prudentes regni tui administros agitati fuere, in quibus eorum effulsit iudicium, moderatio & rerum agendarum exquisita cognitio. Priùs tamen, quæ tua fuit pietas & prudentia, per Berullium Oratorem in te & regnum tuum studio, vitæ sanctimonie, & rerum sacrarum notitia eximium, & idcircò nunc in amplissimum Cardinalium Collegium ascitum, authoritas Romani Pontificis modis omnibus Maximi à te Filio obedientissimo, Filio inquam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ primario, requiritur. Scilicet illum in terris tanquam cœlo proximum locum possidentem vsque veneratus es, singularémque & debitam illi obedientiam præ aliis semper exhibuisti, tuóque exemplo omnes Orbis terrarum Principes excitasti, vt ipsam sanctæ & Apostolicæ Sedi obseruantiam summa firmitate ac constantia debitóque cultu præstarent. Impetrata igitur nuptiarum venia à summo Pontifice, nuptialis pompa præparatur. Hispani, quibus nimia tua videbatur authoritas, & Britanniæ Regis felicitas erat inuidiæ, rem illam turbare tentarunt, sed ab eorũ inuidia vel potiùs impedimento cœptam spem matrimonij sibi gratissimi animo præcepit Britannus Princeps generosissimus & ad certi ominis euentum multa fiducia processit. Res agitatur denuò, tandemque lex matrimonialis profertur. Curam sanctissimæ religionis & augustissimæ tuæ coronæ præcipuam habuisti. Conscientiæ libertas & serenissimæ Sorori tuæ & eius administris vbique conceditur, nec solùm in vrbe Londinensi, sed in villis etiam omnibus regijs & vbicumque Parlamentum habebitur, sanctæ Missæ Sacrificium & religionis Catholicæ Apostolicæ & Romanæ sacri ritus permittuntur. Episcopum Mimatensem, virum generis splendore, & iudicij solertia celebrem, primum & præcipuum Eleemosynarium designasti, qui sacram iurisdictionem in Bri-

tannijs exerceret; vt Rex & Princeps eius filius solemni fidei sacramento, nullam veræ religioni ac pietati vim illaturos promitterent, effecisti. His pactis honorificæ deinde legationes decernuntur. Prima fuit Britannorum, cuius caput Dux Buginkanius extitit. Altera Gallorum, qua functus est Antonius Ruzæus Marchio Deffiatus, postea dignissimus & meritissimus Ærarij Gallici supremus Præfectus: quem non longo post interuallo secutus est Villaclerius, vnus è fidissimis quatuor à sacris mandatis tuis secretis & epistolis. Hæc inter, sponsalia & nuptiæ miro ordine adornantur. In limine templi Deiparæ Virginis theatrum ingens educitur, ibique certis & sanctis precationibus de more peractis, solemnique sacramento interposito Illustriss. Cardinalis Rupifulcadius Britanum Regem Sorori tuæ matrimonio adiungit, tótque insignes ceremoniæ ita in serum diei sunt protractæ, vt earum incredibilis & mira solemnitas nequaquam expectantes satiare potuerit. His peractis ad arcem Archiepiscopalem deuentum est, Regique & Reginis ac Heroïnis, Ducique Buginkanio decumbentibus, accedente gratissimo Musicorum concentu, epulæ magnificentissimæ ac delicatissimæ apponuntur, omniáque ingenti omnium lætitia & applausu felicissimè transiguntur: Nec immeritò sanè: si quidem non solùm duo potentissimi & inuictissimi terrarum Principes tam arcto inter se fœdere, sed etiam eorum Imperia & populi & venturi nepotes æterno sanctissimæ amicitiæ vinculo connectebantur. Eodem ferè tempore summus Pontifex perpetuò de totius Orbis tranquilitate sollicitus, ad preces Hispanorum tam læto armorum tuorum successu rebus suis diffidentium, Legatum ad te mittit Illustriss. Cardinalem Barberinum pietate, doctrina, ingenij grauitate præstantissimum, qui pacem assiduis à te flagitationibus obtineat. Ille à te pro sua dignitate & eius imprimis cuius vices gerebat, summo splendore & insigni liberalitate exceptus est. Præterea fuit à toto Clero, à Senatu, supremísque aliis Curijs, & ab omnibus vrbis Ordinibus, ab Aula denique tua summo cum apparatu summâque veneratione aditus. Ingressus est in vrbem pretiosa sub vmbella cum vnico Fratre tuo, qui veluti Sol alter aureus emicabat: hic nobilissimo maximi Principis ornatu, ille in Cardinalitia Lega-

ti purpura, iunctim incedebant, gemmarum & vnionum varietate, igne & splendore inæstimabili, veluti gemini soles ita præfulgentes, vt spectantium oculos perstringerent. Antecedebat vmbellam Dux Luxemburgius variíque alij proceres. Ponè sequebantur Archiepiscopi & Episcopi innumeri, omnésque admirabili grauitate atque temperato passu spectabiles erant, donec ad Templum D. Virginis peruentum est, vbi solemnia sacra erudita harmoniæ consensu protinus inchoantur. Et sanè sæpissimè testatus est Illustrissimus Cardinalis se nihil vnquam vel legisse, vel audiuisse, vel vidisse quod decus eximium & magnificentiam tuam vrbísve tuæ vel tuorum exuperaret. Quis verò non miretur amplitudinem tuam & authoritatem, quæ tacita quadam vi ad amicitam & ad venerationem vnumquemque adigit? Sed voluisti sanctam illam sacræ & Apostolicæ dignitatis Sedem celsissimam venerari, & singulari erga Rom. Ecclesiam obseruantia, atque insigni & assiduo officio ceteros omnes terrarum Principes & Reges longo interuallo superare, nec vlla in re alia nobiliorem te voluntatis istius significationem exprimere vel dare posse posteritati indicauisti. Porrò nullus intermissus fuit dies quin Illustriss. Legato & priuatim & publicè testatus fueris, te nihil quod ad publicam concordiam & tranquillitatem constituendam aut conseruandam spectaret prætermissurum. Inter hæc taceam Illustrissimi & generosissimi Cardinaliis RICHELII splendidissimum in excellentissimo Reginæ Matris augustissimæ hospitio, mensæ rerúmque omnium apparatum, quo sanctæ Sedis Romanæ Legatus illustrissimus, cæterique summi Pontificis, Regum, Principum & Rerum publicarum Legati magnifico & ingenti splendore liberaliter excepti sunt? Apparatus illius dignitas & incredibilis ordo maximam vel externorum Principum omnium pompam atque amplitudinem longo post se interuallo reliquisse creditur. Aderant hospitalis mensæ regales & exquisitæ per totum regnum epulæ: Aderat musicus concentus vno quoque peritissimo artificum & phonascorum ascito, tantáque symphoniacæ modulations festiuitate, & tanto concertationis studio è diuersissimis numeris edito, vt nulla vnquam dulcior harmoniæ ratio & mulcedo à nobis audita fuerit. Præterea diuersis partibus

artificio miro vndiquaque ignes immiſſi exarſere, & ſubditis artificioſè flammis penè totus aër efferbuit. Innumerabiles erant igneæ formæ, inter ſe tamen diſpares, quæ curſus ordinatos referebant, lapſúque multiplici & erratico ſerpebant. Volabant ad æthera variæ ſtellæ & figuræ quæ per vmbram ſe multo fulgore attollentes hinc & inde ſurſúmque ac deorſum curſitabant, deinde ſenſim ſe condebant, vel in aëre euaneſcebant. Parte alia lychni vndique appoſiti, turbæ incredibili atque erranti & per cuncta paſſim ferenti oculos cum ſtupore lucem incredibilem exhibebant. Grata alibi incendia varios æſtus vndique voluebant viámque in obſcura nocte pulcherrimam ſignabant. Quinetiam ignis & aër vario impulſu hinc & inde pellebantur. Varia quoque ſimulachra tuentium mortales viſus hebetabant, & ignes innumeros euomebant. Ardentes prætereà longóque limite fulgentes flammarum ſulci & diuerſo anfractu ignium circuli omnia circùm loca lumine continuo mirabilíque complebant: licétque omnis videretur conſidere in ignes Lutetia, tamen ipſa feſtiuo lumine, Sequanæque præter labentis lata litora ingenti omnium lætitia procul effulgebant. Quàm iucundum fuit conſpicere circumfuſam multitudinem flammam inter & ignem ignea quadam celeritate ſeſe innoxiè & alacriter expedientem! Quàm gratum verò fuit conſpicere Sanctę Romanę Sedis Illuſtriſſimum Legatum, tótque illuſtres Legatos aduerſo ſub cœlo natos, diuerſis moribus educatos, diuerſis opinionibus imbutos, in eadem aula, eodémque tecto, ſine vllo diſcrimine religionis, ſine rixa, ſine contentione ſe mutuò excipientes ſimúlque diſcumbentes, atque ipſi Apoſtolico Legato, vt par erat, debitum honorem & obſeruantiam exhibentes! Quàm auguſtum fuit intueri tres potentiſſimas totius Europæ Reginas, omnem Heroinarum, quas antiqui coluere, dignitatem atque amplitudinem & decus, triplicis Regiæ maieſtatis ſplendore cultúque trium quaſi numinum ſuperantes! Quis autem non miretur Regii ſanguinis Principes, Galliæque proceres, & eos inter, Fratrem tuum generoſiſsimum Principem, velut alterum intonſa coma decorum Apollinem, ſupra cæteros mortales fulgore vndique collucentem? Quàm denique ſtupendum fuit te, qui priùs inter prælia Martem ip-

ſum referebas, in hac publica omnium lætitia & in hoc Heroum vel potiùs Semideorum conſeſſu Iouem ipſum dignitate, cultu, & maieſtate referentem intueri! Tu tamen licèt maieſtate totus refulgens, vnumquemque benignus excipis, & læto lumine mentibus omnium tuæ beneuolentiæ ſpem magnam & opinionem iniicis. Quippe nihil dignius magnanimo Principe vel præſtantius quàm humaniori congreſſu vel allocutione omnes à ſe lætos dimittere, & ſui quaſi fomites amoris pectoribus humanis ſubiungere. Fuit verò Richelij Cardinalis illius ampliſſimi cogitatio nobilis & illuſtris; licèt enim tibi deuotæ fidei, ſingularis prudentiæ, perſpicacis ingenij, maturíque iudicij, & exactæ pietatis atqud officij debiti præclara documenta in dies atque in variis maximi momenti negotiis exhibeat, non tamen exiſtimauit dignori occaſione vel argumento omnibus poſſe teſtari ſe tibi, Rex Chriſtianiſſime, pro tuis erga illum beneficiis deuinctum eſſe, quàm ſi tuis auſpiciis cœtum illum tam ſplendidè exciperet, magnificentiæque ſtudium per omnes liberalitatis numeros luculentiſſimè extenderet. Præterea ſe beatum duxit ſi benemerito Principi debitam obſeruantiam deferret, vel ſi dignus iudicaretur, qui à Principe ſuo gratiæ depoſitum conſtantiſſimè iuxta ac fideliſſimè cuſtodiret. Materiam beneficij præbuiſti, dignúſque fuit qui acciperet tam largè repenſurus; nec ſe tamen beneficio, ſed officio functum eſſe vbique prædicat. An verò præteream, quàm ſis in Eccluſiaſticis, militaribus & domeſticis munerjbus conferendis æquus æſtimator? Dum primùm quidem Alphonſum Pleſsium Richelium ad Archiepiſcopatum Aquenſem nominas: eam diligentiam, integritatem, animi candorem fidémque in te colendo, quam ſemper adhibuit Illuſtriſſ. ille Cardinalis Richelius, iiſdem laudibus & nominibus præclarè audiens frater adhibebit. Interea gratulatur illius inaugurationi Prouincia tota, cui talis paſtor mittitur, ob ſummam tanti viri doctrinam, & gentis illuſtriſsimæ dignitatem, nec diſcrepantem à probitate pietatem. Tu quoque Schombergium, Equitum Tribunum, Proregémque Lemouicenſem & Santonenſem renuntias, tibique in poſterum aſſerere totum conſtituis, vt dextra fortitudine & ſalubri conſilio tanti viri feliciſſimè fruaris. Tu deni-

que loco Arnaldi ſtrenui & generoſi Equitis apud Fontem Naiadum fatis erepte paulò antè, Toiraſſium generoſum Equitem legioni Campanæ & Rupellenſi propugnaculo præficis. At verò quamuis natura ſit inſitum mortalibus recentem aliorum felicitatem iniquo & toruo lumine contueri, tamen creſcentis eorum omnium dignitatis non fuit comes obtrectatio, eam aſpirante fortunâ, ſuóque merito & benignitate tua feliciter effugerunt, licèt nulla ſit tam modeſta felicitas, quæ acerrimos longè omnium motus inuidiæ poſſit ſuſtinere. His ergo confectis te digniſſimum ingeniorum arbitrum præſtitiſti, vt qui ſummo iudicio ea quæ multi ardentiùs exigere ſoleant, ſponte conferas: virtuti apud te locus honeſtus nunquam deeſſe ſolet, efficíſque vt infeſtam poſſit illa effugere obtrectationem. Sed quis non miretur Iuſtitiam ſimul & tuam Clementiam in inſtitutióne Cameræ de pecuniis repetundis, quæ terrorem in poſterum incutiet, & auaram habendi ſitim comprimet? Cameræ præfectus fuit H. Memmius Senatûs Pariſienſis Præſes digniſſimus, cum plurimis aliis è Senatu, è Camera Rationum Regiarum, & Curia Vectigalium, cæteríſque Regni tui Curiis primæ notæ viris. Repetundarum autem accuſati ſunt nonnulli & damnati: ſi quidem repetundarum nomine poteſt agi non ſolùm ciuiliter in quadrupulum, ſed & criminaliter ad pœnam, quæ plerumque eſt exilij vel mortis: nempe duriùs aliquoties repetumdarum rei pro criminis admiſſi qualitate puniuntur. Ea verò tenentur actione qui in poteſtate, magiſtratu, curatione, legatione vel quouis alio munere vel officio vel miniſterio publico pecuniam acceperunt, vel extorſerunt, quíve magiſtratus à ſorde ſe non abſtinuerunt. Hæc inter comprehenduntur aliqui, plectuntur nonnulli, citiſſimè diffugiunt alij; qui ſuperant, pro reliquis ad clementiam tuam confugiunt, planè regiam & admirabilem. Interea in nonnullos accuſatio vindicta potiùs vel inuidia quam iuſtitia partes ſuas plenè exercebat, quùm terror omnis tandem aliquando, propitiæ fortunæ, imò potiùs auguſtiſſimæ, & poſt homines natos benigniſſimæ, & beneficentiſſimæ Reginæ Matris interuentu tandem aliquando depulſus eſt. Scilicet illius precibus haud

dubiæ ruinæ metum nōnulli euitarunt, & opportunè accessit clemētia tua per id ipsum tēpus quo tristes de variis sententiæ ferebãtur. Ita totus tempestatis impetus euanuit, cùm effugere pœnam eo potissimùm tempore multi innocentia sua posse crederent & sperarēt. Nulla re magis ad Deū accedere videtur magnanimus Princeps, quàm salute hominibus condonanda: ideóq; candida & læta desuper affulsit dies iis omnibus qui benignitate & clementia supremam imperij authoritatem tēperauere; nec seruos, sed liberos, nec nocentes, sed accusatos sibi subditos cogitauere. Moderatus subditorum timor crimina cohibet, immodicus nocentes vel suspectos in desperationem trahit fuit; clementiæ præcipuum opus: pepercisse, dum præcipuè non omnes, sed pauci sontes sunt. At orbis Gallici gloriam nescio quo fato Sors iniqua & inuida stitit & interrupit. Subisius sortis suæ pertæsus, nautarum quorundam & plebis Rupellanæ credula suffragatione suffultus, classem colligit, militibúsque nonnullis conuenire iussis mare conscendit, vel Nannetensem vrbem, vel arcem, aut portum aliquem magni momenti per insidias capturus, vel oppugnaturus. Sed aggressione Nannetensi non sine felici salutiferæ sortis beneficio contra spem hostium detecta, in Ream Insulam contendit, ibíque nonnullis interceptis nauigijs omni bellico apparatu diligenter exornatis, Blauetium appellit & aggreditur. Portus est ad maritimas negotiationes opportunissimus, qui tutissimam nauigantibus in mari stationem præbere solet, castróque in ipsa rupe ædificato tam commodè munitus, vt Oceano leges indicere videatur. Consilio fœderatorum à te, Rex Christianissime, detecto, statim portui prouides. Hostis omnibus, quæ ad illius oppugnationem opus erant vndique comparatis & expositis in terram copijs castra ponit cum tormentorum apparatu, oppidúmque expugnare aggreditur; sed re infeliciter tentata, vrbe Blauetensi quam iam occuparat eijcitur, portúque pellitùr. Et hîc egregiam operam nauarunt multi proceres non leui commendatione digni. Tum classem & maritimum apparatum adornas, nauésque Batauas & Britannicas tanta spe victoriæ comparas, vt hostem vel includere vel tota maris possessione deturbare tibi

tibi promittas: sed aliquoties tuis nauigantibus aduersi fuere venti & ingenti tempestate iactati tardiùs quàm volebant, incolumi tamen classe, primò quidem in Britanniam, & Blauetium, deinde ad Insularum maris Pictonici, Alnetensis & Santonici portus appulêre. Ab eo tempore varij insultus terrestres & maritimi, & varia hinc inde prælia commissa fuere pari fere vtrimque iactura. Insula tamen Medocia, quam Subisius occupauerat, à Toirasio strenuè atque feliciter eijcitur. Hæc Subisij commotio & contumacia fratrem Rohannæum Ducem & vrbes nonnullas etiam in partem factionis vocat. Aquitanicæ, Occitanicæ & Petragoricensi rebellioni tuo iussu Spernonius Dux fortissimus cum validis copijs, vt & Theminius Equitum Tribunus, nec non & Marchio Portæus feliciter occurrunt. Parte alia Pictonicæ & prouinciarum finitimarum rebellibus Praslinium Equitum Tribunum, posteáque illius loco Theminium alterum Equitum Tribunum, Ducem Halluinium, Comitem Rupifulcadium, Sanlucium, Toirasium illum, Brassacum Barlotium, alióſque proceres nonnullos opponis: qui omnes multa fortitudinis & animi excelsi specimina exhibuerunt. Interim varij interponuntur tractatus in gratiam hostium & vrbium inimicarum, æquæ conditiones à te offensionum pro salute publica contemptorem animum gerente offeruntur; à perduellibus & quidem excæcatis recusantur tamen, qui tenui quodam successu inflati omnia respuunt, plebis Rupellanæ suasione. Nimirum plebs inconsulta & nouarum rerum cupida nihil nisi libidinem in consilio habet, nihilque ratione, sed euentu omnia metitur, & ad res gerendas præceps ruit. Hostis igitur rerum aliquo felici exitu efferuescere cœpit, dum ex improuisis, repentinis & lætis potiùs quàm consultis & cogitatis ad audaciam erigitur. Paucis pòst interiectis mensibus H. Momorantius dignissimus Archithalassus in classem tendit, & inter eum alióſque proceres, quibusnam modis hostes terra maríque inuadere possent, consilium agitatur. Hinc summa celeritate Rupellæ aditus intercluditur, frustra renuentibus hostibus, plurimisque eorum confossis. Parte alia litoralis auræ beneficio prouehitur Archithalassus: illa tuis cuncta prospera pollicebatur, maximéque ad cursum & ad prælium certo velorum

H

flexu erat accommodata : & quoniam opportunitatis, loci, temporis ac rei momenta redire nequeunt, ideò minimè prætermissa fuere. Itaque vbi feliciter adnauigatum est, magna fit in classem hostilem & repentina concursatio, sustinet hostis impetum, acriter pugnatur, in eius classem tui cominùs inuehuntur, dimicatur vtrimque summa contentione, sed tui tandem hostium nauibus potiuntur, quorum multi se dedunt, multi cæduntur, classis dissipatur, apparatus nauium capiuntur, ingénsque armorum & tormentorum copia, quæ omnia singulari Ducum beneficio militibus cedunt. Denique nauigia quædam merguntur, alia diripiuntur, alia seruantur: & nisi ventus exortus fuisset, tui tota hostium classe potiti fuissent. Pari felicitate terra ac mari certatum est. Rea insula & altera Oleronis, Rupellæ commodæ & opportunæ atque eius altrices capiuntur; Subisio frustra renitente, qui copias omnes exposuerat, & prælio ibi infeliciter commisso se recipere coactus fuerat, Reámque & Oleronem insulas in tua ditione liberas relinquere. Itaque hostis terra marique expulsus & exul, sine viris, sine classe, sine armis fluctuat, magnámque Britanniam pererrat, qui potuit à te veniam impetrare, ídque neglexit, dum habuit eius rei idoneam opportunitatem. Ei qui facultatem prætermittit, nec se rei gerendæ statim accommodat, vix licet in posterum quod amissum est recuperare. Ita se res habent humanæ, vt nulla sit in eis diuturna felicitas, nec occasio tarditati obnoxia. Ob tam secundum prælium nauale commissum supplicationes à te bis victore toto regno indictæ, quòd Pontus & fortuna tibi iussu Numinis, quod rarum est, tuísque militibus obsecundarint. Quid memorem grauissimum & celeberrimum Cleri Gallici conuentum Lutetiæ habitum, in quo tot celebrium Patrum fides, pietas, candor & obsequium erga te & religionis cultum penitus emicuit? Et hìc quidem etiam innotuit nullum esse præter sanctissimum Cardinalium Collegium in toto Orbe terrarum Ecclesiæ Catholicæ digniorem & augustiorem cœtum: Nullum esse, te præter, Principem, qui grauissimum illum ordinem maiori studio vel pietate condecoret; vnde Regis Christianissimi nomen non solùm hæreditario, sed etiam nouo iure tibi competit. Hæc inter succedit Verrüensis obsidio,

quam Hispanus, Gallos & Allobrogas vehementer indignatus vastationem fecisse per Insubriam, Liguriam & Marchionatum Monferratensem, numeroso quidem exercitu, sed infelici exitu aggressus est. Tu nempe vrbi auxilia immittis, commeatu & militibus eam abundantissimè iuxtà ac opportunissimè munis. Aduolat continuò miles tuus, & in conspectu hostis copias explicat. Hispanus certamen oblatum recusat, & ingenti conatu atque cuniculis & tormentis obsessos premit, vrget acriùs: sed opportunam laborantibus opem fert iussu tuo Diguierius ille summus Equitum Magister: Gallos hostiliter irrumpentes reprimere non potest Hispanus, summæque insaniæ iudicans diutiùs in obsidione remanere contra hostem bello acrem & veteranis legionibus confirmatum, sarcinas colligit. Gallus pugnæ auidus nihil de sua celeritate remittens Hispanum in fugam se fœdè conijcientem insequitur, qui signis retrò conuersis & complicatis, non repugnando, sed fugiendo constantissimè se recepit. Parte alia in vrbe Virodunensi, duce Marillaco, nobili, strenuo & generoso Equite, stupendam illam arcem excitas, & excitatam promoues, quæ totam Germaniam Bataniam & Heluetiam stupore percellit; nec minùs tamen earum populos ad pristinæ dignitatis & libertatis spem erigit: vnde tot insignibus titulis tuis non modò Protectoris gloria, verùm etiam Liberatoris laurea salutaris accedit. Inter hæc pestifera illa doctrina in caput Regum & Imperatorum consurgit, publicatúrque super ea re clanculùm libellus, quem Ballolius Proprætor generosus igne cremandum manu carnificis censuit: egregiam hîc & fidelem operam quoq; nauante Moræo rerum capitaliũ Proprætore, Ferrãdo Assessore, & consessu Presidali. Totius Galliæ Clerus Lutetiã coactus hac in parte se tibi etiã deuotissimũ exhibet, eúmque libellum censura notabili condemnat. Vt serpentem illius doctrinæ cursum Senatus reprimeret (quod euenit) supremam quoque suam in re tanti momenti authoritatem interponit. Cleri itaque decretum ab Episcopo Carnutensi conscriptum approbat augustissima Curia ad id coacta, in qua Nicolaus Verdunus Senatus Princeps, Hacqueuillæus, Iayus, Belleuræus, Memmius, Poterius Noulonius & Seguierius, septem illius augustissimi cœtus

ductores & Præsides, veluti septem in cœlo lucidissimi planetæ, præ alijs luce mirabili fulgebant. Partes quoque suas hîc egerunt generosissimi Senatores, & Regis Triumuiri sapientissimi, L. Seruinus, deinde M. Mollæus meritissimus Procurator Catholicus, & I. Talæus præstantissimus nunc certè primus Patronus Regius Seruino defuncto cui Bignonius dignissimus successor datus est. Hinc grauissimũ Curiæ decretum editur, quo impia ista doctrina, cuius prætextu Reges & Principes execranda coitione petuntur, omniáque diuina & humana iura violantur, vt sæpe aliâs condemnatur. Atque ita Senatus se Regij tui nominis acerrimum vindicem & assertorem ostendit. Quid tali decreto generosius, quid tibi salutarius, quid authoritati tuæ conuenientius fuit? Et sanè continuò publicationem abominandæ illius doctrinæ repressit, & venerabilem sanctámque Sorbonam generosámque Academiam excitauit, vt suis pariter decretis, ad Curiæ Senatusconsultum Cleríque sententiam accederent. Succedit impetrata per Reginam Matrem augustissimam rebellibus venia. Eodem etiam momento pacem Hispani multis à te precibus extorquent adnitente summo Pontifice. Tu clementis animi atque mitis & placidæ naturæ, Tu generositatis & animi magnitudinis atque fortitudinis laude celebrandus, Tu iniuriarum omnium & veterum offensionum immemor, publicæque tranquillitati pro turbulento rerum statu opportunè studens, læti tandem otij atque pacis aureæ sæculum condere cogitans, omnibus quietem petentibus concedis, illis apprimè vtilem ac necessariam, tibi perhonorificam: quum propugnaculum illud Rupellense à te excitatum remaneat; & quod ad Hispanos attinet, Valtelina tuis armis subacta legitimæ subiaceat potestati. Id temporis maritimam nauigationem adornare, commercia iampridem omissa restituere, liberámque commeandi & contrahendi facultatem ab his qui merces vltro citróque conuehunt, seu Galli seu sint exteri, libentissimè concedere, & eorum omnium supremam curam mandare Illustrissimo Cardinali Richelio constituis. Animus illius non nisi magni momenti rebus intenditur, & inferiora spernit omnia. Cæterùm inter hæc exoritur in populum annonæ summa difficultas à varijs frumenti transportationibus in ex-

teras prouincias, ab assiduis & importunis imbrium tempestatibus, necnon ab aëris infesti grauibus incommodis, & à varijs mercatorum & negotiatorum monopolijs: Tu in hac annonæ penuria, populi amans & in egenos planè liberalis, mercatorum rapacitatem & auiditatem coërcuisti, & singularis erga patriam pietatis specimen exhibuisti, frumento tuis partim impensis per vrbem aduentitio, & egentibus miro tuo officio & admirabili charitate non semel subleuatis; id satagente potissimum M. Marillaco tunc supremo Ærarij tui Præfecto meritissimo. Nec omittendum est te annonæ præscripta lege pretium fecisse, vrbémque tuam & vicinas prouincias, illarúmque horrea copiosissimis frugibus repleta continuò reddidisse decreto Curiæ tuæ supremæ peropportunè interposito, curáque singulari Ballolij Proprætoris: sic tantis malis & periculis insigni tua benignitate & munificentia obuiam itum est, tanto omnium ordinum applausu, vt te omnes publica vocum ac voluntatum consensione verum populi Parentem dicerent. Hæc inter sacri Sigilli custodiam ipsi Marillaco pietate, doctrina, rerum cognitione & vsu, natalium dignitate, & incredibili studio Iustitiæ præcellenti committis: quod munus hodie ingenti cum laudis præconio dignissimè iuxtà ac generosissimè tuetur atque sustinet. Tu quoque Marchionem Defiatium non solùm bellica fortitudine & familiæ splendore, sed ingenij acumine rerúmque omnium peritia præstantem Regiæ gazæ supremum moderatorem & præfectum merito iure constituis, perpendens quanto cum ardore quámque impensè tibi sint Coronæque tuæ addicti, vtque auctoritati Regiæ continuò & prudenter inuigilent. Denique Estræum & Sanlucium strenuos proceres Equitum Tribunos & Sansimonem nobili Equitio tuo præpositum renuncias: Belloclerúmque tuum Villaclerio, Dherbaudæo & Dauquerrio fidissimis quoque à sacris mandatis & epistolis felicissimè adiungis, nec non Marionium integerrimum magni Consilij Præsidem ærarij sacri Adnotatorem & Antigraphea, & Dureto Cheurio dignissimo rationum Regiarum Præsidi Malleriòque Houssæo Regiæ etiam gazæ præfectis Castilium adscribis, eorúmque omnium felici nunc opera mirus æstimator ingeniorum vteris. Orationem ad se vocat Iubilæi

sacrosanctus annus, quem Christiani summa cum pietate celebrant. Licèt autem ingentium & assiduarum vis & incursus pluuiarum vias totas vrbis infestaret; licèt ventorum rabies & accessus cum impetu ruens homines & omnia turbinibus variis & concursu vehementi ac proteruo huc illuc impelleret; licèt cœli status imbrifer ipsum aërem tenebrosum & pice nigriorem redderet, omniáque inferiora fœdaret licèt denique populi cursitantis & huc & illuc progredientis multitudo incredibilis vias impleret, & frequenti occursu non parum incommodi afferret: Tu tamen pedes populari per cœnum turbæ immistus, ventóque & imbre pulsatus, quas sacras ædes & templa præscripta triduo humilis & supplex non adiisti? Quæ vota sacras ad aras non concepisti? Quas preces præter à Pontifice præscriptas non emisisti? Quod denique memorabile exemplum summæ religionis ac sanctimoniæ tuis subditis luculentissimè non præstitisti? Te itaque magna cum humilitate progredientem tota ciuitas in sinu atque oculis ferebat, te incredibili quadam caritate complectens inusitato honore & officio prosequebatur. Fuit hæc Gallorum Regibus virtus vt religioni alia omnia posthaberent, cultuíque pietatis se totos penitùs deuouerent. Hoc exemplo in vero Dei cultu non tantùm ipse te populósque tuos contines, verùm etiam illius incrementum primam tibi rerum omnium esse putas; Támque viuido & ardenti pietatis spiculo, tamquam penetrabili telo, vsque ad intima præcordia transfixus & transuerberatus fuisti, ita totus in Christo & corpore & anima fuisti, vt nulla interposita mora, nulla intermissione facta te totum facilem & morigerum Ecclesiæ mandatis præbueris. Ita summi Pontificis non expectata graui admonitione perculsus fuisti, vt post religionem ponenda esse duxeris omnia etiam in quibus summæ maiestatis decus conspici solet. Non mirum igitur si tibi conseruando Imperióque tuo Gallico custodiendo & augendo Christi Saluatoris indulgentia semper incubuerit. Tuo & Reginarum exemplo Frater tuus vnicus Princeps illustrissimus anni quoque difficilimo tempore nullum laboris, nullum tædij genus recusauit. Ita nescio quid maioris venerationis ac sanctimoniæ huic tempori solet inesse: nec studiosiùs vnquam à quo-

quam sacra illa celebrata fnere, quàm à te Principe augustiss. & à tuis salutaris hic & lustricus Iubilæi annus fuit obitus, qui seruitutem peccati Christiano ritu, vt Principes Christianos decet, expiare voluisti. Quid memorem illustrissimæ Reginæ Matris & Vxoris tuæ dilectissimæ diligens & ardens in obseruando istius Iubilæi sacro tempore studium & officium? Nec ab illius cultu, vel temporis acerbitate, vel pluuiarum importuna assiduitate, vel cõtinuatione absterreri potuerunt; nec etiam eorum quæ ad curam, decus & obseruationem religionis attinent aliquid prætermittere voluerunt: sed in medio Ecclesiæ gremio natæ & educatæ, tot ceremonijs, tot pijs actionibus, tot sacramentis confirmatæ, igne cœlestis gratiæ puriores, debita religioni non parum curiosè exoluerunt. Sic vniones & gemmæ rore cœlesti & illustrioribus Solis ignibus & radijs non solùm aluntur, sed puriores efficiuntur. Te tuósque omnes imitantur tot Principes, proceres, magistratus & populus tuus tanta cum testificatione pietatis Christianæ, vt magnam spem omnibus fecerint eorum omnium preces ardentes & pias Deum omnipotentem accepturum. Tu pro salute populi tui, vicissim illi omnes pro salute tua Principis sibi charissimi vota nuncuparunt. Et dubitamus adhuc Deum Opt. Max. tui, qui tam pius ac religiosus es, perpetuam curam habiturum; quíque subleuata inopia & annonæ caritate, atque confecto piè & sanctè Iubilæo, támque multis ardentibus & sollicitis precibus, tam multis salutaribus eleemosynis, tam multis opportunis oblationibus cœli benigni indulgentiam tibi conciliaueris? Hæc inter molitiones quædam exoriuntur quæ littus Britannicum totámque regionem Armoricam infestare videbantur: sed vt sole illucescente tenues qui cælum turbare solent nimbi & procellæ deficiunt & extinguuntur; sic coitiones istæ eodem propemodum die quo nascuntur, extemplò concidunt: scilicet tempestati prudenter occurris, in vrbem Nannetensem aduolas, tuúmque felicem & præpotentem Genium oræ Britannicæ pacem & tranquillitatem conciliaturum communicas. Nec mora, comitia per prouinciam indicuntur & habentur; ex Armorica conueniunt omnium ordinum legati vt te salutent, tanto apparatu & pompa vt Re-

gem verè Christianissimum decet, tanto cultu & obseruantia vtNumen verè patrium & tutelare, tanta denique alacritate & applausu vt parentem optimũ. Nunquam aliâs Comitia prouinciæ & numero tam ampla & dignitate tam excellentia scriptis vel hominum memoria celebrata fuere; nunquam aliâs Solem sibi splendidiorem & magis aspectabilem illuxisse Armorici confitentur. Comitijs cum Regina Matre augustissima interfuisti, populo quietem, prouinciæ salutem, tibi authoritatem firmasti, iussu tuo grauiter & apposité perorante M. Marillaco sacri sigilli custode dignissimo, qui nunc blanda & suaui adhortatione tuos ad officium inuitat, nunc graui & prespicua oratione voluntatem & oracula tua prudenter edicit & explicat, persuadentis & monentis æquè partes sustinens & adimplens, omnésque ad debitam genuinæ legitimæque potestatis obedientiam felicissimè reuocans. Sub id tempus tot inter sæculi nostri præcipuos Heroas te solo minor generosissimus & illustrissimus Princeps Dux Aurelianensis Mompenseriæ Ducissæ lectissimæ Principi, rara quidem, sed non diuturna sortis felicitate iungitur, quæ pro dotali munere in tanti Principis domũ ingẽtes possessiones intulit. Tu quoq; notus in fratrem animi verè paterni planéque Regij, nobilissimos illi & opulentissimos reditus concessisti. Atque ita singularem apud omnes amicitiæ penitus germanæ & propensæ liberalitatis laudem consecutus es. Nullum sanè dignius tanto Heroi connubium conciliari poterat, quàm Regiæ & longè nobilissimæ stirpi sanguinem tuum iterum inserendo, & in gratiam paternæ & auitæ familiæ duplex affinitatis vinculum adiungendo. Sponsaliorum ritibus pompa solemni peractis, postridie sacra nuptiarum successere. Quæ omnia singuláque cæremoniarum munia illustrissimus Cardinalis Richelius magna cum maiestate summáque dignitate & ingenti sanctimonia obiuit. Nuptiæ verò apparatu incredibili fuerunt celebratæ; eas honestare voluisti tua & vtriusque Reginæ præsentia; mox epulum Persico luxu fuit extructum, talísque tormentorum fragor & tubarum clangor auras pulsauit, tantus musicæ rei concentus aures demulsit, vt nullus vnquam sonitus grauior, nullus vnquam suauior concentus auditus fuerit. Rebus in Britannia compositis nuptijsque celebratis

in

in agrum Parisiensem recurris, & consilio cum Regina Matre communicato, conuentum Procerum habere constituis, vt rebus, miserijs, calamitatibus publicis prouideas. Itaque supremarum Regni tui Curiarum Principes, Catholicos Cognitores, nonnullos è sancto Clero & è precipua nobilitate proceres nobilissimos eligis, qui cœtui celeberrimo, in magnifica ædium Tegulariarum aula interfuere. Atque in tam celebri consessu tibi adsistentibus ipsa augustissima Regina Matre, dilectissima Coniuge tua, generosissimóque Fratre vnico, verba etiam in rem publicam fecisti, verè militari specie & illustri formæ dignitate, atque liberali vitæ splendore bellicosissimi Ducis fortitudinem, æquissimi Principis maiestatem, atque optimi patris humanitatem præ te ferens. Excepit M. Marillacus sacri sigilli custos qui graui & ornato sermone voluntatem tuam aperuit. Sequutus est iussu tuo Schombergius, qui præcipuè de re militari, cuius per experimenta perfectè callet notitiam, multa fortiter & generosè dixit, abusus ostendit, & remedia explicuit. Orationem subiunxit iussu tuo generosissimus Cardinalis Richelius, qui miras ingenij dotes, vim iudicij inauditam, & incredibiles multiplicis eruditionis opes audiendi cupido cœtui exposuit: quíque solertissimo verborum nitore, sententiarum mirabili grauitate, vberrima dicendi copia & actionis summa dignitate, multa Regi regnóque vtilia, variáque rari & excellentis ingenij miracula in apertum protulit. Tot monitis excitus ille cœtus multa quoque fidei, pietatis & propensi erga te animi documenta ediderat, quorum partem præcipuam exequi constitueras, nisi fatorum iniuria obstitisset. Per eos dies Aurelianensis Ducissa Princeps optima erepta fatis à suorum aspectu discessit. Ea mors te, Rex optime, & Reginas augustissimas, præcipuéque Fratrem tuum excellentissimum Principem luctu & mœrore incredibili compleuit. Accessit ad tuum & publicum mœtorem febris tertiana, cuius æstu in eos valetudinum fluctus incidisti, ex quibus emergere vix potuisti, licèt corpus tibi à natura tributum quod firma membrorum compage ad athleticum penè robur accederet, & eorum Medicorum industria & officio sis vsus, qui plurimùm consilio, atque arte valerent, quíque ob exi-

mium erga te amorem debitámque obseruantiam & obsequium, singulari quadam salutis tuæ cupiditate ducerentur. Quibus malis nisi Dei auxilio assiduísque charissimæ Reginæ Matris & Vxoris amantissimæ, Richeliíque Cardinalis illustrissimi & pijssimi perpetuò tibi assidentium precibus ad Deum, & prudenti Medicorum consilio prouisum fuisset, magnum Galliæ omnino periculum imminebat. Sanè perspeximus quantum eorum presentia ad subleuandas corporis morbo affecti vires cuncta Medicæ artis remedia, salubri & efficaci potestate superaret. His artibus & auxilijs sanitatem recepisti: At enim, Rex potentissime, nunquam me authore committes firmus, vt in secunda valetudine aduersæ præsidia consumas. Nemo tamen dignè poterit vnquam exprimere quanto ardore, quanta alacritate Gallia tota, præcipuéque tua Lutetia tibi ægrotanti, publicis tacitisque precibus pietatis & amoris debiti officium præstiterint; ita vt paulatim & haud multo labore ad pristinam sanitatem redieris, depulsis sensim morbi difficultatibus & ærumnis. Sub id tempus Rupella, varijs motuum & perturbationum fluctibus agitata, factiosis tandem in ea præpollentibus, Anglicæ aggressioni & audaciæ fauere conspicitur & ab illustrissimo & generosissimo principe Duce Aureliano, te ægrotante, arctissimè & vigilantissimè obsidetur: postmodùmque à te varijs excitatis propugnaculis & rugenti communicationum linea, atque aggeribus admirandis terra marique cingitur. Sed ô miseram & luctuosam ciuitatem, in qua omnia ex libidine, ex simultate & ex leuitate transiguntur; vbi plus vulgi temerarij opinio quàm ratio reuerendúmque nomen Principis obtinent; vbi patriæ, Regij imperij atque summæ Majestatis obliuio paulatim gliscit, & externi principatus per inania & fraudulenta blandimenta cupiditas sensim obrepens in apertam postmodum audaciam insolenter erumpit! Verùm hæc expeditio Anglis parum prosperè cessit, quin potiùs cum insigni rerum suarum detrimento in Angliam reuerti, Insulam Ream sanguine Britannico imbutam eorúmque spolijs ornatam, & indefensam Rupellam relinquere coacti sunt. Quæ duccedit consilio tuo, virtute animique magnitudine atque auspicijs tuis Rex inuictissimè: cura, ordine, ductuque

illustrissimi & vigilentissimi Cardinalis Richelij, manuque Schombergij Ducis fortissimi, Marillaci, Torrassij, aliorumq; Galliæ procerum & Equitum. Expeditionem illam & obsidionem Rupellanam iusso tuo, peculiari commentario posteritati quoque consignabimus: scilicet longioris halitus & placidioris otij panegyrim vtraque postulat, nobísque secundus obsidionis illius exitus splendidiora verba sufficier, geniúsq; tuus liberiorem & feliciiorem spiritum & afflatum suggeret. Te deus interea tuámque domum augustissimam, ac tua Lilia florentissima, & cœlo non sine mysterio demissa conseruet! Lilia quidem tibi peculiaria & tam aptè conuenientia in ęternum ab omni iniuria protegat, & ab impia manu potissimùm afferat & defendat! Nam vt candor in Lilij folijs, & in medio sinu floris, auri splendor enitet & effulget; sic candida tua fides ex operibus tuis & è pectore pietatis aureus fulgor emicat. Vtq; Lilio nihil gratius ob coloris decentiā, nihil blandius ob odoris suauitatem, nihil efficacius est ob virtutis copiam; Sic Majestate tua nihil est augustius ob dignitatis excellentiam; animi magnitudine nihil generosius ob fortitudinem; virtute tua nihil excellentius ob virium abundantiam. Atque vt flos Lilij planus est, suauis tactu, visu delectabilis & iucundus, formáque rotunda omnium capacissima decorus; Sic tu planè mansuetus, clementia lenis, ore & aspectu floridus & decorus, Iustitiáque virtutum omnium sanctissima venerandus. Vt etiam Lilij radix contra serpentum ictus & morsus & venena præualet; Sic tua quoque virtus & pietas contra pestiferam & impiam tuorum hostium machinationem præstantissimum est remedium. Vt denique in Lilio seminis teneritudo & mollities, floris circùm expansi beneficio ab omni læsione aëris & intemperie custoditur; Sic tuæ Majestatis innocentia & authoritas, Dei Optimi Maximi beneficio ab omni sortis iniquæ periculo & discrimine protegetur, & in perpetuum illæsa Galliæ & Europæ seruabitur.

EXPEDITIO VALTELINÆA AVSPICIIS LVDOVICI IVSTI REGIS INVICTISSIMI ET CHRISTIANISSIMI SVSCEPTA.

EXPEDITIONEM Valtelinæam auspicijs LVDOVICI IVSTI *Regis Inuictiss. susceptam, breui, nuda & simplici narratione gentibus exteris explicare iubeor, & pro meo in Regem ac Regnum officio & auita in patriam pietate contendo: Illiúsque discussio non aliunde quàm ab ipsa veritate, nullis oratorijs flosculis, nulla exemplorum varietate, nullis eloquentiæ pigmentis adornata, laudem aliquam iustiùs assequetur. Sic gratissima florum copia non tantum decoris à situ, loco & aspectu, quàm ab innata odorum suauitate & insita venustate consequitur. Interea Europa tota quæ in salutari tutela Regis Christianissimi nunc primùm securè ab infesto seruitutis iugo respirare & periucundè reflorescere incipit, eum Liberatorem suum agnoscit, atque vtinam diu viuum, saluum & incolumem suspiciat & veneretur, vario & admirabili virtutum omnium concursu nobilissimum, multiplicique & vera Pij, Fortis, Augusti, Magni Iustique appellatione, terrarum orbis assensu celeberrimum.*

EXPEDITIO VALTELINÆA.

AETERNVS & inuiolabilis fatorum ordo poscebat, vt arma potentissimi & inuictiss. Regis LVDOVICI IVSTI præcipuo fulgore totum Orbem illustrarent, & stupore admirabili latè omnia percellerent atque complerent. Nec satis erat Oceanum, Pyrenæos saltus, Rhenum Alpiúmque cacumina superasse, nisi quoque profundas valles & loca Valtelinæ secretiora ac remotiora penetrarent. Vt enim lux à summo Cælo ad Mundi centrum penitus diffusa, omnes recessus virtute sua & abdita etiamnùm terræ viscera peruadit, atque in auro, argento, & alijs metallis miracula nobis exhibet. Sic tanti támque magnanimi Principis arma, quorum gloria terra maríque diffunditur, omnia splendore suo collustrant, quáque Sol permeat & decurrit, vires admirandas explicant; quibus gentes etiam remotæ ac fœderatæ graui ac fœdo iniquæ seruitutis iugo oppressæ, in pristinam libertatem fortiter ac fœliciter asserantur. Cuius rei memorabile exemplum præbuit illa regio Valtelinæa, quæ superioris Rhetiæ pars non minima, Lepontiorum vel Grisonum dominatui subiecta, Venetam & Mediolanensem ditionem ab vna parte, Tirolium Comitatum, & Heluetios ab alia spectat, Alpibúsque, partim hinc inde decliuibus & vitiferis, partim aërijs & niuosis, vndiquaque cingitur. Abdua etiam flumine, non rapido quidem, sed leniter decurrente, ac eam Bacchi Cererísque feracissimam efficiente irrigatur. In ipsa verò Rhetia superiore seu Grisonum ditione, tria sunt, vt loquun-

tur., Conuentuum, Vrbium, Communitatum vel Pagorum Fœdera; quorum alterum Præfecturarum vel Iurisdictionum, alterum Griseum, tertium Cadense pactum nuncupatur. Præter eas Communitates & Fœdera Rheti jus habent in Valtelinam, Comitatum Chiauenæ & Bormij, loca Valtelinæ limitanea, quæque ditioni trium Fœderum manifestò subiacent. Rhetis autem priùs fœderatis, postea enixè petentibus Franciscus I. Galliarum Rex fortissimus centum ab hinc annis eos in sua & successorum fide & clientela habere cœpit, in qua ad hœcce tempus ab omni hostium iniuria vindicati ac liberi conquieuerunt. Situs verò superioris Rhetiæ, tanti est momenti propter iter in Italiam ac Germaniam facile & expeditum, vt à multis Principibus viris, & Rebuspublicis diù ac vehementer expetita fuerit, ac inter reliquas Rhetiæ partes Valtelina ad transitum longè commodior. Ideóque in fœdere sancito & amicitiæ fide composita inter eundem Franciscum I. Regem & Heluetios, inter alia capita fuit insertum, ius transeundi per Heluetiam, Alpes Rheticas & Valtelinam Gallorum regibus & eorum amicis oblatum esse atque concessum, cæteris Principibus & gentibus prohibitum. Et viam illam omnium impotentissimè affectarunt Hispani ob Ducatum Mediolanensem ab ijs contra ius occupatum, Leopoldus Archidux Austriæ, & Senatus Venetus. E contrà Christianissimi Galliarum Reges, præcipuéque HENRICVS MAGNVS, & LVDOVICVS IVSTVS tria illa Fœdera, Valtelinámque ipsam multa vigilantia & labore, multísque sumptibus protexêre, non solùm vt Rhetos Italiámque totam ab Iberica dominatione liberarent, sed vt compendiariam quoque per Alpes Rheticas viam in Italiam & Insubriam antiquum Galliæ Regum patrimonium sibi fortiter assererent; vtquê prohiberent Hispanum, aut Venetum, aut quemvis alium extraneum in Valtelinam fidei Gallicæ commissam summum ius & dominium vsurpare. Interea vt Rhetorum rebus meliùs consuleretur, vtque prospiceretur ne fraus itineri fieret, néve quis alius præter Regem Gallorum & amicos illius viam illam tentaret, legatio Rhetica fuit instituta. Nihilo seciùs tamen prensarunt varias factiones in Rhetia Venetus & Hispanus, tótque artibus & oblatis muneribus

neribus tandem vsus est Venetus, vt decem annorum fœdus cum Rhetis sanxerit. Comes Fuentanus Hispanorum Regis in Insubria præfectus querelæ occasionem inde arripit, & prætextum arcis iuxta limites Rhetiæ & Valtelinæ in loco sibi peropportuno & edito excitandæ, quæ oris limitaneis & proximis terrorem incutiat, & vicinos vndique sollicitos suspensósque teneat. Animus qui cupiditate dominandi non vtilitate communi ducitur, audacia non fortitudine, perfidia non humanitate, tyrannide non iure, dolo denique non virtute impellitur, nactus opportunitatem nocendi, statim soluto pudore contra fidem dominium occupat: scilicet apud illum vbi lucrum vel præda subest ibi nunquam vsurpationis causa deerit. Interea indignantur ausum illud Comitis Fuentani primò quidem Heluetij, deinde Veneti, móxque illi legatione ad HENRICVM MAGNVM missa contentè eum precantur, vt arcis euersionem authoritate sua procuret: quæ res eo ipso tempore exitum sortita fuisset, nisi superueniente luctuoso Regis maximi fato, successu caruisset. Et quidem vt erat arbiter totius Orbis Christiani dum vixit, omniáque tranquilla & pacata miro iudicio, ingentíque authoritate firmauit, sic morte tanti Heroïs diuersi motus vbique terrarum fuerunt excitati. Sed ab eo tempore quo Rex IVSTVS clauum Imperij suscepit, eundem sibi quoque titulum asseruit, quem moriens transmiserat pater HENRICVS MAGNVS, seque haud imparem totius Imperij Christiani arbitrum professus est, eadémque fortuna comite quæ semper fauerat, ac duce virtute quæ consilia rexerat, hostium prudenter fraudes elusit, & eorum conatus impetúsque fortiter colligauit, clientésque summa fide ab omni iniuria prohibuit, & periclitantibus opem atque omnia humanitatis officia præstitit. Vtque Cor humani corporis nobilissima pars perpetuò cietur & agitatur, & nunquam officij cessatione facta conquiescit, sed spirituum vim & infinitam copiam in se continet, quibus vndiq; motum atq; vitam infundit: Ita sanè Rex potentissimus & inuictissimus LVDOVICVS IVSTVS vires & facultates admirabiles explicat, quibus nunquam officij vel auxilij intermissione facta, totum orbem felicissimè regit & securissimè protegit. HENRICO MAGNO fatis immaturis erepto, vt

finiis leone mortuo audacia esse solet; sic Comitem Fuentanum audax incessit temeritas fœderis cum Rhetis contrahendi, quo, vt in pace ouium cum lupis contigit, imprudentes deleret postea, vel Hispanæ seruituti & iugo subijceret. Nimirùm pactus arcis quam extruxerat ad pellendas suspiciones complanationem, Rege LVDOVICO IVSTO sine cujus authoritate fœdus pangi non poterat id flagitante, promissis ac pactis vir Punicæ fidei non stetit, incolarum animos auro argentóque tentauit, subornauit, corrupit. Missi itaque ad Regem in Galliam legati eum obtestantur, vt fœderatis consulat, commissisque suæ fidei Valtelinæ incolis, nisi promptam det manum, propediem seruituris. Is verò ea cura & diligentia quam optimi Reges suis clientibus debent, & mente ad misericordiam implicata, suo per id tempus legato mandat, vt rei tantæ diligenter prouideat. Ab illo tot & tam audacibus cœptis prudentia singulari obuiam itum est, & quidem tanta dexteritate, vt qui fautores Hispanorum fuerant, capite plecterentur. Rex autem perpendens fœdus Venetum & Rheticum suspicionem ac molestiam toti Europæ inijcere, & inde prætextu capto Hispanos illud ipsum cum Rhetis moliri, háncque fœderis coïtionem imminuere Majestatem Gallicam in cuius clientela erant Rheti, curriculo fœderis facti exacto, illud renouari non passus est: atque ex eo tempore regio illa trium Fœderum protectione & fide sola Coronæ Gallicæ contenta summo in otio ac tranquillitate permansit. Vtque æquoris facies æquabilis omnino & planè tranquilla subsistit, nec vsquam turbatur, nisi vi procellarum & impetu ventorum commoueatur & agitetur: sic beata regionis illius erat conditio & omnino placida, antequam tacitis primò & latentibus ac velut per cuniculos serpentibus Hispanorum flammis, deinde nouis & appertis machinationibus, vel vt veriùs dicam, violentissimis eorum tempestatibus perturbata ac propè euersa, suæ interitum libertatis meruisset, præcipuè exorto inter Venetos & Vscopios funestissimo bello, per cuius causas Hispanus & Austriacus Vscopiorum fautores Valtelinam ingressi ab vna parte, Venetus ab altera; varias in ea dissensiones, factiones, molitionésque suis donis & pecunijs concitarunt & aluerunt; quæquidem nouem tumul-

tibus & motibus vel potiùs rebellionibus in Valtelina materiam præbuere, quibus incolæ mutuis attriti cladibus penè ad internecionem deleti sunt, hos fouentibus Austriacis, illos Venetis pecunia armísque adiuuantibus. Sic erat Valtelina sortis humanæ ludibrium: vtque in tyrannide amicorum & vicinorum etiam suspecta fides est, sic vtriusque gentis vel opes vel odium vel ditionem æquè metuebant Valtelinæi, nempe ab nullo homine non summum periculum, si regnandi cæcam cupidinem & inexplebilem sitim spectes. Sed eos tandem Rex Christianissimus, potentia atque armis Hispanorum & Venetorum oppressos à varijs terroribus vindicauit, sopitis opportunè inter Salias & Plantinas familias dissidiis, quæ, vt Fregosiorum & Adorniorum in Liguria, Guelphorum & Gibellinorum in Italia, sic in Valtelina diu exarserant: fiduciariámque prouinciam, & eius res afflictas erigendo, atque interdictis per publica comitia, vulgò Pittacum dicunt, cum Hispano Venetóque fœderibus ac omnibus societatum commercijs, in libertatem asseruit. Sed postea variæ aliæ dissensiones exortæ sunt, quas fouebant Hispani qui factiosorum partes amplectebantur, & Veneti, qui aliorum quorundam votis annuebant, ac inter hæc tempora & ingentes diuersorum Comitiorum æstus multa horrenda & execranda facinora hinc & inde admissa fuere, quorum serpens cursus à Legatis IVSTI Regis prudentissimè compressus est. Ac tandem Hispanorum factio, quo tempore Gallia bellis intestinis laborabat, donis muneribúsque suis tantum effecit vt Hispani Valtelinam ingressi per Mediolanensem Præfectum Valtelinæos ad rebellionem prouocauerint concessis & subministratis armis ac pecunijs in perniciem Rhetorum, quorum, imperio ac ditioni subjacebant, regionémque manu armata inuadentes præcipuos incolarum dolo oppressos necauerint, varias arces & castella construxerint, præsidia collocarint. Facile fuit inermem & omnibus auxilijs imparatam euertere prouinciam, fauente Hispanis fortuna, quorum ex alieno motu crescit audacia & temeritas. Ad hæc inter tria Rhetorum fœdera discordias serunt, Grisonúmque fœdus à duobus cæteris secernunt, & audaci interea atque exitiali contumacia per Rhetiam ac Valtelinam superbos spi-

ritus verbis ferocibus exerunt. Totius Europæ Reges & Principes in Hiſpanum querelas emittunt, vt qui in populos illos tyrannidem occuparit. Excuſat Hiſpanus religionis Catholicæ in Valtelina defenſionem, quam explodere & penitus extinguere velle Proteſtantes cauſatur, ſpondétque ſe breui omnia reſtituturum. His interim tot Regum, Principum & populorum precibus commotus, occaſioni is cuius maximè intererat deeſſe noluit LVDOVICVS IVSTVS, déque prouincia illa Hiſpanico iugo oppreſſa in ſuam libertatem reſtituenda cogitauit. Scilicet non eſt cura nobilior quàm miſerum & oppreſſum ſubleuare: nec ita in cœlum attolluntur qui proſperum vitæ curſum & tenorem comitati ſunt, quàm qui aduerſos caſus amicorum non deſeruerunt: nec ita prædicantur qui fortunam aliorum florentem complexi ſunt, quàm qui iacentes & afflictos erexerunt. Igitur in Hiſpaniam Rex Chriſtianiſſ. Franciſcum Baſſompetram fortiſſimum Equitum Tribunum continuò mittit. Rex Hiſpanus iterum pollicetur Valtelinæ reſtitutionem, eodémque ferè momento diem extremum obit. Dum hæc aguntur in Hiſpania, diéſque ex die ducitur, varia prælia in Rhetia & Valtelina committuntur, fœdúſque Griſonum duobus fœderibus denuò accedit, Ibericæ facioni remittens nuntium. Interea Madriti inter Regem & Hiſpanum per Baſſompetram tranſigitur, réſque tota cò trahitur, vt Valtelina reddatur, Catholicis Heluetijs authoribus ac ſponſoribus, nulli que Principum præter Regem Chriſtianiſſimum tranſitus per Valtelinam pateat, ac per eam prouinciam liberè liceat fidem Catholicam & Romanam profiteri. Sed Heluetij Catholici fraudibus Hiſpanorum ductati fœdus illud amplecti, & Hiſpani è Valtelina decedere negligunt. Rheti queruntur ob tam inauditam perfidiam, & Valtelinæos rebelles ad officium reuocare tentant. Præfectus Mediolanenſis cum Hiſpanis occurrit, Comitatum Chiauenæũ, Poſchianum, Bergalliam omniáque Rhetorum itinera in Italiam occupat præſidiis vbique collocatis. Eodem quoque tempore Leopoldus Auſtriacus ex pacto ſummum imperium ac dominium in fœdus Iuriſdictionum per vim vſurpat, prætextu tractatus Lindauienſis per ſummam violentiam à Rhetis extorti. Dum hæc agebantur

Gallia bellis intestinis laborabat, quibus & externis vt prouideret Rex IVSTVS, rebellibus pacem donauit, demúmque Lutetiam victor rediturus, prius Auenionem tendit, vbi incredibili lætitia & populorum applausu excipitur. Eò conueniunt Serenissimus Sabaudiæ Dux, Venetorúmque & Rhetorum legati, Regémque deprecantur, per decora majorum, per publicam totius Europæ salutem, vt in hac rerum deformitate & perturbatione per Rhetiam & Valtelinam, salutarem manum porrigat, vt qui vnus omnino sit qui spectata virtute sua atquæ authoritate rebus deploratis maturè possit succurrere; illo auspice præclarum tantis negotijs exitum cœleste numen daturum, & votis omnium ritè piéque susceptis secundissimè adfuturum. Itaque inter eos & Regem potentissimum tandem aliquando ictum est fœdus contra Hispanum stare Madritiano pacto renuentem. Hispanus autem, ne dedecus atque ignominiam in restitutione coacta Valtelinæ incurrat, Valtelinam ipsam & arces extructas inter manus Summi Pontificis deponit. Varij super re tanta habiti tractatus, & eos inter Marchionis Mirabelli Hispani, quem Hispani ipsi repudiarunt. Summus Pontifex orbis Christiani pacem pro amplissimi muneris officio studiosè amplecti videtur, iungítque preces, vt Hispanorum deposito Rex Christianiss. consensum adhibeat. Quo cognito voluit Rex inuictissimus tanto arbitro, ægrè posteà Hispano qui anteà optauerat, consentiente, totum negotium litísque decisionem permittere his conditionibus: vt arces ab Hispanis extructæ spatio trium mensium penitus diruerentur, intra quod omnis controuersia planè decideretur: Vtque tria illa fœdera Grisæa in vnum coalescerent, & in pristinum statum redirent: Vt denique Religio Catholica cum securitate vbique per Valtelinam coleretur. Interea stipulatio fuit interposita, vt Rex potentissimus & fœderati nil omnino prætermitterent quod ad pactum fœdus exequendum pertineret. Ex his liquidò constat depositum illud tres tantùm menses Regis arma inhibere potuisse; quibus elapsis licuit Regi Valtelinam manu recuperare, arcésque & castella nuper extructa diruere. Intereà facilè sibi persuasit Rex optimus nullum Summo Pontifice digniorem, & ad publicam concordiam atque tranquil-

litatem inter præcipuos orbis Christiani Principes, summa æquitate & felicitate vel constituendam vel conseruandam, aptiorem vnquam reperiri potuisse. Preterea illum iudicauit Rex prudentissimus tanquam perfectum & absolutum antiquæ illius iustitiæ, pietatis, innocentiæ & integritatis exemplum omnium prædicatione dignissimum. Itaque vrbes, arces & castella omnia Valtelinæ, in manibus Summi Pontificis remansêre, qui præsidia Ducésque & prefectos Italos vbique collocaret, restitutione Valtelinæ Rhetis promissa, cùm Heluetij Catholici fœdus Madritianum amplexi essent. His omnibus Marchionem Bagnium è gente Columnia, quæ caput est Hispanicarum partium in Italia, à Rege Catholico paulò antè in Hispania honorificentissimè exceptum, præfecit. Interea Romæ de discordis componendis per Valtelinam sparsis sæpiùs in consilium itur: leges fœderis à Summo Pontifice offeruntur; Gallis placent, Hispanis displicent. Galli qui tunc Romæ agebant apud Summum Pontificem, conditiones alias proponunt Coronæ Gallicæ noxias, quæ in celeberrimo Principum & procerum conuentu Compendii reijciuntur & exploduntur. Legatus Romam mittitur Bethunæus, vir prudens & strenuus, qui Summum Pontificem interpellat pro Valtelinæ restitutione & exercitio solius Catholicæ religionis in ea obtinendo: aliâs Regem Christianissimum eam armis recuperaturum esse profitetur. Summus Pontifex Hispanorum artibus, voto Regis æqua postulantis annuere prohibetur. Rex animaduertens, hinc Hispanũ qui tot iniquas & fœdas discordias mira simulatione in Valtelina excitare & fouere cœperat, moras nectere in restitutione vrbiũ & castrorum quæ occupauerat; Austriacum illinc quot diebus noua loca, nouasque ditiones inuadere, atque vtrumque miris machinationibus & technis prohibere Heluetijs Catholicis, ne ratum haberent fœdus illud Madritianum, vt interea omnia seu vi seu dolo occuparent, & perpetua tyrannide ac seruitute Valtelinam, Rhetiámque, Heluetiam ac Germaniam opprimerent; petentibus Rhetis & Valtelinæis ex consilio præcipuorum tunc regni administrorum, maximéq; illustriss. sacri sigilli custodis, opẽ & suppetias afferre cõstituit.

Miſſo igitur extra ordinem Legato Annibale Eſtræo Marchione Cœuuræo viro nobiliſſimo ac vigilantiſſimo ad Heluetios & Rhetos, vt federatos Catholicos ad Madritianum fœdus affirmandum excitaret, palam Hiſpani commemorabant, ſi fœdus id ſeruaretur, rem in Valtelina Catholicam nullam fore, defectúmque illius ratihabitionis prædicabant. Ita verò ſe prudenter geſſit Cœuuræus vt eam ratihabitionem aut confirmationem ab Heluetijs Catholicis Solurium conuocatis non repugnantibus expreſſerit, cum exercitio ſolius religionis Catholicæ per totam Valtelinam & Comitatus Bromienſem & Chiauenenſem Rhetorum ditioni obnoxios. Sic comprobatum eſt fœdus & Romam miſſum ad Summum Pontificem, ac quòd nihil perficiendum ſupereſſet, reſtitutio Valtelinæ in dies expectabatur ex pacto Madritiano. Inuitatur à Legatis regijs vt rei prouideat: aliâs Regem ſuos clientes protecturum clarè & elatè pronuntiant. Sed ecce, moras iterum moliuntur Hiſpani, dum interim Auſtriacus quæ poteſt loca per vim occupat & vſurpat, & Valtelinæos miſeram in ſeruitutem agere pertentat. Paulò pòſt Hiſpani, cum tribus armatorum millibus ductore Serbellonæ Comite in Valtelinam irrumpunt. Hinc motus popularis exurgit apud Rhetos & Valtelinæos: ductúque Salij inter eos præcipui viri, loca & itinera Stechimontis, & alia Leopoldi vicina præoccupant, metuentes ne Auſtriacus Valtelinæos in duriſſimam ſeruitutem redigat. Cœuuræus dum hæc aguntur, iterùm à Rhetis inuitatur vt ijs ſibi libertatem priſtinam recuperare adnitentibus opem & auxilium ferat; vtque defenſionem promoueat; & hac in parte Majeſtati Regiæ derogari & illudi denuntiant. Nec iniqua Rhetorum erat expoſtulatio; nam Hiſpani pacto Madritiano illudebant; arces ereptæ minimè reſtituebantur, & in Valtelina omnia ferro flammáque vaſtabantur. Itaque Cœuuræus in Valtelinam contendit, vt oppreſſos incolas ſubleuet. E contra Valtelinæi ſe pro inimicis gerunt, Hiſpanorum armis adiunctis Cœuuræum ad eorum auxilium conuolantem tanquam ſibi infeſtum adoriuntur. Virtuti ſimul & fortunæ ſua conſilia confeſtim applicat, paruam quidem ſed generoſam armatorum manum colligit, alacritatem addit animis; laude præmiſſa, &

præmij virtuti propositis, aciémque diligenter instruit, alieno & rigido anni tempore, ac contra omnium spem & opinionem in expeditionem ducit, atque introductis in hostium fines copijs vexilla Gallica per Alpes & montes præruptos ilicet explicat. Ille velut fulmen concitũ, vel violenta & furens procella, quæ quocunque ruit omnia percellit, agit, disturbat atque exurit, prouinciam illam inuadit, hostes terrore conficit, aduersas acies victor exturbat, & in fugam conijcit, Valtelinam denique non multo suorum sanguine, sed plurimo sudore, incredibili prudentia, fortitudine singulari miráque opportunitate expulsis Hispanorum præsidijs copijsque fusis ac fugatis in Regis Christianiss. potentiam redigit. Sed ante omnia cum ipso conuentu Iurisdictionum tractat, vt fœderi cum Austriaco antea contracto vis abrogetur, denuóque duabus Cadeæ & Grifeæ Communitatibus adjungatur. Itaque trium conuentuum vel fœderum fit coniunctio, & Reipublicæ veteris species renouatur, his conditionibus & hac lege vt fœdus cum Corona Franciæ ratum remaneat, vtque Rheti vniuersis Valtelinæ Bromij & Clauenæ incolis rebellionis pœnas condonent: vt denique, quod præcipuum erat solius Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ religionis vsus vbique apud eos valeat plurimùm; quæ omnia in Conuentu Curiensi transacta sunt. His actis viæ se dat Cœuuræus, superat niuium & glaciei difficultates, in media hyeme transcurrit Sethum, Albiranum, & Berninum, montes altissimos. Hoc nimirum in fatis erat, vt alter iterum Hannibal auspicijs LVDOVICI IVSTI Regis Christianiss. Alpes superaret, sed tempestate minus commoda. Prædicatur Hercules qui primus per Alpes montésque aërios & inaccessos, & loca priùs inuia sibi viam fecerit. Prædicatur Hannibal qui primus cum exercitu numeroso eadem Alpium iuga trajecerit. Æquum certè erat, vt LVDOVICVS alter verè Gallicus Alcides, viam per Alpes ipsas aperiens immortali laude celebraretur; vtque easdem Cœuuræus nouus Hannibal peruias & superabiles vi summa ductóque exercitu faciens, felicibus armis LVDOVICI IVSTI Regis Inuictissimi Valtelinam, imò totam ferè Italiam, Germaniam & Heluetiam ab affectata exterorum tyrannide liberaret. Is igitur

per

per montes & loca confragosa dum compendium itineris facit, summa celeritate Poschianum intercipit, hostibus frustra renuentibus; nec aduentare scitur nisi proximus. His animaduersis Bormienses, præmissis ad Cœuuræum legatis, regiæ ditioni sese subijciunt, ac simul eius opem deposcunt: quę illis prolixè concessa est cum solo Catholicæ religionis vsu & exercitio. Marchio Bagnius interim vicem Pontificis in Valtelina gerens & rebus Hispanicis apertè studens, odio Gallorum, incolas Gallis fauentes capi & prehendi iubet in vrbe Tirani. Quibus auditis continuò Tiranum adit Cœuuræus, ibíque castra collocat. Gallorum irrumpentium aduentum & impetum hostes, dispositi licèt in præsidiis, excipere non ausi, multominus reprimere, vrbs deditionem meditatur, quę à Bagnio prohibita, eo postea inuito, multis prçlijs acerrimè & fortissimè confectis, ac militibus Gallis per medias aquas in ipsa hyeme grauissima transeuntibus expugnata capitur: tamen, quæ Gallorum humanitas est, præda omnis & iniuria prohibetur: arx paulò pòst deditur Gallis benignas conditiones offerentibus in gratiam Summi Pontificis, idque seruata vbique religione Catholica, nouáque penitus exclusa, & explosa. Victoriæ mansuetudinem & diuini cultûs obseruationem esse magni momenti ad conciliandos incolarum animos. & terrorem hostibus incutiendum liquidò constat. Scilicet arctiùs clementia & religionis cultu mortales, quàm metu vel armis continentur. Hac igitur lenitate vsus Cœuuræus spe sua delusus non fuit. Post arcis Tirani deditionem, Sondrium continuò aggreditur: conditionem Tirano oblatam & concessam flagitat vrbs obsessa; ex Bagnij mandato à præsidiarijs impeditur. Cœuuræus tormenta disponit ac dirigit in muros; pugnatur acriter, cadunt multi ex hostibus, mœnia antiquis & obfirmatis denuò aggeribus præmunita & multorum militum manu defensa, tandem cum vrbe capiuntur: victor miles in arcem prorumpit, victi hostes spoliantur: sed aduentus Cœuuræi cædem impedit, libertas & vita præfecti Sondrij ac militum, Summo Pontifici & Bagnio conceduntur, vexillum Pontificium cum vrbe captum redditur, commeatus & vestes deditis suppeditantur, victis denique Francorum & IVSTI Regis more clementer indulgetur. Ac

licet sibi, etiam in Gallici nominis detrimentum studere aliquatenùs, & suffragari Summum Pontificem Hispani palam dictitarent & assererent, nulla tamen potuit euenire vnquam res tanta, quæ Regem Christianiss. & Gallos à vera Apostolicæ & Romanæ Sedis obseruantia diuelleret. Morbinium similes pacis conditiones subit: cum dignitate regij nominis, pax tandem certa, & publica omnium securitas comparatur. Valtelina tota sic dedita & recuperata Cœuuræus tendit in Comitatum Chiauenensem, sibi amicum, vtpote Gallicæ fidei commissum, reputans. Hispani suburbia vrbis occupant, vt Gallos ignominiosè arceant. In eos consilia & arma conuertit Cœuuræus; sed vix obstat difficultas, nec obsididionis feliciter perficiendæ occasio se præbet, itinera omnia inter lacum & montem rupta & impedita sunt. Itaque dum reficiuntur & instaurantur, milites nonnullos in hyberna dimittit circa Sondrium & Tiranum, locáque alia vicina: Cæteri ad expugnationem Bormij Comitatus, & erumpentia arcis proximæ præsidia fortiter repulsanda decernuntur. Consilium successu non caruit, nempè euocatus Cœuuræus contra præsidia arcis Bormianæ, omnes continuò superauit itinerum difficultates, & in castra penetrauit, tormentáque miro omnium stupore per iuga montium aduexit. Tum præsentia Ducis adeò strenui tantum valuit, vt instantis periculi metu prudentiores facti ciues & præsidiarij summæ rerum & saluti plurimùm diffidentes, diuersa perturbatis animis consilia agitare cœperint, tandémque se cum arce fortissima & munitissima ipso mediæ, & infestæ hyemis tempore dediderint. Hac facta deditione, Chiauenam Cœuuræus aggreditur, oppugnat, expugnat, capit. Vrbe capta superat arx munitissima, fiunt eruptiones ab obsessis in castra, sed repelluntur acriter, illorúmque ferrum & audacia reprimitur. Tormenta bellici apparatûs contra spem omnium & opinionem per altissimum Bormium montem & loca prærupta ac rupes inaccessas ad arcem adducuntur. Rei nouitate, & facto audaci ad inaudito territi obsessi; post varia certamina commissa variásque tormenrorum glandes emissas, paciscuntur cum Cœuuræo: arce in potestatem accepta fauoris ille signa plurima in eos contulit, quòd Italos & milites Pontificos sibi

adiunxerant ad arcis defensionem, eorúmque gratia veniam Hispanis tribuit. Tot oppidis præter Valtelinam & arcibus vno ferè momento Gallica potentia redactis, Riua vrbs inimica & vicina Gallicum exercitum varijs incursionibus infestare tentat. Ob loca accessu difficilia & cœli iniuriam temporísque difficultatem vix obsideri posse videbatur: obsidetur tamen, valido licet & multo Hispanorum præsidio munita. Confestim ad arcis defensionem accurrunt variæ copiæ, quibus exercitus hostilis conflatur, & illic diuersa inter obsidentes ab vna parte, obsessos & præsidiarios ab altera, prælia committuntur, in quibus multi generosi & præstantes viri, quos alij proculdubio notant in Historia, strenuam operam nauauêre: nos quô vocant iussa, tendimus: Interea in omnibus his pugnis ferè semper victor euasit Cœuuræus, plurimíque ex hostibus iacuere, è nostris pauci. Eodem ferè tempore Bona Diguierius fortissimus Equitum Magister, & Carolus Crequius generosus Equitum Tribunus, iussu Regis collecto forti magis quàm numeroso exercitu, serenissimo Sabaudiæ Duci & illustrissimis filijs Zucarelli dominium à Genuensibus occupatum repetentibus auxiliares Gallorum copias adjungunt: qui omnes per Liguriam generosi animi & bellici vigoris in tota illa memorabili expeditione testimonia perpetuis digna præconijs edidere. Hispani tanta Ducum & procerum fortitudine, tantáque militum alacritate perterriti, Summum Pontificem vehementer deprecantur, vt in Galliam Legatum mittat, qui prosperum Regis armorum cursum & progressum per Valtelinam & Liguriam tandem aliquando sistat. Ex mandato Regis Bethuneus legationem illam vt minimè profuturam, & in gratiam Hispanorum susceptam tentat auertere. Mittitur tamen Illustrissimus Cardinalis Barberinus Summi Pontificis ex fratre nepos, Italiæ singulare sidus, & ordinis Sacri decus ingens, Lutetiámque splendidissimo rerum omnium apparatu exceptus, ingreditur. Is quum munere imposito perfungitur, Regi Christianissimo proponit, vt Rhetorum Valtelinæque ipsius fidem & clientelam deserat & abijciat, eámque Gallorum armis ex hoste recuperatam Marchio Cœuuræus inter manus Summi Pontificis iterum deponat, priusquam de vlla re transigatur.

Præter infamiæ labem quam Rex inuictiſſimus non ſatis æquæ petitioni annuendo incurriſſet, Alpium tranſitus Hiſpanis & Auſtriacis in perniciem ſuam aperuiſſet, ſibi ipſi ſuiſque iter in Italiam commodiſſimum occluſiſſet, ſuæque fidei commiſſos turpiter deſeruiſſet. Itaque ſe non poſſe poſtulatis tam iniquis ſubſcribere reſpondit; ad alieni tamen iudicij legem & arbitrium conſilia ſua reuocare, ſuorum ſententias rogare, conſiliúmque velle cogere, vt res tanta grauiſſimis omnium ordinum iudicijs componatur, ſéque propediem prolixius reſponſum editurum, ac quæ in rem Chriſtianam & publicam eſſe, viſa fuerint, continuò executioni mandaturum. Scilicet in rebus magni momenti maturum conſilium, in vrgentibus expeditam celeritatem, in arduis inuictum robur & animi magnitudinem feliciſſimè adhibere ſolet! Ad hæc Hiſpanorum artibus Legatus Pontificius præter ſpem & vota Regis, inexpectata feſtinatione diſcedit. Interea celeberrimus procerum conuentus indicitur & habetur, in quo Regina Matre heroïna auguſtiſſ. & vnico Regis Fratre Principe illuſtriſſimo & generoſiſſimo præſentibus & aſtantibus, rem breuiter exponit Rex Chriſtianiſſ. Martio & iuuenili vigore, illuſtríque totius oris & corporis habitu atque admirabili majeſtate refulgens. Præterea quæ ſuperiùs enarrata ſunt & geſta circa rem Valtelinæam, incredibili ſermonis elegantia, iudicij ſolertia, & memoriæ felicitate fuſiùs poſtea proſequitur ampliſſimus Galliarum Cancellarius, vir maximis rebus, & ſceptri gloriæ natus, fœderáque ab Hiſpanis violata indicat: licétque Valtelina fuiſſet inter manus Summi Pontificis conſignata, vt ad breue tempus toti rei proſpiceret, tamen longiſſima tempora intercurriſſe obſeruat, intra quæ, moras nectentibus Hiſpanis, rei tanti ponderis oppreſſorúmque populorum libertati minimè prouiderat. Inuitantur à Rege reliqui proceres, vt nullo dignitatum reſpectu habito, vel ordine ſeruato liberè ſententiam ferant. Eos inter prudentiſſimus Comes, & fortiſſimus Equitum Tribunus H. Schombergius, qua ſolet animi magnitudine, illæſæ fidei conſtantia, & eloquentia planè virili, Majeſtatis Regiæ decus, Galliæ ſecuritatem & Italiæ libertatem, Regem ad oppreſſionem Valtelinæ ſubleuandam, &

Rhetorum affinitates opportunè tuendas excitare, monuit, Cœtum illum non sine ratione collectum fuisse: Hoc & actum antiquitùs, & nuperrimè sub HENRICO MAGNO & prudentissimæ Reginæ Matris felici administratione obseruatum, cùm rebus magni momenti prospicere necessum fuit, sicque statum rerum nostrarum ad similitudinem superiorum temporum nonnihil accedere, atque à deliberatione istius celebertimi cœtûs arbitrium & spem Europæ totam pendêre. Si Valtelina detur in predam Hispanis, pertimescendum esse, ne clientes & amicos Regis Gallorum sibi concilient Hispani, & eos ipsos Principes, Respublicas & Ordines, quorum adiunctis sibi armis, Austriæ & Hispaniæ vires sæpe anteà fregerunt acriter, & strenuè contuderunt. Adiunxit, Legatum professum esse, sibi de alijs transigendis nullam facultatem esse, concessam, nisi restitutis priùs à Rege nulla conditione interposita, Valtelinæ arcibus & propugnaculis. Hoc planè erat, rem nouo exemplo decidere, Rhetisque Valtelinæ dominium per vim eripere, quibus posterior omnis tractatus deinceps foret inutilis. Regem non posse, addidit, tot arces tantis sumptibus & laboribus, támque felici ductu, & tanta laude conquisitas sine dedecore restituere, nisi pace omnino composita & rebus omnibus feliciter constitutis: alias, tota nunc feruente bellis & armis Italia, se Rex fortissimus ad earum tuitionem penitus imparem iudicare videatur, præcipuè si Rhetorum & Valtelinæ fortunam ac ditionem præ manibus habens, id omne infestissimorum hostium potestati minùs prudenter aut timidè submittat, & fœderatos populos non sine famæ ac nominis sui iactura, in luctuosam seruitutem trahi patiatur. Si Rex Summo Pontifici Valtelinam & arces restituat, priusquam pax sit conciliata, etiam si ad eam Beatissimus Pater inclinet, tamen impeditum iri ab Hispanis occultè per moras omnes negotium totum eludentibus, vt priùs in tractatu Madritiano fecerant, ídque spe plura obtinendi, vel aliquid immutandi, Rege interim cum fœderatis callidè ac fraudulenter spoliato. Præterea Hispanos lege depositi vel vi apertâ restitutionem Valtelinæ extorturos; quod Gallis ignominiam, Valtelinæis funestam proculdubio ruinam inferet. Adiecit

Legatum subiunxisse Summum Pontificem nullo tractatui consensurum, nisi Rheti dominium in Valtelinam penitus abijciant;sed nihil infelicius accidere posse Rhetis, quàm voluntariè & libenter ius suum Hispanorum gratia & commodo remittere & ei omnino derogare: nihilque interesse Rhetorum, ditiones suas vel armis vel tractatu vel intercessione amicorum prorsus amittere; neminémque in posterum fidem Gallicam amplexurum esse, si tam turpiter & tam iniusto consensu sibi commissos immotis armis propria ditione exui sinat. Itaque contendit vir generosissimus, petitionem Legati, à qua ne latum quidem vnguem abduci voluit, penitus reijciendam esse, pacémque ab eo propositam & oblatam bello longè deteriorem esse ac perniciosiorem. Siquidem bellum illud, incertam & dubiam rerum conditionem & euentum manifestò redderet; Pax autem tam iniqua ac fœda ditionem ac patriam fœderatis, Regi auitum decus & existimationem omnem adimeret. His auditis assensere, & in eius sententiam iuere omnes, imprimis illustrissimus Cardinalis Richelius, quem transmissis in vnum singulis omnium meritis, insignem supra summos rarissimarum laudum honores nobilissima virtus extulit: quíque, eodem rogante Principe, licet magnificè de Sancta Sede multa dixisset, & pacem amplecti non renuisset, se tamen verè Gallum, Regíque obsequentissimum & patriæ amantissimum testatus est: docuítque si Rex Hispano fœda & iniqua flagitanti aurem accommodet, dedecore sempiterno ac infamia laboraturum: atque ita oblatæ conditionis ignominiam recusauit, bellúmque iustum & honestum pace Regi regnóque inhonesta & infida vtilius ac honorificentius esse proposuit. Idque tanta diuini ingenij fœcunditate, tam felici facundiæ gratia, tantáque solidi iudicij maturitate, vt singularem apud omnes ordines sibi laudem parauerit. Dignissimus quoque Senatus princeps N. Verdunus, augustæ Curiæ lumen & splendor, omnium ordinum nomine summa iudicij grauitate paríque dicendi copia, consilium Regis & grauissimorum Regni administrorum apertissimè laudauit, ac contra eorum sententiam neminem iturum iudicauit. Illustriss. denique Cardinalis Valetius, & generosus ille Bassompetra Equitum Tribunus, quæ Romæ & in

Hiſpania ſuper eo negotio acta fuerant fideliſſimè & candidiſſimè expoſuerunt. Quibus omnibus fides & clientela Valtelinæ Regi potentiſſimo, omnium conſenſu, & nullo reclamante ſuadetur, & illuſtriſſimi Legati propoſitis petitionibus, quæ in rem Hiſpanam nimis eſſe videbantur, ſecuris inijcitur. Dum hæc tractantur, Hiſpani opportunum tempus nacti, quo induciæ eſſe debebant, munimentum aliquod, vi aperta ſibi priùs ablatum, fraude intercipiunt, rati fortunam non fortitudine, ſed dolo rei gerendæ facultatem obtuliſſe. Rex Chriſtianiſſ. perfidiam illam minimè tolerans Cœuuræo iubet, vt armis ac viribus continuò collectis, quæ dolo intercepta, quod Hiſpanorum eſt, vi aperta, quod Gallorum, recuperet. Id ita vt iuſſerat, geſtum eſt multa cum hoſtium ſtrage, vltráque Valtelinæam regionem & occupata munimenta, Galliæ victricia vexilla longiùs fuerunt explicata. Supra fortitudinis & felicitatis humanæ faſtigium eſt, eadem in rebis lætam ſortem experiri & occaſionis momenta non omittere: quòdque ſtrenuè quæſitum eſt, & fraudulenter ereptum, fortiſſimè iuxtà ac fœliciſſimè reuocare. At verò mirum eſt militem noſtrum in ea obſidione tamdiù conſtantem fuiſſe contra arcem ferè inexpugnabilem, validum præſidium, numeroſum hoſtium exercitum, aëris iniuriam atque imbrium copiam abundantiſſimam. Et ſanè militaria ſtipendia quæ ſudores & tædia leuare ſolent, digniſſimorum Regiæ gazæ præfectorum Campinij & Marillaci cura & vigilantia non deerant. Ita plerique mortalium viuunt, vt in ſpe ac rerum proſpero ſucceſſu minùs labores ſentiant, & prima licet dura & acerba non premunt cùm maiora & feliciora ſperantur. Annuat immortale ſupremúmque Numen, cui æquitas ſummè cordi eſt, Regis æquiſſimi ac iuſtiſſimi conſiliis & armis: ſacrùmque LVDOVICI IVSTI & Auguſti nomen parta Chriſtianis gentibus placidiſſima quiete, & ſecuriſſima conceſſa libertate æternitati conſecratum velit, & florentiſſimam HENRICI MAGNI ſobolem, atque ampliſſimo totius orbis Imperio digniſſimam, optatis omnium bonorum voto atque publico conſenſu victorijs inſignem ac beatam efficiat.

PANEGYRICVS MARIÆ MEDICEÆ AVGVSTISSIMÆ ET POTENTISSIMÆ GALLORVM ET NAVARRÆORVM REGINÆ.

AVGVSTISSIMVM decus tuum, MARIA MEDICEA, potentissima Francorum Regina, atque ingentium meritorum tuorum & eximiarum virtutum venerationem perpetua grati animi memoria debet vniuersa Gallia prosequi, vt quæ ipsi consilij, prudentiæ, fidei, constantiæ, religionis & animi magnitudinis varia specimina exhibueris, vnde regno summa salus & singularis tranquillitas ad fuit. Et meritò sanè, cùm ex MEDICEA gente illustrissima paternam originem ducas, quæ tot insignes viros & præstantes heroinas protulit, vt eorum omnium clarissima nomina recolere omnino non possimus. Atque vt palmas inter masculi fructum quidem dulcem, fœminæ verò dulciorem proferunt, quòd proceræ magnis Solem propiùs attingant & eius radiis commodiùs incalescant; sic Mediceos inter proceres Tu & CATHARINA MEDICEA excellentissimæ Gallorum Reginæ licèt illi nobilissimæ stirpis heroes multa & memoranda gesserint, tamen fulgentibus Gallicæ coronæ radiis insignes & potentissimorum Regum consortio felices egregia facinora magis memorabili sæculis omnibus exemplo reliquistis.

At verò cùm ſigillatim tua familiæque tuæ decora perſequi non breuis Panegyrici, ſed potiùs hiſtoriæ iuſtum opus eſſe videatur, nos duntaxat digniora perſtringemus. Itaque licèt multa Magna & præclara geſſeris, multo tamen à te majora & præclariora in dies proficiſcuntur & in poſterū expectantur. Siquidem multiplex tua virtus in tot ſeſe partes diffundit, vt nullus ſit in quauis gente locus, & nulla pars Orbis terrarum tam diſſita, quam illa non occuparit. Primùm quidem tu felicibus auſpicijs in lucem educta adeò graui excelſóque ingenio in ipſo etiam ætatis flore ſemper fuiſti, vt ſolertiſſimus quiſque ex infantia tua coniecturam duceret, te ſumma ad omnia natam eſſe & dignam quæ ſceptrum & diadema Gallicum, immò totum terrarum Orbem aliquando regeres, & principem locum non ſolùm in patria, ſed etiam vbique terrarum obtineres: Nec vana fuit coniectura. Nam Gallicum imperium ſumma cum authoritate ſingularíque prudentia rexiſti, fundaſti, adauxiſti, & tanta munificentia támque vario ac luculento rerum omnium apparatu fuiſti ſemper vſa, vt Regum omnium munificentiam adæquares, aut etiam multis partibus ſuperares. Singularis verò fuit in omnes tua ſemper humanitas, morum facilitas, animíque moderatio. Téque nec natalium ſplendor, nec roſei vultus decor, nec Majeſtas Deâ digna, nec amplitudo, nec verus honos, nec ſceptrum totius Orbis auguſtiſſimum, quæ res animos mortalium faſtu impotenti inflare ſolent, vnquam plus debito extulerunt. Hinc rebus ad nutum fluentibus animos non ſuſtuliſti, & nuſquam fortunæ mobilitatem præſenſiſti & pætimuiſti, ſed perpetua æquanimitate & incredibili conſtantia præcellens ſummæ rerum ac Reipub. ſemper conſuluiſti. Quis verò taceat, niſi in literas malè animatus, tot viros literis & doctrina illuſtres qui fructus liberalitatis tuæ verè Mediceæ abundè retulerunt? Quis omittat, niſi de pietate parum ſentiat, cœnobia & ſacras ædes à te excitatas? Quis prætermittat Xenodochia, niſi humanitatis ſenſum exuat, à te conſtructa? Tu quoque, quos durior egeſtas oppreſſit, quos immitis fortuna deiecit, ſubleuaſti, & alendis & fouendis pia largitione & opportuna manu tandem occurrens feliciter adfuiſti. Denique aſperrimis in Gallia vndiqua-

que motibus peruicaciter excitatis occurristi, præcipuè dum execranda fata HENRICVM Magnum è medio sustulerunt, & detestando parricidio nobis tantum Principem inuiderunt. Debebat virtus ipsa viridem, vegetam ac venerabilem tanti Herois senectutem fatis eripere, nisi ea vitæ conditione natus esset, vt iussu summi Imperatoris à militiæ humanæ castris ad cœlestes triumphos demigraret. Quæ debita illius meritis gloria filiis parentem optimum, tibi coniugem amantissimum summo cum doloris sensu, Gallis Imperatorem gratissimum cum magna vi lachrymarum, Europæ totique Orbi maximum lumen & ornamentum summo cum desiderio eius virtutum, Ecclesiæ firmum propugnaculum multo cum hostium gaudio eripuit. Tu tamen imperterriti animi robore motus imminentes discussisti, omnésque bellorum causas præcidisti, ac salutis primùm regni, deinde regiæ dignitatis curam præcipuam habuisti. Nihil vnquam in quotidiano conuictu vel consuetudine graue aut crudele vel elatum in quemquam fecisti, vel edixisti, sed comem tete ac facilem omnibus, summis, infimis ac mediocribus præbuisti. Iniuriam vix propulsasti, nusquam intulisti. A te Galli pendente administratione tua nil quicquam durum vel violentum perpessi sunt, quin eos omnes liberaliter fouisti vt mater optima, splendore exornasti vt Regina clarissima, opulentiores fecisti vt Princeps munificentissima. Vtque lucis author non solùm citima cœlorum vicinorum loca collustrat, sed etiam in cæteras mundi partes lumen radiosè diffundit; Sic incomparabilis omnium Domina non tuis modò decori & ornamento, sed exteris etiam honori & ornamento fuisti: scilicet Galliam verè liberam atque florentem non solùm fecisti, sed & Europam totã tuo consilio ad perpetuam quietem perduxisti, & pacem certam ac publicam omnium securitate comparasti. Atque ideo non mea tantùm, sed omnium prædicatione maior, hinc omnibus chara & accepta, illinc incredibili maiestate perpetuò colenda extitisti. Quòd si liceat tot animi atque fortunæ dotibus Mediceæ tuæ gentis vetustatẽ & nobilitatem adiungere; illã ante sexcentos annos in vrbe Florentia, Hetruriaque & Italia atque Europa fere tota, insigni virtutis, opum ac potentiæ fama floruisse ex Annalibus Hetruscis &

archiuis integra fide comprobatis ediſcimus. Nobiliſſimi verò æternique Hetruriæ principatus in domo tua olim fundamenta iecere Ioannes, Syluester & Verius, quos ante multi alij præcellentes viri non ſolùm prudentia rei militaris, ſed & ſcientiæ ciuilis laude longè olim enituerunt, & principem locum Florentiæ paſſimque per Hetruriam tenuerunt; quos ſi recenſere omnes ſtatuerem, induſtria certè ac tempus deficeret. Adde quòd in re ardua plus velle quam poſſis vel deceat, pertinacis eſt ingenij, non ſapientis. COSMVS igitur & LAVRENTIVS initium noſtræ narrationi facient. Vterque Magni cognomen ob rerum geſtarum gloriam, ſingularem prudentiam, admirabilem munificentiam, atque inſignem pietatem & in litteras amorem ac beneuolentiam aſſecuti. Ab eorum virtute, vt aureus ex diuino fonte riuulus, præclarum illud nomen Magni Hetruriæ Ducis ad eorum nepotes defluxit, quod in hunc diem ſibi Sanctæ Sedis Apoſtolicæ authoritate aſſertum non ſine laude atque gloria Principes Hetruriæ communi omnium conſenſu tuentur & ſuſtinent. Ille præter Martem Muſas etiam coluit, excellentem in D. Marci templo bibliothecam inſtruxit, in vrbe Florentia magnum illud & ſumptuoſum Mediceorum palatium, extra vrbem & per Hetruriam, Careggium, Feſulanum, Catagnolum & Trelbium excitauit. Sed in eo ſegetem laudis vberrimam præbet quòd eiectas capta Conſtantinopoli in exilium à Turcis Muſas & luctu intermortuas in benignum ſuæ beneuolentiæ ſinum admiſerit, aut naufragas potius & in aſſere fluctuantes in portum ſuæ liberalitatis attraxerit, attractas fouerit, opes conceſſerit, & tanto illis preſidio fuerit, vt in reliquas totius quoque Europæ partes eius fauoris aura prouectæ nauigarent, ſuum exilium prædicarent, quod relicta Barbaria pulcherrimas terrarum Orbis plagas aperuiſſet, & apud gentes omnes & Principes magni Coſmi nomina ac præconia celebrarent. Hinc Florentini, vt ab ijs fieri ſolet qui abſentium aut mortuorum pignora cultu quodam proſequuntur, relictos ſibi Ducis magni cineres breui quidem ſed æterno titulo memoriæ conſecrarunt: COSMVS MEDICES HIC SITVS EST DECRETO PVBLICO PATER PATRIÆ. Fuit autem ſupra mortales omnes Coſmus bea-

tus, quod Ioannem & Petrum ſuſtulerit, quorum nepotes Laurentius & Iulianus admirabili poſtea ſucceſſu geminos Pontifices Leonem X. & Clementem VII. edidere. Laurentius ijdem Coſmi veſtigijs inſiſtens Magni pariter cognomen aſſecutus, eò maior extitit, quò non ſolum armis & laude militari, ſed etiam literarum gloria Palladéque cum Marte culta inclaruerit, ditionem Hetruſcam auxerit, Reges & Principes Chriſtianos omnes ad ſui amorem pellexerit; Sultanũ Ægypti & Turcarum Regem, qui donis & muneribus amicitiam illius certatim proſequuti ſunt, in admirationem ſui traxerit; nec Hetruriam ſolùm & Florentiam, ſed Italiã vniuerſam à miſerabili ſtrage & exitiali ſeruitute liberauerit. Eius munificentiam in Muſas & literarum amantes teſtantur ſcholæ duæ, quarum alteram Florentiæ, Piſis álteram fundauit: & Laſcaris per vniuerſa Barbarorum imperia ad eximios antiquitatis codices exquirendos dimiſſus, eorúmque à Græcia, Ægypto & Syria, permiſſu Regum ac Sultanorum ſtudio Laurentij fauentium, magno ſumptu Florentiam exportatio. Hinc vulgatum illud in Europa Budæus, Ramus & Iouius literis prodiderunt, Græcos imperio quidem à Turcis, ſed bonis artibus, & antiquis Muſarum ornamentis à Laurentio ſpoliatos fuiſſe. Tam præclaro exemplo commoti & incitati clariſſimi Hungariæ & Arragoniæ Reges, Sfortia Dux Mediolanenſis, multíque alij non minùs virtute quàm ſanguinis nobilitate illuſtres, Palatia Muſis ædificarunt, Academias inſtruxerunt, & eruditos homines impenſiùs coluerunt, ac cæteros Orbis terrarum principes honeſta æmulatione incenderunt, atque inprimis potentiſſimos Galliarum Reges Franciſcum I. Henricum III. & Henricum Magnum, ac noſtris temporibus Ludouicum Iuſtum, qui præter bellorum ſummam gloriam vel hoc vno bonarum artium ac literarum amore apud Gallos & totius terrãrum Orbis incolas, ſicut Coſmus & Laurentius apud Florentinos, vt Magni eſſent ac dicerentur meruerunt. Numen verò ita Mediceorum virtutem fortunámque affirmauit, vt centum annorum ſpatio quatuor ſummos ſuæ Eccleſiæ, qua nihil in terris habet carius, Antiſtites ex ea gente velut ſacro Pontificum ſeminario præeſſe voluerit. Ordinem ducit LEO X. Laurentij Magni fi-

lius, ex cuius ore lenis & ad omnes affectus exprimendos accommodata fluebat oratio, dictabat epistolas Latinè & Hetrusce stylo pereleganti & admodum expedito, versus Latinos & Hetruscos mira felicitate pangebat, historias omnium temporum & gentium sciebat & recitabat, atque incredibili Maiestate & rerum sacratum notitia, nec minori pietate sacra peragebat, Iustitiæ, probitatis, Theologiæ, clementiæque laude præfulgens. Is Franciscum à Paula ingenti apparatu & admirabili celebritate in Diuos retulit, & totum vitæ decursum præclaris actionibus quasi coloribus depingens omnium Ordinum gratiam sibi conciliauit. Ante mortem Parmam & Placentiam Sanctæ Sedi restitutam & Italiam liberatam conspexit; quod illi morienti solatium fuit. Leonem mortuum omnes elegantes viri & literis perpoliti congestis laudibus deplorauere, & versibus vndiquaque affixis immortalibúsque liberalis ingenij monumentis eum vt magnitudine animi, literarum scientia, personæ dignitate & authoritate nominis admirandum æternitati dedicarunt. Secundus ordine fuit CLEMENS VII. Iuliani filius, qui Pontificatus initiò annum Iubilæum magno concursu populorum & pietatis ardore celeberrimum aperuit. Imperatorem ad officium flexit, Italiam, Ecclesiam & familiam pacatam reddidit, Catharinam Mediceam Henrico Galliarum tum Delphino, posteà Regi eius nominis secundo, felici connubio copulauit, nuptiásque dignitatis plenissimas in vrbe Massiliensi cum Rege Christianissimo sua præsentia cohonestauit. Franscicum Sfortiam in Ducatum Mediolanensem & Mediceos Principes in principatum Hetruriæ restituit. Affinitates ingentes & honorificas contraxit. Cardinales viros graues, pios & eruditos dixit, inimicos omnes è vita excedentes vidit, scilicet Priorem Moncadensem, Principem Aurantium, & Pompeium, Cardinalem Columnam, nec non Germanos peste consumptos. Breui pòst tempore annísque à morte Clementis VII. aliquot interiectis PIVS IV. post varias contentiones in Conclaui præeunte religiosa Spiritus Sancti appellatione die natali Domini Christi IESV electus est. Ille vt sacræ nauis gubernaculum tenuit, & domus Dei clauum accepit, abusus in Ecclesia serpentes repressit, innocentes

ob hæresin falsò insimulatos ac iniquè detentos liberauit, Pontifices ad caulas & Ecclesias suas ire iussit, spoliatos Principes in integrum restituit, Gallorum Regi contra Hispanum Ducatum Mediolanensem addixit, Abdyssæum Ecclesiarum Orientalium Patriarcham excepit, qui illi posteà vt Pontifici summo veram obedientiam præstitit, vsúmque Romanum accepit in Oriente publicandum. Denique lubens ac volens & cogente nemine Tridentinum Concilium indixit, necantequam clauderetur vitam clausit. Excessus æstimationum quas vocant temperauit & minuit, templa nitori suo restituit. Confidentias, duella, matrimoniáque clandestina grauibus pœnis mulctauit: Itinera & vias publicas portúsque & vrbis portas reparauit. Bibliothecam instituit quæ Patrum Sanctorum opera omnia contineret, & eius curam ac custodiam Paulo Manutio Aldi filio consignauit. Præterea fuit viuido & celeri ingenio, felici memoria, eloquentia penè incredibili, & tanta integritate morum, vt quem purus & omni virtute ornatus, honoris gradum obtinuerat, eumdem moriens non modò intaminatum relinqueret, verùm etiam præclarum tantæ dignitatis administrandæ exemplum. Vltimus eorum fuit LEO XI. quem tantùm terris ostenderunt fata, nec diutiùs passa sunt in ijs esse. Legatus ad Henricum Magnum in Galliam missus à Clemente VIII. & fœderis apud Veruinum inter duos potentissimos Principes icti præcipuus author extitit. Quòd si diuturniùs vixisset, ab eo opera admiranda profecta essent, vt qui pius, eruditus, prudens, liberalis, generosus ab omnibus coleretur. Quatuor itaque Florentia magnos Duces suspexit, COSMVM eius nominis secundum, auum tuum paternum, FRANCISCVM patrem tuum, Ferdinandum patruum, Cosmum II. & Ferdinandum II. qui hodiè feliciter imperat: qui omnes memorabili virtutis exemplo gentilitium decus non solùm renouarunt, sed & cumulatè, varijs incredibilis prudentiæ, fortitudinis, ingenij consiliíque facinoribus editis adauxerunt: ídque adeò egregiè vt maiore fortuna regióque diademate planè digni esse videantur. Demum proceres inter Mediceos, Cardinales, Principes, & exercituum Duces innumeri, necnon XXVII. Gonfalonerij recensentur, quorum omnium nomina & me-

rita vt pote infinita longioris est orationis complecti. Verùm tot inter Heroinas quæ ex hac nobilissima stirpe olim editæ floruerunt, duas potentissimas & augustissimas Reginas, Catharinam & te MARIAM MEDICEAM Reginas potentissimas veluti fulgentia sydera cæteras inter quasi stellas micantes veneramur. Vtque à duobus in rerum natura præcipuis & integris coloribus, & ab eorum permixtione alios suboriri colores propè infinitos conspicimus, qui rebus vel speciebus ipsis lumen & venustatem conferunt: sic geminarum splendor & maiestas heroinarum multiplici virtutum concursu decus & dignitatem gentilitio decori abundè adiecerunt. Vtraque fuit potentissimi Regis & eiusdem nominis coniux, quorum alter fortis & bellicosi, alter inuicti & Magni cognomen omnium consensu retulit. Vtraque sobolem eduxit qua Sol nihil vnquam vidit augustius & generosius. Vtraque Regni Regens summo applausu Gallorum imperium summa cum authoritate rexit. Vtraque filijs in ætate minori constitutis sceptrum & statum saluum & incolumem præstitit. Vtraque liberis dignissimas affinitates conciliauit. Vtraque summa pietatin sanctam sedem Romanam excelluit, & vestigijs Regum Gallorum insistens summis Pontificibus opem ac suppetias aduersus hostes præbuit. Vtraque Galliam sibi patriam existimauit, & ad eam exornandam & augendam perpetuò curas omnes intendit. Vtraque Religionem Catholicam Apostolicam & Romanam, quam nouæ opinionis homines in Gallia euertere tentabant, conseruauit & ab interitu vindicauit. Vtraque varios Comitiorum æstus & turbas prudenter ac feliciter elusit. Vtriusque domus publicum omni virtuti & liberali doctrinæ hospitium fuit. Vtraque gentilitium decus non solùm renouauit & restituit, verùm etiam varijs facinoribus editis cumulatè compleuit. Vtraque liberalitati suæ, quæ regia omnino virtus est, fines non præscripsit, omniúmque votis satisfacere cupijt. In vtrâque singulares animi & ingenij motus consecrandis per ædificia & opera admiranda memoriæ monumentis admiramur. Vtramque demum religiosa cum veneratione vniuersa Gallia, imò totus terrarum Orbis sanctissimè coluit. Vt verò Mediceos Principes Tu & Catharina superastis, sic in multis Catharinam tibi

tibi quoque præstantiori & feliciori sorte & virtute omnino superare contigit. Catharina fractum ac diuulsum Gallorum imperium & horribilibus bellorum turbinibus disiectum propè iacens & depositum vidit, sensit, nec omnino remedium salutare adhibere potuit. Tu è contrà nos in tutam stationem subduxisti, compositisque rebus omnibus, & complicatis velis securè conquiescere, nec violentos fluctuum insultus, nec maris æstum instantem, nec ventorum turbulentos flatus perhorrescere voluisti. Catharina nouam religionem nascentem & in ipsis ferè incunabulis, nec vi, nec ferro, nec arte, nec industria extinguere valuit. Tu hæresim iam planè fundatam, auctam & stabilitam, illiúsque vires sensim & sine vllis motibus repressisti, eámque lenibus remedijs non cruentis ferè oppressam, Regi filio ijsdem artibus penitus extirpandam reliquisti. Catharina Regens electa regni quoque vniuersi Præsidem Regem Nauarræum pacis & belli tempore comitem habuit. Tu nullum, nisi belli tempore præfectum exercituum vidisti & suspexisti. Catharina quædam magis quàm par esse nonnullis videbatur ad seueritatem reuocauit, vnde varij & perpetui motus; Tu ad mansuetudinem, lenitatem & clementiam omnino deflexisti, & pacificè motus omnes tua benignitate sedasti. Tu quoq; dissensiones nostras tam vetustas, tanto furore incensas, tam implacabiles & obstinatas tandem consopijsti & mitescere imperasti: Illa dissidia nostra sine multorum internecione componere non potuit. Catharina periculosis omnia inter se nexibus implicita & inuoluta atq; ancipiti sortis æstu iactata moriens reliquit: Tu à summa desperatione ad certam spem, ab obscura & profunda nocte ad candidam lucem, ab egestate ad abundantiam, ab interitu ad salutem omnia reuocasti, & reuocata hodie summa cum voluptate conspicis. Varijs artibus & machinis animum Catharinæ quàm plurimi sollicitauêre vt bellū ex bello sererent & in posteritatem luctus & funera protenderent & propagarent: Tu fidelissimorum & prudentissimorum administrorum vsa felici operâ diuinam quamdam & admirabilem gubernandi artem & modum tenuisti, nusquam titubans, sed immota semper & animo præsens rectum clauum tenuisti, neque tot fluctibus, tot vndis circumquaque frementibus vn-

quam cessisti. Catharina opera multa quidem incœpit, sed reliquit imperfecta: Tù non solùm incœpisti, sed & magnifica atque admiranda ad exitum perduxisti. Catharina non omnium beneuolentiam: Tu contrà omnium ordinum amorem tibi adiunxisti. Illa vel casu bellorum, vel alio quodam fato Academiam vt par erat exornare non potuit: Tu varijs monumentis in Academia feliciter extructis Cosmi, Laurentij, FRANCISCI I. & HENRICI vtriusque memoriam sempiternam excitasti. Sub Catharina noua Religio per Galliam fluxit & incrementum cepit: ductu tuo defluxit & decreuit. Illa Gallos immani rabie percitos, séque mutuò dilacerantes & mutuum sanguinem auidissimè helluantes conspexit, nec prohibere potuit; Tu sedatis compressisque iurgijs vicisti animorum implacabilitatem, temporum duritiem & inclementiam, hostiúmque feritatem pacauisti, & ad tranquillitatem omnia composuisti. Maiorem sub moderatione tua quàm Catharinæ, sanctitatem in Ecclesia, pietatem in templis, Iustitiam in foro, generositatem in Nobilitate, modestiam in plebe refloruisse nemo est qui nesciat. Sub Catharina, & ea quidem inuita, passim Bellona cum tribus Furijs suos ludos impotenter agebat; Te regente & administrante felicibus auspicijs Astræa virgo & cultiores Musæ, quæ ciuiliũ æstuum tumultu pulsæ, cœlos petierant, quasi postliminio reuersæ domicilium hîc suum figere voluerunt. Ecclesiasticum Clerum, Regni Curiam amplissimam, Principes & proceres, Nobilitatem viró́sque omni doctrinæ genere præstantes impensiùs ornauisti quàm Catharina, liberaliúsque prouexisti. Catharina iuueniles Regum filiorum animos discordijs domesticis & odio in suos implacabili accensos minimè sedare potuit: E contrà regni proceres donis & muneribus demulsisti, & eos ad obsequium Regi debitum varijs officijs excitasti. Tabulæ, signa excellentium artificum, aulæa, monilia, tótque miracula prægrandi pecunia & magno sumptu à te conquisita, quicquid fuit eximij, & excellentis apud Catharinam longissimè superarunt. Sub Catharinæ imperio fulgor armorum & strepitus militum omnium oculos & aures animósque percellebat, obtundebat, consternabat: Te regente lapillorum & vnionum fulgor cum amœnissima pacis

luce & suaui modulatione oculos, aures animósque demulcebat. Magnificentia Carozelli sub te quoque in nuptijs Hispanicis, impensam in Polonos & in pompam nuptiarum Francisci II. Caroli IX. & Henrici III. Catharinæ filiorum pecuniam multùm excessit & superauit. Catharinæ filij non ita virtutis, fortitudinis & bellici vigoris testimonia edidere ac LVDOVICVS IVSTVS, filius tuus, Rex augustissimus & potentissimus, qui medio in ætatis flore admirabiles victorias, triumphósque iam retulit incomparabili fortitudine clarissimus. Tu Galliam iudicio incredibili, diuina sapientia & labore admirabili ex flamma, ferro atque ipsius Orci faucibus eripuisti: Catharina Galliæ fatum imminens, ore cruento fremens, scelus & cædem anhelans, ruinam vbique minitans comprimere & opprimere vix potuit. Catharina imperante deformis & sæua hyemis tempestas, concitatis Aquilonibus mugiens, perpetuis horrida niuibus pluuijsque & pruinis cœlum & terras infestabat: Te gubernante ver quoddam nouum & floridum mollissimis Zephyrorum flatibus mitescebat, varijs florum coloribus effulgebat, & vario germine reuirescebat. Sub Catharina Gallia tantùm ab occasu se subtraxit; sub te maximè viguit & quodam flore virtutis exarsit. Hospitium tuum in edito suburbiorum colle, ideóque salubri lætissimáque loci facie feliciter excitatum vario picturæ genere, exquisitis clarorum virorum & illustrium fœminarum imaginibus, & diuersis aliarùm rerum tabulis planè incredibili diligentia toto terrarum Orbe conquisitis, sumptuosa supellectile, aulæis & tapetibus auro argentóque & purpura intertextis mirabiliter adornatum, nec non marmore & lapidibus pretiosis feliciter instructum sumptus luculentioris & structuræ præcellentioris decus exhibet, quàm Tegulariæ ædes à Catharina extructæ. Tu omnium animos arctiùs beneficio quàm metu, lenitate quàm seueritate, beneuolentia quàm terrore tibi deuinxisti. Catharina rebelles pœna potiùs quàm beneficio, seueritate quàm clementia, iustitia quàm indulgentia continuit. Franciscus II. Carolus IX. & Henricus III. fuere quidem maximi Principes, sed eos filij tui potentissimi longè exuperarunt, & illorum gloriam suis splendoribus obscurarunt, scilicet LVDOVICVS IVSTVS

Orbis eſt miraculum; & Frater illius nullum ſe majorem, niſi Fratrem inuictiſsimum Regem ſuſpicit. Denique Catharinæ progenies magno quidem Galliæ detrimento defecit, ſed auguſtiſsima tua ſoboles quæ hodie florentiſsimè viuit & imperat, ac totum terrarum Orbem æternis & admirandis monumentis adimplet, Deo piorum votis annuente, æternum imperium feliciter obtinebit.

EXPEDITIO
RVPELLANA,
AVSPICIIS ET ARMIS LVDOVICI IVSTI REGIS
Christianiss. & inuictiss. confecta.

VICTOREM sæpe, & rebellium exterorumque hostium domitorem LVDOVICVM IVSTVM, Regem Christianissimum & inuictiss. memoriæ consecrauimus; nunc confectis bellorum reliquiis, infractâ contumaciâ, furore ciuili compresso, clusis nostrarum calamitatum fontibus, incendiis Galliæ restinctis, Anglorum spretis conatibus, & expugnatâ (quæ numquam aliás) fortissimè Rupellâ, iure summo triumphantem, & perduellibus veniam humanissimè iuxta & generosissimè dantem, posteritati mandamus. Itaque merito iure lauream immortalem, palmas virentes, trophæaque illustria & signis victricibus interlita *Christianissimo & potentiss. Regi offerimus*, atque vniuerso terrarum Orbi spectanda proponimus: Singula quæque explicent alij, nos è præcipuis ea quæ sunt præstantissima, quæque miraculi speciem ferunt, attentissimè legimus: sic frequentissima stellarum congeries plerumque luminum nostrorum obtutum effugit, atque è pluribus astris radiantibus ea duntaxat, quæ splendidiora sunt, & lucidiori fulgore cælum illustrant suspicientes, lætantibus oculis intuemur. Obsessa Rupella in-

genti victoriæ causam insignem, dedita clementiæ materiam illustrem præbuit. Nota est vrbs illa toto Orbe, ob frequentissimas plebeculæ seditiones omnium ore gentium decantata: Hæc Alnetensis prouinciæ caput, & Oceani maris emporium nobile triplici murorum cinctu, firmissimis aggeribus ac propugnaculis, creberrimis turribus, profundissimis latissimisque fossis, & alluenti Neptuno confisa, primùm suorum Principium auctoritatem minuere, sensim eorum imperiis se subducere, & tandem sui iuris esse pertinacissimè tentauit: Coercuit Franciscus primus, & aliquo tempore iniquos impetus refrænauit; sed ex quo tantum Regem sibi ereptum luxit Francia, pariterque Henricus secundus occubuit, receptâ in eam arcem hæresi, tantum animi cepere nonnulli è fæce hominum facinorosi, vt Galliam vniuersam cum reliquis nouæ opinionis perduellibus infestis armis peterent, & religionis prætextu tantum huius regni statum non euerterent. Norunt omnes ciuilium sæpe bellorum causam extitisse, & positis iam armis ad ea capienda rebellibus classicum cecinisse. Sub Francisco II. Carolo IX. & Henrico III. cum vi summam potestatem prope vsurpassent, sub Henrico IV. callidis simulationibus conseruassent, sub Ludouico tandem Iusto sancire conati sunt; Nulli motus fuere ciuiles ab eius regni exorsu, quibus in suam libertatem intenti, cultum maiestatis non excusserint, nullæ turbandi occasiones, quas non amplexi sint, nulli tumultus quos non fouerint, nullæ minæ, quibus quasi maris domini, non vsi sint: noua in dies priuilegia, nouas immunitates ac iura deposcebant, veteribus derogatum querebantur, nihilque nisi venturos Anglos & exteros bellatores loquebantur. Tandem cùm furor conceptus se diutius continere non posset, nimisque odiosum esset proiectæ audaciæ hominibus sub rege viuere; quasi religioni timendum esset, prætextu nobili accersitos in Retensem Insulam Anglos immisêre, ruinam Galliæ & luctuosum patriæ excidium pacti. Rex IVSTVS quandiù suis legibus Rupella viueret, eaque moliretur, suæ coronæ noxiam iudicans, eam obsidione cingit, in qua celebrat primùm Europa tota ingentem illam quam vocant

communicationum lineam & vallum castrorum tot propugnacullis excitatis, tot turriculis constitutis vbique ita spectandum, vt omnis ad vrbem terra interclusus aditus videretur. Miratur quoque memorabilem illum Aggerem, & claustrum Oceano impositum, eo artificio, vt ipsam sinus & maris & loci naturam Rex potentissimus superauerit, atque ipsum Oceanum nullo vsu obsessos iuuantem, frustraque obnitentem, frustra refluum & æstuantem reddiderit, ad eumque modum & statum adegerit, vt ire & redire eò loci solito affluxu & impetu desierit : adeo vt nec immani fluctuũ concitatione prorumpens, nec immensâ aquarum mole consurgens, oppositos sibi obices perfringere, vel impositas substructiones conuellere potuerit, imperium inuictissimi Regis ferens, & consiliis maximi & generosissimi Cardinalis Richelij, ad Regis & regni gloriam cælo dati, Superis cogentibus obsecundans. Rupellæ ad maris fauces sitæ portus genuinam Lunæ crescentis speciem refert, cuius cornua duo vel anguli gemini in campum æquoris latiorem atque patentiorem prominent, sibique mutuum auxilium ferunt: duo propugnacula in vtroque angulo siue cornu excitari iusserat LVDOVICVS IVSTVS, aliud ad Coralliæ angulum, aliud ad Noui portûs, quibus sibi maris assumpsit imperium, spemque commeatus obsessis interclusit. Vrbs autem ab vno cornu ad aliud terram versus vallo & fossâ & operibus ingentibus & continuis erat septa, viâ omnibus occulsâ, & hoste intra muros coërcito. Nempe inter hæc duo cornua, in ipso vallo & fossa primùm quidem pauca propugnacula, posteaque exercitu aucto creberrima extructa sunt. Itaque præter præcipuum illud Ludouici prognaculum, quod excitatum prius fuerat, duodecim alia numerabantur, iuxtaque turriculæ plures modico interuallo sepositæ, tum ad defensionem castrorum, tum ad vrbis oppugnationem exurgebant. Hæc inter conspiciebatur longinqua illa & circumcurrens communicationis linea, quæ vallum & fossam continebat, ab angulo Noui portus incipiens, quæque sensim continuabatur vsque ad propugnaculum Coralliæ, totamque vrbem circundabat, ea-

amplexu coërcebat. Mirum eſt quanto ardore linea iſta communicationum,foſſa,vallum,tot turriculæ,totque propugnacula ædificari cœpta ſint, vt nec hyemis quidem temcula fortiſſima & turriculas ſuoque duodecim propugna peſtatibus, aut pluuiis, aut ventis, aut caloribus, & diuerſis anni vicibus & temporibus milites noſtri ceſſerint. Videres eos operi & labori inſtantes, niuibus & pruinis obrutos, vel caloribus immodicis defatigatos durare, nec hyemis nec æſtatis ſpatio & tædio arma deponere, vel laborem intermittere, nec Regem alium obſidioni, quàm expugnationi finem præſcribere. Sic clauſo ad Rupellanos omni per terram aditu, miro quoque artificio portus obſtruitur, omnique maritimo commeatu & ſubſidio Britannorum impedito ſpes reſiſtendi diutius præciditur. Primùm quâ portûs fauces ſunt anguſtiſſimæ, Agger ille celeberrimus,tellure,lapidibus, limo atque vligine confectus, ab vno littoris cornu ad alterum Rupellanis paruo noſtrorum damno innumeras glandes tormentis ad operas turbandas vibrantibus, porrigitur, hinc & inde in imum talum erumpens & ſenſim inclinans. In ſummo illius varia tormenta exponuntur,acceſſuros in portum proturbatura. Per tranſuerſum portus, trabes & proceræ arbores iacent, obſtruuntque omni aditu egreſſuue nauibus ac cymbis interculſo. Iuxta ſunt innumeræ naues contiguæ intertextæque & in formam obliquam ac penè vndantem diſpoſitæ, eæque ſaburra, ſaxis & terra degrauatæ in ipſo portu & faucibus illius ſupprimuntur tanta dexteritate, vt ne quidem naues vel ampliſſimæ vel minimæ portum aut vrbem intrare poſſint, ſiue recedente, ſiue accendente Oceano. Factum id fuit eo artificio, vt facilius moles arboreæ & naues obliquis ordinibus velut in quincuncem collocatæ, maris furori & vndarum incurſibus obſiſterent, eueniteque vt talis obliquitas vſui maximo fuerit. Hæ duæ moles, arboreæ ſcilicet & nauiculariæ, à tergo ſuſtinebantur, & defendebantur nauium fluctuantium, ſimulque inter ſe iunctarum multitudine, quæ omnes ſtrenuis viris refertæ inter vrbem & portum poſt moles arboreas & nauicularias conſiſtebant,ipſumque occupabant. Vltra moles illas vtrin-

que ſtabant paruula quoque nauigia, quæ in apertum & patentem æquoris campum extendebantur; Illa quidem à dextra & ſiniſtra parte collocata, militibus quoque generoſis oppleta erant, audacter aggreſſuris quæcumque alia ſiue maiora ſiue minora nauigia, quæ vel moles arboreas, vel naues immerſas tranſilire, vel in altum tollere, vel infringere tentarent. Denique trabes aliæ tranſuerſæ collocantur, quæ celeri ventorum turbine & aſſiduis fluctibus agitatæ, altiùs & firmiùs mari profundo defigerentur; illudque nauibus inuium redderent, & ab omni parte portum obſtruerent. Atque ita qualiſcunque æſtus inſiluiſſet, qualecumque nauigium, vel claſſis inimica ſeſe obtuliſſet, aditus omnis maritimus in profundo vndique ad miraculum intercluſus conſpiceretur. Huic obſidioni, totque operibus ingentibus cauſam præbuere Anglia & Rupella, nec leuis interceſſit cauſa belli, cum ſit ipſa rebellio, & hoſtis externi inuaſio. Scilicet dies quietos tranquilla exigebat Gallia, in eoque totus erat LVDOVICVS, vt ſe ſanctiori & reuerentiori nomine & titulo poſteritati conſecraret, cùm ecce Anglus affinitatem Regis potentiſſimi ſe optare impotenter fingit, ſororemque illius in vxorem ſibi dari enixè poſtulat. Gallia ſperabat vtrique regno tranquillitatem hoc coniugio affore firmiorem, ideoque huic IVSTVS animo non repugnante conſenſit. Sed dum tractatur, adminiſtri regis Anglorum in Galliis agentes animos perduellium, præcipuèque Rupellanorum tacitè pertentant, & ad rebellionem prouocant. Interea coniugio ſummâ cum ſolemnitate & apparatu ritè celebrato, & ſacris nuptiarum ab illuſtriſſ. Cardinale Rupifulcaudio incredibili cæremoniarũ dignitate obitis, vnicuique ſpes animum ſubierat Catholicis in Anglia miſerè degentibus ſolatium aliquod inde ſuboriri, & vtrumque populum arctiori & potentiori amicitiæ vinculo inter ſe coniungi; ſed res illa ſucceſſu tam felici caruit, & ſpes tanta in leues auras breui momento conceſſit, conſilioque par effectus minimè apparuit, acciditque in ipſo limine coniugij & aduentus Reginæ in Angliam, vt loco liberationis captiuorum (quemadmodum fieri aſſolet antiquo & ſolemni ritu) Catholici quin-

quaginta in carcerem coniecti fuerint, idque contemptim fereque in conspectu Reginæ, posteaque præcipui, omnesque illius domestici & administri contra pacti matrimonialis authoritatem abire è Britannia iussi sint. Vt malis tantis remedium aliquod adhiberetur, Bassompetra generosus equitum Tribunus, legatus in Angliam extaordinarius mittitur, qui rebus omnibus prouideret & mentes Anglorum flecteret. Verùm hæc legatio, licet illustris, sine fructu tamen euanuit. Postmodum Regina mater in filiam affectu verè materno & incredibili concita, inter vtrumque Regem amicitiam denuò conciliare tentat, sed hoc incassum. Angli hostilia omnia Gallos aduersus induunt, & nulla belli denunciatione prius factâ, ex fortunis Gallorum capta præda maximos & illegitimos quæstus faciunt, nauesque nostras diripiunt, incendunt, immergunt. Mercatores Galli suas querelas deferunt ad Ducem Luxemburgium, tunc temporis apud Blauiam, cui præfectus erat, commorantem, qui pro dignitate Regis partes suscipit, in naues Britannas manum regiam tanquam pro sponsione protinus inijcit. At postulantibus Scotis huiusmodi manus iniectio sublata est, redditaque cum eorum mercibus nauigia fuere. Hæc animi beneuoli testimonia minimè Anglos mouent, quinimò audaciores fiunt, bonaque & fortunas Gallorum proponunt ad prædam, & edicto solemni per Angliam promulgato nobiscum commercium prohibent, nauigia nostra Regi Anglorum & illius fisco addicunt. Præterea classem adornant & instruunt in Gallicæ Coronæ exitium. Magna per idem tempus fuit Rupellanæ furentis plebeculæ, seque Regis obsequio subducere, & variis motibus atque insanis omnia seditionum fluctibus agitare tentantis audacia. Boni ciues qui superabant, & Regis, Patriæque amantes vrbe cedere coguntur. Exilium tolerare quàm vlterius dedecori & turpitudini parere maluerunt, aris atque focis carere, quàm cum plebecula furere & insanire, omnes opes & fortunas deserere, quàm authoritati Regiæ nunquam non lubentissimè obtemperare, se denique magistratibus suis sponte abdicare, quàm in eis aliquid contra leges, debitumque Regi obse-

quium committrre ſanctiſſimè cauerunt, adeoque facies ciuitatis breui immutata eſt, vt nemo fuerit, qui antiquæ amplitudinis, potentiæ & opulentiæ recordatus, miſeriis illius non illachrymauerit. Itaque plebs Rupellana inſaniâ ſui impos, & arbitrio ſuo verſans omnia, Rege fortiſſimo & inuictiſſimo ægrotante, Anglis tandem aliquando ſe adhæſuram pollicetur. Sed ô miſeranda ciuitas! facillimè bellum ſumis, difficillimè ſuſtinebis, nunquam niſi tuo exitio confectum ſuſpicies. Incipere cuiuis turbulento, deſiſtere non licet niſi victori. IVSTVM Regem tuum aggrederis, qui in ipſo ætatis flore vt fortiter, ita feliciter aduerſus rebelles ſubditos, aduerſus hoſtes exteros ſemper dimicauit, quique eorum rebellionem vel aggreſſionem inſigni virtute ſua & fortitudine ſuperauit, eorum aſtus prudenti conſilio eluſit, eorum pertinaciam generoſa conſtantia contudit, eorum temeritatem animi magnitudine domuit. Peruendum tibi, aut mutanda rebellio. Enimuerò quæ monemus, leues in ventos abeunt, dum Angli & ciues tui ipſam ventorum & maris inconſtantiam imitantur, quæ breui conſilia & conatus eorum in auras quoque diſſipabit. Angli igitur nefaria Rupellanæ plebis ſuaſione ducti, morbo Regis optimi, qui aduerſam in valetudinem anno 1628. ſub 28. Iunij diem inciderat, oblatam ſibi occaſionem arripiunt, incertum peiore conſilio an euentu, claſſemque Duce Buquingamo conſcendunt, cuius maiora & minora nauigua ſi recenſere velimus, centum & quinquaginta nauium aut cymbarum numerum implebant. Nuſquam ingentis claſſis apparatus & multitudo maior in Oceano noſtris temporibus viſa. Itaque æſtu ſupra modum excreſcente, tempeſtatem ad nauigandum idoneam nacti, non magis vento quàm fortunæ vela committunt, ſed vtriuſque mobilitas & inconſtantia in Anglis ludos tandem ſuos fecit. Secunda igitur aura prouecti, Ream Inſulam Rupellæ proximam, nulla denuntiatione priùs facta, inopinato impetu & ex improuiſo appellunt circa 21. Iulij diem, tempore quo Luna plena maritimos æſtus maiores facit. IVSTVM aggrediuntur, cum quo nulla bella, nullæ offenſiones, nec tot annorum curſu vllæ quidem vel

minimæ controuersiæ intercesserant. IVSTVM Regem omnium consensu petentissimum, Christianiss. & inuictiss. adoriuntur. IVSTVM inuadunt, qui omnia consilia sua siue domi, siue foris, omnia studia publica & priuata, omnes conatus, omnes actiones, omnes denique cogitationes ad Iustitiam & Pietatem referre solet, semperque retulit. IVSTVM, qui in ipso flore ætatis tot trophæis illustribus, tot insignibus victoriis supra cæteros Orbis vniuersi Reges & Imperatores clarissimus innotuit, & pro cuius salute non solùm ipsa Gallia sed & Roma & Europa, sed & vniuersus terrarũ orbis singularibus votis excubat. Angli igitur bello prius gesto quàm denunciato, armata classe Ream insulam occupant. At verò euentus docuit, Deum sibi infestũ & iniustæ aggressionis vindicem fecere. Venissent in magnũ discrimen nostrę fortunæ, & antiqua huius sceptri dignitas, nisi Regis nostri inuictissimi virtus & maiestas, & maximi Cardinalis Richelij cura & prouidentia non modò Anglos irruentes ab Insula depulisset, sed etiam magna internecione felicissimè deleuisset. Itaque Toirassius vir strenuus manum paruam quidem sed alacrem colligit. Pugnam generosè iuxta & fortiter committit, & eorum temeritatem & impetum ingenti strage reprimit. Enimuero magna hostium multitudo cæditur, & eos inter non pauci duces, & præfecti militum sexcenti numerantur. Eo etiam in concursu è nostris ceciderunt Restinclarus Toirassij frater, Baro Cantalius, Naualius, Causæus, & alij nonnulli generosi viri quos non silebit Hstoria. Planè quemadmodum Aquilo vehementiori murmure & rapidiori turbine ab initio fremit ac furit, & postea leuiori & remissiori flamine subsidens spirat, & sine viribus esse desinit. Sic Anglorum Aquiloni subiacentium ingressus in Insulam, nisi temeritas obstitisset, fuerat totus nobilis & generosus, sed secutus est exitus planè miser & fœdus. Scilicet temeritas, vbi primum effudit impetum, torpet: in impetu vis est, quæ mora etiam minima languescit. Itaque Angli in D. Martini propugnaculum inchoatum, & nullis munitionum præsidiis instructum intenti, illud arctissimâ obsidione circumdant. Auditis per Marchionem Brezæum Broagio tunc commorantem,

quæ

quæ in insula Reana gesta fuerant, Illustrissimus Cardinalis, cui Rex morbo affectus præcipua regni munera sub authoritate Reginæ matris augustissimæ crediderat, ea extemplo cogitat, consulit, atque peragit, quæ ad regiæ maiestatis authoritatem, ad patriæ incolumitatem, rerumque publicarum & priuatarum curam spectant felicissimo successu, famamque perfectissimarum virtutum, firmissimæque sapientiæ, per insignia & immortalitate digna facinora sustinet. Itaque nullas officij partes, nullum studij genus, nullum rei gerendæ momentum vel occasionem, quæ ad Toirassij salutem, vel ad regni dignitatem pertineat, omittit, & Rege adhuc ægrotante, consilio cum Regina matre augustissima communicato, mira diligentia vno die triginta cursores varias in regni prouincias, præcipuèque in oram Pictonicam, Alnetensem, Santonicam, Aquitanicam, Britannicam & Neustriacam, atque vnius mensis spatio ducentos belli necessitate id exigente dimittit. Marsillacum Abbatem ad Pictonas, Episcopum Mimatensem in Neustriam præmittit, omni ære, quod in numerato habebat, aut mutuum accipere potuerat ad colligendas copias, comparandum commeatum & subsidium Toirassio afferendum liberalissimè profuso; maluit generosissimus & patriæ amantissimus Cardinalis se pecunia quam auxilio Toirassium & obsessam Insulam destitutam esse. Iussit insuper Equiti Portæo, Marchioni Brezæo, Melleraio, Ponti-Corlayo, Beluallo, Chabanio, Cahusaco, & aliis quos Regi fidissimos novit, vt extemplo in opportunas descensionis Anglorum prouincias euolarent, omnibusque regni portubus diligentissimè occlusis Toirassio & insulæ, quod ab ipsis factum est, intentissimè prouiderent. Magnum ad hoc nauigiorum & scapharum numerum armis & cibariis instructarum comparat, nihilque obsidioni aut leuandæ aut tollendæ, & repellendis Anglis idoneum non cogitat; interim dum Buquinkamij affinis Hasturius magnis itineribus Lutetiam tendit, de pace, vt rumor erat, acturus, auxilij paululum Toirassio à Cardinali per Marsillacum Abbatem satagente immissum. Obtulêre se bellatores, Bellilocus, Persacus, Launayus Razillius

Cahusacus & alij suas quoque hîc partes egerunt fortissimè. Per id tempus sanitati Rex sensim restituitur, illi tota negotij moles ostenditur, quam æquo & infracto animo videt primùm; deinde incredibili robore & diligentia prouidet, ac mox Rupellam rebellionis arcem aggredi constituit, exercitum conscribit, in eoque summum militiæ Aureliano Duci fratri dignissimo & generosissimo permittit imperium. Dux Engolismensis illustrissimus præmittitur, qui copias colligat; sequitur propediem ipse, infestisque, dum lustrat propugnacula, Rupellæ tormentorum fragoribus excipitur, reddunt ardentiorem pericula, acrius hostem vrgendum existimat, noua excitat munimenta asseribus contecta, quibus tutior militum coitio foret, vtiliorque communicationis linea. Præterea suis partim sumptibus, quantum potest, satagit, vt Toirasio auxilium detur. Rupellani eius ardorem generosissimum facilè in discrimen coniecturum rati, nec circumfusam strenuissimæ Nobilitatis turmam impetum inhibituram si explosis tormentis primùm, tum minaci recessu in Rupellam irritetur; inuolant extemplò lacessituri ex vrbe nonnulli, excussisque tormentorum glandibus circa Principis aures personant. Emicat continuò, & nisi teneantur in medios irrumpit; cedunt loco Rupellani, ruentibus in illos fulminum modo ex eius cohorte Nobilibus, ingentemque edentibus stragem, quos inter Brionius. Brianfonius, Puylaurentius, Fueillada, Oschius, Borrius, Launayus, & Nantasius dignissimè se gesserunt; Maricurius solus cæditur, cuius corpus vi armata gladioque stricto Dux Bellogardius ab hoste manu propria interfecto, generosè eripuit. Insulâ Reâ ferè desperatâ, consilium initur auxilium ferendi. Acerrimus hortator est Dux Aurelianus ad opus tam nobile & generosum. Commeatus instruitur, Toirasius tractatus fingit, vt hostem eludat: varia interim certamina peragit, in quibus fortiter occumbit Monferrerius alter ex eius fratribus; monet bono sit animo Caridnalis Richelius, maturè conuentura auxilia, Regemque extemplo aduolaturum: sed vrgent iterum Angli, instruunt acies, tormenta in arces disponunt, instant quasi proximæ deditioni, tormenta identidem explodunt,

assultum præparant. actum erat de Insulæ arcibus, nisi fortitudo ac prudentia Toirassij, spe (quæ maximum in rebus arctis præsidium est) in vigilantiâ Regis potentissimi industriâque fortissimi Cardinalis posita sustentaretur. Vrgentibus itaque Anglis, Rex itineri se accingit, relictâ Lutetiæ Reginâ matre augustissimâ, quæ sua incredibili ac prope diuina prudentia, vt sæpe aliàs, rebus omnibus diligenter intendat. Satagente interea, quantum potest, Abbate Marsilaco postea Mimatensi Episcopo, vt commeatus & auxiliares copiæ minoribus nauigiis, tenebrarum & obscuræ noctis beneficio summa celeritate in Insulam euolent, & repugnante licet totâ Anglorum classe, illiusque reboantibus tormentis generosè ac fortiter ad portum sese applicent. Id Toirassium maximè recreauit, imprimis quod in iis fuerint Desplanius Marchio Grimaldus, veteris amicitiæ vinculo ei coniunctus, Bellilocus Persacus, Launayus Razilius, Queusacus, Andoënius, Belmontius iunior è domo Illustriss. Cardinalis Richelij, Maupasius multique alij præstantes viri: sed lætitiam ingenti dolore aspersit, quod Persacus & Razilius post nauatam eregiè operam intercepti sint. Interea nocturni ignes in propugnaculi turribus excitantur, qui subsidiaria quædam nauigia feliciter applicuisse significent. Dum hæc geruntur, Ream Insulam opportuno fuisse auxilio subleuatam, Regi aduentanti nuntiatur, qui ad tam inauspicatæ rei nuntium continuò Bautruæum Comitem Nogentium ad Reginas augustissimas rem totam allaturum dimittit, à quibus re perceptâ, solemnes Lutetiæ supplicationes summa religione ac prudentia procuratæ. Inde in Alnetensem prouinciam inuectus, & ab exercitu summa cum alacritate exceptus, rebus omnibus consilio, curaque & diligentia generosissimi Cardinalis Richelij continuò prouidet. Sub Aureliano Duce generosissimo armorum curam in exercitu confirmat illustrissimo Engolismensium Duci, & Schombergio fortissimo Equitum Tribuno; ac mox Bassompetram alterum Equitum Tribunum præstantissimum adiungit. Marillaco sacri Sigilli meritissimo Custodi, iustitiam & æquitatem commendat, Marchioni Deffiato integerrimo ærarij Præfecto stipendij mili-

tum curam, & Marillaco castrorum Tribuno suam in premenda Rupella generosam fortitudinem, cæterisque proceribus assuetam fidem & solertiam. His peractis comitantibus Cardinale & Schombergio apparatum obsidionis, & excitata munimenta, vallumque mirantibus copiis, & toto præsente exercitu, miroque gaudio exultante perlustrat; militem sibi victoriam spondere diceres in sui Regis & Imperatoris inuicti vultu, vigore & felicibus auspiciis. Inter aggeres & operas à valetudine in dies firmior factus, vallum & lineam communicationis vrget, castra magnis operibus munit, statque animo, si non æstate proximâ bellum confectum fuerit, hyemem operi, ac perennem potius militiam, illiusque tædia perferre, quàm ab incœpto desistere, nullumque alium obsidionis finem, quàm expugnationis vel deditionis constituere. Præterea Anglorum apparatum è vico Plumbo explorat, atque hostium classem toto sinu Insulæ Reæ ad anchoras stantem è propinquo intentissimè conspicit: tum cognito Insulæ periculo, Deo primùm ac suæ suorumque virtuti confisus, præsertim verò generosissimi Cardinalis Richelij & Schombergij Equitis fortissimi consilio fretus, sine morâ Anglos ab Insula Rea expellere, & Toirassium obsidione, prouinciam metu soluere constituit, fortuna, quæ terra nusquam illum deseruerat per fluctus intrepidè tentata. Richelius igitur commeatûs & deportandarum in Insulam copiarum curam iubente Rege suscipit. Extemplo lectissima aduolat Nobilitas, atque in partem gloriæ per intenta discrimina admitti rogat, leguntur a Rege ducenti equites expeditissimi, cum quatuor peditum millibus, quibus Schombergio Equitum Tribuno & Marillaco adiuncto commissis, & ritè per peccatorum confessionem expiatis, rei in Insula gerendæ ordinem Rex inuictissimus præscribit, spemque certæ victoriæ pro patria & religione certaturis iniicit. Hæc inter Angli detecto consilio propugnaculum D. Martini aggredi constituunt, sed frustra: nam generosè repelluntur, multique hostium cæduntur præsentia Regis, qui non longè aberat, Toirassio & obsessis animos addente. Porrò dum ventus expectatur, & apta soluendo tempestas, vigilantissimus perpe-

tuò Cardinalis Richelius nunc Broagium, nunc in Oleronem, nunc in alias maris Pictonici, Santonici & Alnetensis oras, quamuis fuerentibus ventis, tumente Oceano, & infesto ac minaci cælo per aperta pericula Regis gloriam & publicam salutem suæ vitæ anteponens discurrit, commeatum summâ difficultate miràque diligentiâ comparat, cum ad obsessos, tum ad importandum militem alendum & in Insulam magna felicitate immittit. Interea diuersis partibus & maritimis regionibus nauigia soluuntur 1. Nou. præsente & vrgente Rege, Canaplius cum Furillio & aliis generosis viris inter hostium glandes illæsus sibi commissos feliciter trajecit in Insulam. Marillacus satagente etiam ipso Cardinale per eadem maris & armorum pericula, suas copias deportat in Ream comitantibus Souuræo, Chappæis fratribus, Tauanio, aliis strenuis Equitibus. Schombergius cum præcipuæ notæ proceribus in Oleronem insulam traiicit, vt vnà cum Cardinale consilia communicaret. Illi commeatu accepto, & sancto Christi Corpore per manus Cardinalis piissimi post Missæ sacrificium suscepto mari se credunt. At verò Schombergium, qui Valensæum Equitem præmiserat, vt ignes in Insula excitaret, quod feliciter peregit, omnis impatientem moræ & hostis profligandi cupidissimum coorta subitò tempestas classe disjecta ab Insula propositóque portu longè abstulit: verùm generosam nobilissimi Polemarchi mentem neque procellarum ac turbinum immanis colluctatio, neque syrtium aut breuium pericula, neque Anglorum continuæ in viis excubiæ tantisper infringere potuerunt. Superatis enim fluctuum molibus, victâ furentis Oceani sæuitiâ, perlatisque ventorum truculentis conatibus per incautas Anglorum turmas priùs Ream tenuit, quàm hostes venturum esse pernoscerent. Ite nunc inuictæ & generosæ animæ auspiciis Christianissimi & post homines natos inuictissimi ac potētissimi Regis Insulam hostium inter tormentis munitissimas naues feliciter ingressæ, decus & authoritatem Gallici nominis acriter defendite. Vt palma, quæ ascendenti scabro & aspero extantibus in læuore acuminibus cortice difficultatem maximam præbet, suauissimum postea verticem tenenti fructum

offert: Sic Rea licet cautibus, saxis & breuibus horrida, atque ob intentos Anglorum circumstantium gladios, reboansque assiduis explosionibus armamentarium, accessu difficillima, vberrimam gloriæ segetem quâ nihil felicius, nihil augustius, & nominis in patria per vos seruata immortalitatem dabit. Euenit fato nescio quo, vt non omnes simul copiæ mare transmitterent, nonnihilque obsessis & in Insulam deportis Gallis à furente Anglorum classe timoris iniiceretur, quem nimis verum damnum secutum esset, nisi Schombergius heros fortissimus maturè adfuisset. Insula traiecta, copiis legionum regiæ custodiæ Nauarræ, Campaniæ, & Pedemontanæ, necnon Melleraij, Ramburij, Praslinij, Belmontii & Fraxinæi opportunè collectis Equitibus turmæ augustalis Reginæ matris, & Aureliani Ducis sibi adiunctis, in quatuor acies exercitum prudentissimè diuisit, præmissoque Marillaco, cuius fortitudo singularis in hac expeditione enituit, cum Equitibus nonnullis & post sacrificiis & precibus pro pitiatum Numen in hostem tendit. Aduenientem Schombergium excepit Toirassius, & Britannum D. Martini propugnaculum arctissimè paulò ante obsidentem munimenta reliquisse, & receptui cecinisse nuntiat. Consilium militare ex loci natura & hostium terrore & constitutione rerum è vestigio agitatur. Audacioribus apta videtur pugnæ occasio cum Anglo fugiente & animos abijciente; moderatiores victoriam in nostris manibus esse, nec temerè hostes ad prælium prouocari debere pronuntiant, ne desperantibus vltima tentasse salus sit. Sanctum esse Magni Henrici exemplum, qui Ambiano potiri tardius maluit, quàm certaminis aleæ certam victoriam permittere. Hæret omnium ferè mentibus eadem sententia non esse protinus certandum, remque ad manum in presentiâ cum aliquo nostrorum periculo non vocandam, sed hostium motus spectandos diligenter, & Anglos in transitu potius sine nostrorum ac Insulæ damno intercipiendos esse. Nec minus alij arenarum ingentes cumulos, limum paludis & viarum strictiorum angustias huic consilio nocituras demonstrant. Hæc inter cum Anglos ex subita consternatione fugam in naues & Oceanū maturarè conspiceret Schom-

bergius, imperat derepentè Bussio Lametio, vt cum Equitibus hostes qui superant, aggrediantur, & Marillaco vt Lametium sustineat; ipse ductor exercitûs, & in fronte copiarum spectandus stragem edit. Egregiam quoque manu forti operam nauant Comes Harcurianus, Princeps Guimenæus, Dux Retius, Droëtius, Tilladetius, Vallencæus, Chappæi fratres, Marchio Annonayus, Melleraius, & alij multi generosi viri, quorum præclara inposterùm nomina regni Annales excipient. Cæsi fugatiue sunt, sine iacturâ nostrorum, omnes Angli, capta de eis quinque & quadraginta signa militaria cum minoribus tormentis quatuor. ferro necati quamplurimi, multi in vndas præcipiti fuga delapsi escam piscibus præbuerunt, & nisi noctis caligo fugientes texisset, pauciores in Angliam rediissent. Ex ea clade vix superstes & incolumis quinta pars hostium fractis penitus & abiectis animis in Oyam Insulam se recepit. E nostris qui notus esset, desideratus est nullus, icti tamen fuere plumbeis globulis summus nauigiorum Præfectus, Villaquerius iunior, Porchæus vni legionum Custodiæ Præfectus, & Iallius Schombergij scutifer honestis vulneribus insignes. Ex Anglis verò amplius quàm mille & quingenti ceciderunt, quos inter quinque Præfecti, tres Propræfecti, centum & quinquaginta vel ductores vel magistratũ militarem exercentes atque viginti nobiles. Numerantur quoque literis à Schombergio ad Regem scriptis inter captiuos Milorius Monjoyus Equitum & tormentorum præpositus, præfecti quinquaginta, nobilesque plurimi & ducenti milites, omnesque ad vnum sanè periissent, nisi illis ad fugam maria, his ad salutem Gallica clementia patuisset. Dux Buquinkamius, cui fortuna primùm riserat, eius verso vultu & tam fæda clade propemodum exanimatus inter spem metumque anceps de reditu in patriam cogitat, nonnunquam de quærenda patria. Sollicitat interim Rupellanos, vt se Angliæ dedant, frustraque expectato mitioris sortis solatio dolore plenus, quod temerè Iustum Principem, & sibi multis colendũ titulis offendisset, vela in Angliam pandit. Rex ingenti victoria & miraculo simili potitus, clementiam Numinis, cuius præsentem opem senserat, imitatus, captiuo-

rum præcipuos Lutetiam Reginas auguſtiſſimas ſalutatum mittit, indeque ad ſororem cariſſimam Britanniæ Reginam. Reportata de victis vexilla poſt gratias ſolemniter auctori victoriæ Deo peractas Lutetiæ in ſanctiſſimæ Deiparæ templo ſuſpendi ac dedicari voluit. Hæc victoria tam illuſtris, & tot trophæis, ornamentiſque decoranda, LVDOVICO IVSTO, Pij, felicis, inuicti clementiſque Imperatoris præclarum cognomen adiunxit, Cardinali Richelio, & Schombergio fidiſſimis ac generoſiſſimis adminiſtris, Gallicæque Nobilitati laudem incomparabilem, æternamque contulit. Vrbanus VIII. qui olim Barberini nomine Nuntius Apoſtolicæ Sedis, cuius ſplendorem ac dignitatem, virtutum omnium & ſcientiarum mirabili complexu amplificat, Galliæ noſtræ peramabilem operam nauauit, felicis victoriæ nuntio recreatus, Regi, Cardinali, Schombergio & Toiraſſio per literas gratulatur, & ad cœpta peragenda pius parens inflammat, regnique & Eccleſiæ gloriam ſalutemque commodat. Rex victoriâ partâ ſe totum ad obſeſſionem vrbis conuertit, munitiones inceptas vrget, & conuocatis ducibus vrbis oppugnandæ geminam rationem oſtendit. Vna eſt, qua conſtitutis nouis propugnaculis, nouiſque aggeribus & foſſis perductis ad ſecuritatem oppugnantium tormenta quamuis in partem ſubuehantur, liberque ſit omnino ac tutus commeantium inter ſe militum tranſitus, machinarumque expedita in omnem locum tranſuectio. Altera portus per Aggerem à nobis deſcriptum, occludendi & omnes tam maris quàm terrarum exitus ingreſſuſque adimendi, continuoque approbata ab omnibus Regis ſolertia, manus operi admouetur, hortante & operante conſilii præſtantiſſimi IVSTO auctore. His peractis Rex prudentiſſimus ſumma rei militaris, rerumque omnium in exercitu Cardinali permiſſa, obſidione durante, Lutetiam recurrit, comitantibus M. Marillaco ſacri Sigilli Cuſtode meritiſſimo, & Marchione Deffiato Regiæ gazæ ſummo Præfecto, necnon in templo Deiparæ Virginis nuncupata piè vota religiosè perſoluit, nouiſque ſi cætera ſuccedant, ſeſe adſtringit. Exercitus omnis Imperatorem rerum omnium longè capaciſſimum incredibili cum gaudio ſibi præpoſitum

conſpexit.

conſpexit, ſumma cum veneratione excepit, ineffabili affe-ctu amplexus eſt, & ſanctiſſima fide coluit. Ex eo die per abſentiam Regis, tutela caſtrenſis imperij & omnium copiarum talis fuit, vt omnium cogitationes in Herois tanti perfecta rerum omnium notitia conquieſcerent, nec immeritò ſanè. Nam ceu militiam totos annos adminiſtraſſet, & à tenero bellicis expeditionibus interfuiſſet, nihil quod ad arctiſſimum obſidium requireretur, omiſit. Nunc enim per claſſem ac naualia incedebat, nunc cum legionibus ſtabat, nunc operibus aſpiciendis & promouendis tempus dabat, nunc in diſponendis præſidiis hortandiſque totus erat, æráque militibus certa & ampla ſtatis diebus conſtitui & pendi curabat : & quamuis eſſet tenuiſſimâ valetudine, vexaretque hyems aſperrima, eius ſpretis periculis & omni cœli, terræque iniuriâ Regis inuictiſſimi cœptis perficiendis totus inſtitit : eius curas, ſtudia, induſtriam & diſciplinam dum abeſſet, per eum conſeruatam, atque imprimis prouecta aduerſus Anglos in mari munimenta, & comparatas naues poſt ſuum è Lutetia reditum admiratus Rex generoſiſſimus maximam lætitiam ſenſit. Ille multis rebus vtilibus Lutetiæ confectis ex conſilio Reginæ matris auguſtiſſimæ ſacri Sigilli Cuſtodis meritiſſimi, Illuſtriſſ. Cardinalis Berullij, necnon Marchionis Deffiatij noto itineris compendio exercitum repetit, relictâ Lutetiæ ipſa Reginâ matre auguſtiſſ. quæ rebus omnibus aſſueta & perſpicaci prudentia intendat, cuiq; vigilantiſſimè aſſiderent, Illuſtriſſ. Cardinalis Berullius, Lomenius pater & filius, Duretus Rationum regiarum Præſes, & Buthillerius poſtmodum in locum Dauquerræi vnius è fidiſſimis Quatuorviris à ſacris iuſſis & mandatis nupertimè defuncti meritiſſimo iure ſuffectus & ſacri Conſiſtorij pars magna. Reuerſus in caſtra IVSTVS totum illum tractum non tam nouis pedeſtribus vel equeſtribus copiis, quàm præſentiâ ſuâ recreauit, eodemque tempore machinam illam triangularem vulgò Eſtacadam maioribus & minoribus nauigiis inter ſe nautico fune alligatis in æquor vlterius procedentem atque tormentis communitam, venientibus Anglis interitum & exitium allaturam erexit. Continuò poſt illius aduentum nauale Anglorum au-

xilium adproperat, Rex virtute sua, militumque suorum fortitudine confisus cognitis hostium copiis ad dimicandum se apparat. Videres illum militari fronte, viuacibus oculis, cultuque & splendore armorum præstantem, bellicæ virtutis egregium decus præferre, inuictique & constantis atque intrepidi animi vigorem. Itaque hæc nauigia in dextro cornu, illa in sinistro collocat, & ea inter spatium relinquit quod satis esse ad explicanda videatur. Alias naues subsidio distribuit, quæ & quamque earum sequatur, cuique subueniat constituit, à fronte & tergo alias disponit, impetus hostium vtrimque excepturas. Copiæ in illis generosissimæ stationem habent, & Anglum cum rebellibus summa alacritate expectant. Rex comitante Cardinali per ordines, per transtra notissimus incedit, & frequentissimum militem appellat, monetque non in fortuna sed in virtute, si congrediendum sit, certamen istud consistere. Anglis in æternum sicut lachrymabile, ita insigne doloris & cladis monumentum fore fugam & expulsionem Reanam, illisque animos adimere, breuique auspice Deo sensuros rebelles Anglicæ protectioni non esse fidendum. Ad hæc ne aditui & incursui hostis aggressuri locus pateat, omnia tormentis, machinis, variisque artificiis muniit sepsitque. Hæc inter nauis quæ numen illius vehebat, tanto fuit hostibus terrori, vt inimica classis continuò se in fugam proripuerit, tentato prius vt immissus & iniectus ignis nauibus proximis hæreret. Verùm ille nostras rates nequaquam amplexus, sed in nauigium Anglicum flabris ventorum reflexus effuso latè incendio non solùm nautas & milites semineces, sed & armamenta & omnia quæ continebat, hausit ac deuorauit. Relucentem flammam vnda excipiebat & incendium illustrius reddebat. Clamor aquam inter & ignem sublatus incutiebat horrorem, siquidem homines & instrumenta flammis artificiosè confectis incensa in vndis & sub vndis ardebant. Consternatus hac clade hostis ita timuit Oceano includi, vt ipso abeunte abierit, & in fugam se coniecerit. Rex literis ad Reginam matrem & ad Senatum datis, testatur curam, diligentiam, animumque Cardinalis, verè digni quem merito laudatum à tanto Rege tota post Gallia cele-

bret. Hæc inter Henricus Tremollij Dux piâ & illustri ad fidem Christianam conuersione,& abiectâ nouæ religionis falsa opinione, Apostolicos ac diuinos Ecclesiæ Romanæ ritus amplexus est: non temerè,non inconsultò, non ambitione speue aliqua ductus, sed assiduis sanctissimisque maximi illius Cardinalis Richelij pietate,fide, candore conspicui monitis,vuiuerso Catholicæ gētis cœtui felicissimè adscriptus & annexus fuit. Nec mirùm si Tremollius se tractandum Richelio permiserit: cuius doctrinâ tot confecti hæretici, tot illustratæ mentes, tot victi ministri: cuius genio & ingenio sæculi fœlicitas nititur, sternuntur rebelles, fulcitur status, Ecclesia decoratur. Nunc errore deposito Dux illustri genere natus, ac Regum obsequio semper addictus, & auitæ pietatis hæres pro Rege & Christianæ pietatis defensionē, quoties ita res feret, summa fortitudine & præstantia non fortunas modò suas, verùm etiam caput suum in quodlibet periculum offerre cogitat. Tam præclari facinoris decus ætas præsens veneratur,tam egregij facti memoriam summo cum honore omnes anni consequentes excipient,eóque magis, quod matre, vxore, domesticis suis & affinibus relictis, solo spe vitæ melioris se totum Christo summoque Pontific Christi Vicario vocanti generosissimè dedit.Quâ celebri conuersione, quantam plagam causa nouæ religionis vel potius opinionis pertinacia acceperit, paucis postdiebus magno suc malo sensit Rupella:quantū commodum res Ecclesiæ,ostendent ij, quos postmodū pulcherrimi facti imitatione succendet. Per eos dies illustrissimus & generosissi. Princeps Ludouicus Suessionum Comes in exercitum aduolat, assuetam, fidelem & egregiam in obsidione tanti momenti, Regi præstiturus operam, recordatus antiquæ virtutis & laborum suæ gentis, quos illa pro Religione nostra, pro Principe, & patria maximè memorabiles tulit. Sub finem Augusti Rupellani de salute Grosterij captiui mirum in modum solliciti, scribunt ad Cardinalem nimia cum audacia, séque omnia extrema tentaturos minantur, si Grosterius discrimen capitis subeat. Prudenter & generosè respondit Cardinalis more suo, se dolere vicem eorum qui sint perduelles,quod si se in officio

contineant & clementiam Regis optimi & inuictissimi supplices implorent, se pro eis à Rege veniam impetrare conaturum, aliás breui pœnas daturos denuntiat, monetque vt nullam contra fortunam satis cautam esse pertinaciam discant. Proinde suis rebus nondum omnino deploratis consulant, neque victoris & vltoris Regis iras expectent. Per id tempus Rex animi per venationem tantisper reficiendi Brisamburgum, Cardinalis valetudinis confirmandæ gratiâ Maranium tendunt, cura interim totius exercitûs Schombergio demandata, quam per eorum absentiam aliquandiù summa vigilantia, summa cura, summaque fortitudine prudens & generosus exercuit. Obsidio continuata nullis morbis lethalibus, vel ex aëris intemperie, vel ex assiduis imbribus, vel ex cœli iniuria contagiosis, exercitum miserè diuexauit, ita fuit supremo Numini gratissima tam illustris expeditio. E contrà mari terraque occlusus aditus vrbem præsidiumque Rupellanum ad vltimum inopiæ adduxit: non tolerare vlterius famem poterant obsessi, via mari terraque occlusa, neque palam neque clam frumenti & commeatus importandi spes fuit, pœnis cautum est in exercitu, ne quis oblata ab ipsis pecunia ad eorum leuandam esuriem commoueretur. Postremò ad id ventum egestatis, vt plebs neque carnibus equorum, nec murium, neque aliarum animantium ab esu communi alienarum parceret, & omne herbarum, radicumque genus vbiuis erueret, frondibusque paucarum arborum & vitium, quæ superabant in vrbe vel iuxta vrbem, vesanam & rabidam famem toleraret; lora denique & ereptas ipsis animantibus pelles, vbi aqua feruenti ebullissent, voracissimè manderet, & tepidum inde ius auidissimè liguriret. Scilicet annona bellum insuper obsessos vrgebat, eamque nonnulli opulentiores comprimebant, dum cæteri grandi & incredibili pecunia cibaria & obsonia mercabantur & emebant, atque ita in dies commeatus difficultas durior ingrauescebat. Interim iacebant in compitis acerui hominum, omnium ætatum, sexuum, & fortunarum, partim inedia, partim miseriarum tædio interemptorum, & inhumata cateruatim cadauera strata in viis suorum ciuium fata lugentibus tetro fœtore multos in exitium

rapiebant. Nulla pars vrbis horribili strage gentis suæ caruit, nulla luctu, nisi si quando absumptis omnibus, ne vnum quidem qui aliorum immatura fata lugeret, sæuiens malum relinquebat superstitem. Tecta ciuium lugubri gemitu præreptum sibi cum charissima coniuge & liberis suauissimis iucundissimum dominum significabant. Quæ omnia & alia infinita fuere hoc anno eis miserrimo & funestissimo, vastationis & excidij portenta. Preterea inedia lurida viuorum corpora tabescebant, vis lacertorum, vt ne quidem pereuntium sepulturis sufficeret, languescebat, deficiebant animi, & horrorem deformis situs inferebat. Fames qua nihil miserius, nihil horridius, nihil truculentius, fretum & æquoreum gurgitem, cui proximi erant obsessi, omnino referebat. Vt enim vniuersa vndique flumina ore sinuque recipit Oceanus, nec aquis satiatur, licet amnes omnes exsorbeat, sic tantus ardor inerat edendi, tam rabida fames incesserat, tantaque vis gulæ, vt nec stomachum satis explere, nec vllis cibis, si habere liceret, satiari possent. Ad deditionem hæc inopia eos redegisset, nisi spe venturæ classis Anglicæ futurique auxilij sustentarentur. Spes quippe miseriarum & laborum est leuamentum vltimum, & rerum aduersarum solamen efficax & postremum, sine qua miserrimum esset pati, & cum qua viuentibus leuiori temperamento & feliciori mulcedine tempus elabitur. Non minus vana eorum spes fuit, quàm inanes Anglorum minæ & irriti conatus. Septembri exeunte & ineunte Octobri ac præsertim ad eius Idus, quo tempore plenus Lunæ orbis testimonio Cæsaris, aliorumque complurium maritimos æstus in Oceano maximos facere consueuit, littoribus nostris classis Anglica, quam acceptæ nuper cladis retardabat memoria, tandem adrepsit, & vela inopinatò explicuit. Ibi dum stat in anchoris expectans donec Autumnalis aliqua tempestas per effractum Aggerem viam aperiat. Continuò ab obsessis ex imminentibus in Oceanum turribus & speculis aduentum & cursum illius explorantibus conspicitur, & læto clamore salutatur. tantum spei habebant ad salutem & liberationem, quantum ab Anglis accipiebant, sed pro re certa, spem falsam breui referent. Classis illa longè

præcedenti auctior & instructior, innumerabilibus omnis generis nauigiis constabat. Erant in eo duodecim naues immensæ & inusitatæ magnitudinis, Robergiæ vulgo numcupatæ, frequentibus exornatæ vexillis & plurimis tormentis ac turribus munitæ, quæ speciem æquo maiorem & terribiliorem oculis omnium præterquam Gallorum præbebant, & quæ immensæ velut castellorum facies arcesque maritimæ, quæ non sine ingenti aquarum gemitu & laboriosâ ventorum contentione sulcabant Oceanum: sed quoniam magnitudine & molis pondere nimis graues ad Canalem appelli non potuerunt, earum accessio hostibus & obsessis desperationi potius quàm præsidio & auxilio fuit. Frustra venerunt in ea classe naues frumentariæ & commeatu plenæ, plurimaque nauigia (nostri vulgo brulones vocant) ad disturbandum Aggerem & regias naues comburendas tormentis, machinis, atque ignibus instructissima. Nec omittendæ sunt pyxides tormentario puluere confartæ, & breuiora quædam ac insititia tormenta, quorum concauæ capacitates è ferro tenui & albo confectæ iisdem flammarum alimentis refertæ erant. Natabant super assere salicino & fluctuando sensim ad nostras naues occultis machinis neruisque per transuersos asseres traiectis, incendium & exitium deportatura sperabantur: Verùm hic omnis apparatus incassum cecidit, nisusque hostium in leues auras cum euanescentibus fumo & flammis pro ludibrio abiere. Quinetiam IVSTVS armis suis & Oceanus naufragiis classem hostilem castigauere, quę venti non vsa beneficio per summam imprudentiam opportuni certaminis & penetrandi Aggeris facultatem prætermisit, & in periculum adducta armorum ac tempestatum non minùs inuictos Gallos experta est, quàm irati maris sæuitiam ac procellas verita, fulmine afflatam diceres, stat immota ac stupida, & cõsilij expers inerti cunctatione rei gerendæ occasionem perdit, suo malo nescia expeditiones magnas non nisi celeritate confici, & lentioris atque ideo infelicioris Reæ Insulæ oppugnationis oblita. Interea Cardinalis Richelius in arduis spei plenus, patiens laborum, acri iudicio, miróque ingenio præstans, inter tot æstus ingentes curarum, tot negotiorum fluctus, per foros,

per transtra remigantium discurrems, vnumqumque nomine Regis adhortatur, & omnibus rebus diligentissimè prouidet: tũ classis inimica primùm duodecim insititia tormenta ventis & vndis committit, quorum vnum regio nauigio occurrens, nihil aliud nisi numerosum & immensum aquæ proiectũ edidit. Cætera Oceano irrité supernantia capta sunt à nostris, nullo illorum periculo. Hic hostis ventum secundum solatio remigum nactus, se ad dimicandum comparat, viam in Rupellam facturum simulat, tubis personat, & nostrorũ animos inani specie pertentat. Eius aduentũ Rex fortissimus spei bonæ & alacritatis plenus expectat, suos hortatur, & comitantibus Cardinale Richelio, Comite Schõbergio & reliquis primę notæ proceribus cominùs mediaque inter tormentorum discrimina suas glandes nunc supra Regiũ caput, nunc ad latera vibrantium cuncta oculis lustrat, ordinem pugnæ naualis, si audeant hostes congredi, mira arte dirigit, suaque præsentia militibus animos facit, Anglis & rebellibus consternationem & metum incutit. E nostris hostiumque tormentis ictuum quinque millia vtrinque disploduntur ea pertinacia, vt ab Aurorâ ad horam decimam nusquam cessatum sit, idque tanto murmure, tam ingenti horrendoque crepitu & fragore, vt non quati modo & grauissimè concuti, sed etiam suis sedibus diuelli ac dimoueri tellus obtenta littori videretur. Mare verò quod antea stratum æqualiter & tranquilli æquoris politum marmor referebat, rapido fluctuum inter se luctantium concursu in orbes conuolui, spumosisque vorticibus nunc hiare atque in princeps pandi, mox vndarum superstructis molibus, fumosaque ignium ac pulueris caligine & aërem & cælum ipsum condere spectaretur. Periit hoc certamine demersa Anglorum fulminans nauis crebris tormentorum ictibus à naue Prætoria Gallorum in eam immissis, suisque ignibus artificiosis Aggeri nihil nocuit eminùs in Ponto ardentibus: capta insuper fuerunt hostium duo parua nauigia & centum ac viginti milites desiderati inter quos legionis Dux non obscuri nominis; è nostris tantum viginti octo, quos inter Desfrichius, Berlisius & Pienna strenui viri iuxta Schombergium quem Marillacus, Curæus & Vignol-

lius comitabantur, hostili tormento discerpti sunt. Postridie tentant iterum præmissis aliquot igniferis lintribus per fractum Aggerem rebellibus obsessis suppetias ferre, sed incassum. Naues aliquot eorum à nostris demersæ, & ex numero remigum ac propugnatorum alij cæsi, alij naufragium passi. Sic repressa Anglorum audacia, repulsisq; feliciter eorum conatibus spes fugandæ hostium classis & expugnandæ propediem Rupellæ nostris non obscurè præbita. Generosissimus Dux Aurelianus, qui tunc Lutetiæ stabat, ad nuntium classis quæ applicuerat, continuò viam vorat, vt se suaque Regi offerat, cuius exemplo multi alij Principes, proceres & ex primariâ nobilitate viri, ad famam illius expeditionis vndique concurrunt. Paucis pòst diebus ingens cooritur tempestas, procellæ miscent æquora, montes aquarum voluuntur, fluctibus mare tumidum insurgit, vela cadunt, immani murmure fremunt venti, classemque inimicam toto littore stantem variè iactânt & in diuersa dissipant. Cœlum diceres pro IVSTO Principe cum Oceano bellum in exosam rebellionem gerere, & certam cum de subsidiariis nauibus, tum de obsessis rebellibus victoriam polliceri. Tam læto rerum successu attoniti Angli, Regem per Milorium Montacutium de pace sollicitant, & Cardinalis Richelij deprecationem hoc in negotio enixè postulant. His animaduersis Rupellani ciues, quique in Anglica classe militabant, seque ab Anglis præteritos & omissos rati ac indignati, necnon de salute sua per tot calamitates ac miserias in summum discrimen adducta, tandem mirum in modum solliciti, amissis suorum & præsidiariorum qui fame, vel igne, vel gladio, vel vndis periere duodecim millibus, illustrissimum Cardinalem vtrisque inscientibus supplices adeunt, auctoritatemque illius erga Regem implorant, summisque precibus demissè contendunt, vt defectionis ac rebellionis impetratâ per eius gratiam veniâ, Regi & illi secundum Numen omnia debeant, quod benigna mente pollicetur, modò se rebus in omnibus auctoritati Regiæ libenter obtemperaturos in posterum religiosè profiteantur. Vtrique humanissimo Cardinalis Richelij affatu ac promissis recreati & in spem bonam erecti continuò prima-

rios.

rios ciues ad Saulsayam mittunt, qui veniam & vitam deprecentur, quam Rex postea Cardinali roganti Rupellanis donat ea conditione, vt fidem solenni sacramento adstringant, nec à sui iurisiurandi religione vnquam posteà discedant. Has autem leges impositas a Rege suscipiunt, vt deditâ intra crastinum Rupellâ, bona, fortunasque omnes & nouæ opinionis exercitium recipiant, præsidiariisque nobilibus Gallis cum gladio, militibus cum baculo egredi & Anglis in patriam redire liceat. His legibus à Marillaco & Hallierio strenuissimis castrorum Tribunis Regis mandato subscriptis, duodecim è præcipuis ciuibus magna aliorum ciuium caterua comitante Rupella egressi ad castra tendunt, atque iter pedibus conficiunt. Bassompetra equo inuectus cum Marillaco Hallierio, atque aliis eos amice excipit: & quum de via languerent, quæ palustris & longa frequentibus pluuiis deterior facta fuerat, eos equis insidere iubet, vt duri laborem itineris subleuarent, sed Regis hospitio proximi perniciter ex equis desiliunt, propositum inceptumque iter pedibus peragunt. Vt Regiis tectis successere, Cardinalis eos humanè excipit, & ante Regem sistit. Hi fracto & deiecto vultu, quod supplicantium erat, Regiisque pedibus aduoluti denuò vitam ac veniam deprecantur, & ipsam, quam infregere obedientiam præstant, & præstituros in posterum, omnesque officii sui partes impleturos omnium nomine spondent. Rex vt iustitiâ & fortitudine, ita pietate & misericordia excellentissimus, clementiam seueritati præferens in frequentissima procerum corona fidem ab his violatam, totque beneficia quæ acceperant breui momento excidisse arguit, vt quò maiora acceperint, citiùs obliti fuerint. Veniam tamen eis donat, ea lege, vt in fide permaneant, debitamque sibi pietatem solemni asseueratione promittant. Quod si fecerint, sibique fidele obsequium præstiterint, eos se ab omni iniuria protecturum nec à promissi æquitate & religione se discessurum pollicetur. Interea Rex Sansimonium spectatæ fidei & nobilitatis Equitem, qui leges veniæ Rupellanis à se dictas ad augustissimas Reginas & ad illustrem Sanguinium mercatorum Præfectum, vrbisque decuriones deferat, summa hilaritate præ-

mittit. Is à Reginis pro regni dignitate munificentissimis, eximio munere donatus est. Religioni sit tacere Reginarum lætitiam incredibilem, quam secutæ sunt faustæ omnium acclamationes, frequentissimos ignes vbique per Lutetiam, Galliamque vniuersam excitatos, actas Deo passim & in omnibus templis supplicationes. Hæc inter præmittitur Schombergius cum Marillaco, Vignollio & Curæo, qui vrbem lustraret & Regis nomine immissis legionum Regiæ custodiæ copiis & Heluetiorum turmis possessionem vrbis prehenderet: atque æde sacrâ per Reuerendissimum Burdegalensem Archiepiscopum ritu Catholico & sacrificiis purificatâ, sacrisque ante alios ab Illustrissimo Cardinale Richelio summa cum celeritate & religioso in cœleste Numen studio in Ecclesia operatis, mysticum CHRISTI corpus more Christiano, Marillaco sacri Sigilli Custodi & Schombergio, qui eò conuenerant, exhibet. Suscepto etiam CHRISTI corpore, eo ipso die qui fuit omnium Sanctorum, victor IVSTVS, vrbem armatus ingreditur, comitantibus Cardinale Richelio & aliis primæ notæ proceribus, atque in sancto Diuæ Margaritæ templo summa ipsius sacri Sigilli Custodis Illustrissimi, & amplissſ. sacri Cosistorij Assessorum, & supplicum libellorum Magistrorum, incredibili lætitia & omnium acclamatione excipitur, necnon ingenti Burdegalensis Archipæsulis, Clerique totius, & piissimi Patris Suffranij concionantis exultatione salutatur. Quo die Rex vrbem ingressus est, obtulere se quinquaginta ciues potioris notæ flectentes genua, vitamque & veniam denuò deposcentes. Quibus iterum concessis, vna voce suæ rebellioni superstites Regis clementia Rupellani Viuat Rex IVSTVS & in longissimum æuum annos extendat, Viuat Rex semper Pius, semper Victor, semper Clemens & Augustus, vbique concinunt. Paucis pòst diebus Rex, pro tam singulari beneficio, supplicationes publicas mira solēnitate, pluribusquè sacris cereis accensis celebratas, in quibus sanctum CHRISTI Corpus deferri placuit, summa pietate indixit, & iis religiosè cum Illustriss. Cardinale Richelio, cæterisque proceribus interfuit; multique, licet pertinaces, sacris ceremoniarum

ritibus attentiſſimè perſpectis, ingenti fidei Chriſtianæ bono ad cultum religionis Catholicæ libentiſſimè ſe contulerunt. His peractis, Rex Edictum in acta Curiæ publica referendum conſcripſit, quo iterum teſtatur, generoſiſſimum Cardinalem Richelium ſibi ſummam incredibilis prudentiæ, ſingularis vigilantiæ, iudicij perſpicacis & laborioſi officij operam luculentiſſimo & vtiliſſimo ſucceſſu impendiſſe. Eo diplomate Rex profitetur ſe populum illum beneuolentia & amore paterno velle complecti, licet in eum benefacta plurima & ornamenta, quæ congeſſerat, animo præter modum ingrato neglexiſſet. Sed tot beneficia breui momento exciderant, eo fato, vt quo maiora acceperant, citius obliuiſcerentur. Scilicet gratiæ depoſitum à populo ſæpiſſimè violatur, quam benè merito Principi referre dum negligit, accepti beneficij memoriam tollit. Interim eo Edicto IVSTVS rebus & negotiis omnibus vrbis Rupellanæ & Alnetenſis prouinciæ, finitimarumque regionum prudentiſſimè proſpexit, atque ante omnia Chriſtiani cultûs primam & præcipuam curam habuit, Religionis orthodoxæ cultum & ordinem in ipſa vrbe & regione Alnetenſi inſtaurauit; templa Paſtoribus, necnon cœmeteria ſuis Templis reſtituit; quinque vrbis paroecias in tres diſtribuit; prouentus Eccleſiaſticos, qui longis ciuilium bellorum calamitatibus decreuerant, auxit; & earum Rectoribus, modò reſiderent, annuas penſiones è publico ſolui iuſſit: doctrinâ & pietate excultos viros, qui populum illum in ipſa Religione & Catholica fide confirmarent, legi imperauit, Eccleſiis & Xenodochiis, omnibuſque Ordinis Eccleſiaſtici viris ſacerdotiorum reditus, bonaque omnia reddi voluit; quodque maximè memorandum eſt, D. Bartholomæi Xenodochium ſeparari, ne promiſcuò viri & fœminæ in poſterum illud incolerent, iuſſit; vtque ea quæ ad ægrorum & vulneratorum ſtudioſam curationem & vitæ ſubſidium eſſent neceſſaria, tam Catholicis quàm nouæ opinionis hominibus nullo diſcrimine piè porrigerentur, edixit; & prouentus aliorum Xenodochiorum illi adiunxit: ſacroſanctam CHRISTI Crucem in compito caſtri attolli iuſſit, in cuius ſtylobata rei geſtæ ſeries

& vrbis defectio, illiusque deditio inscriberetur. Vtraque testatur audaciam in rebellione citissimè obrepere, & inconsultam pertinaciam consilium & rationem respuere: Nam vbi res initiò secundæ apparent, omnia licere sibi credit populus breui sæpissimè rebellionis & proteruiæ pœnas daturus. Præterea quotannis in generosæ istius expeditionis ad supremi Numinis gloriam & Catholicæ religionis incrementum susceptæ memoriam solemnes fieri supplicationes pro tam fœlici successu & incredibili victoria religiosè indixit. Quodque æternùm erit memorabile, voluit cœmeterium ad angulum Coraliæ situm, quod corpora Christianorum pro fide Catholica & obsequio sibi debito fortiter absumptorum continet, impollutum manere, in eoque loco, vbi obsidione durante sacrosanctum Missæ sacrificium celebratum fuit à presbyteris Ordinis Minimorum S. Francisci à Paula, Templum erigi voluit, iuxtaque præcipuum illius Templi ingressum, appositis hinc & inde æneis tabellis, monumentum complectens Aggeris illius memorabilem substructionem & classem Regiam, quibus operam nauando absumpti fuerũt, incidi. Præterea magnum vrbis delubrum, quod nouæ opinionis homines itidem frequentabant & incolebant, futuræ cathedrali Ecclesiæ addixit, in qua proximior vrbi Episcopus, vel qui de nouo authoritate Apostolica crearetur, in posterum consideret. Quid sanctius, quid religiosus, quid Deo conuenientius sanciri potuit? Æquum erat certè Christianissimum Regem initium in re tanti momenti à diuino cultu petere, votaque amplificandæ religionis & fidei Catholicæ studio suscepta sanctissimè persoluere. Hæc inter veniam priùs concessam ciuibus Rupellanis iterum confirmauit; bona restitui iussit; ab omni hostili aggressione & direptione protexit. Præfecturam vrbis ac Decurionatum suppressit; & eius instaurationem sub pœna violatæ maiestatis prohibuit; Priuilegia ac immunitates ciuilis Consilij Basilicæ concessas reuocauit: Basilicam ipsam, prædiaque bona & armamentaria dominio Regio in posterum asseruit; iuraque omnia, quæ percipiebat, supremo Nauigationis & Commercij Præfecto addixit; Vrbis mœnia, tur-

resque & propugnacula exceptis D. Nicolai, Catenæ & Lychni turribus, atque muris, qui mare prospiciunt, dirui & solo adæquari voluit; eaque rursus excitari iisdem pœnis prohibuit; idque in perpetuam defectionis notam. Enim vero nulla vnquam est solida felicitas; sed breues & multiplices sunt rerum vices; vtque regnorum & gentium, sic vrbium fortunam nunc florere, nunc senescere, nunc interire conspicimus. Præterea eo ipso Edicto omnes Iuris præfecturas, præter Mercatorum Iuridicam potestatem, Seneschalli Præturæ adiunxit, & iuris dicendi rationem, atque litium expediendarum ordinem in meliorem statum vertit: vectigalia tantùm sueta pendi iussit, & vrbis subsidia, fauore commercij, ad quatuor mille libras redegit; Quodque memorandum est, exteris, licet eis antea ius Ciuitatis collatum fuerit, aliisque nouæ opinionis hominibus, præterquam ipsis ciuibus omnem in vrbe mansionem, nisi venia prius impetrata, vetuit, ciuésque ipsos arma domi continere, iisdem pœnis prohibuit. Denique Præfectum triennalem in vrbe & Alnetensi tractu, prouinciisque vicinis à Ligeri ad Garumnam & Duranium, qui Maiestatem Iusticiæ summæ retineret, instituit; Thuilleriumque sacri Consistorij Assessorem & Libellorum Supplicum in Regia magistrum, qui prius sacra illius dignè perageret, & rebus omnibus prospiceret, designauit. Iis legibus, quibus Alnetensis prouincia, populusque Rupellanus in posterum vteretur, partim ad exigendam pœnam, partim ad Clementiam exercendam benignè & prudenter Christianissimus & Augustissimus Imperator noster LVDOVICVS IVSTVS, Rupellâ clementissimè tractatâ, rebusque ad eam in officio continendam placidissimè constitutis, suæ in reliquos rebelles, si se agnoscant, luculentissimum futuræ Clementiæ documentum reliquit; omnesque Santonici, Alnetensis, Pictonici & Armorici æquoris portus, vrbes, freta, promontoria & insulas vndique tutas ac securas non minori robore quàm felicitate præstitit. Fama tantæ victoriæ & clementiæ mox in Orbem terrarum sparsa & diditâ regni hostibus formidandum LVDOVICVM IVSTVM, pacem cum

Gallia colentibus venerandum exhibet. Mirantur Hispani captam vrbem, quam multi rebantur inexpugnabilem. Viderunt Angli etiam armati & in vicino positi Rupellam dedi, quam neque commeatu ad vitam, neque militibus ad pugnam iuuare potuerunt. Tot triumphos, tot trophæa Germani aspiciunt, admirantur, stupescunt. Exultat summus Christianorũ parens Vrbanus cum sacro Collegio domitam rebellionem, multis cladibus hæc Christianissima sceptra alioqui funestaturam. Eius gaudium sua singulari lætitia & studio erga Regem & regnum incredibili testatur illustriss. Apostolicæ sedis Nuntius Seruiensis Episcopus. Venetæ quoque Reipublicæ gratulationem eius demonstrat Orator illustris: IVSTVM omnes, victorem omnes, pium omnes ac clementem Christianiss. Regem profitentur, illius res gestas auidis animis vniuersi excipiunt, eius de victoria non modò Galli verùm etiam præstantissimi Europa populi incredibili cum admiratione colloquuntur. O victoriam trophæis, statuis, arcubus, coronis & omnibus ornamentis dignissimam! ô palmas! ô lauros victrices! ô Regem omni opinione maiorem! Tu enim IVSTE funestissimam rebellionem ex suis arcibus munitissimis pellens, fortitudinis & prudentiæ heroicæ lauream cum aureis sceptri tui & albentibus candidæ mentis liliis coniunxisti: Tu antea turbatam imperij tui pacem æterno stabilimento firmasti. Tu exteros Coronæ hostes tui nominis terrore compleuisti. Tu ritè expiato & conuerso in Catholicam Ecclesiam maximo Rupellanorum delubro te, Deo victoriarum authori, & Rupellanis pristini cultus exercitium relinquens, omnibus sapientibus mirum in modum approbasti. Viue diù & pulcherrima post homines natos in tua ditione victoria vtere. Rupella victa, multos Principes, multos etiam Reges, multos populos, multos rebelles, mihi crede vicisti! Tota nunc tibi parebit Francia, clementiam tuam quam bellorum horrorem experiri mallet Monsalbanus, dabit se Nemausus veniam danti, & Castrenses arces ac reliqua rebellantium subditorum propugnacula, (si quæ sint,) tuis legibus viuere, quàm suis in posterùm eligent: Illas ad officium compellat compellitque

Rupella, quibus illius defectio & deditio erit exemplo, quod blandissimè iubet ea, quæ fieri debere & posse præcipit. Illis denique Galliæ voces & vota stimulos auitæ religionis mouent. Illasque sua imitatione ad tibi obsecundandum cæteræ vrbes, & tua imprimis adhortatur Lutetia: Quæ in tuum reditum effusa, omnibus longè obuiam Ordinibus sparsis, Victori suo, Pio, IVSTO, Clementis, Augusto, semper Triumphanti & Inuicto, Arcus triumphales, obeliscos, statuas, corollas, flores & cætera ornamenta, cum præconiis, acclamationibus ac plausibus sempiternis, publica omnium consensione ac lætitia consecrabit.

CONSVLTATIO DE IVRE GALLICÆ CORONÆ.

AD

GASPAREM SCHOMBERGIVM ILLVSTRISS. ET GENEROSISS.

Equitum Tribunum, Lemouicenſem, Santonenſem & Engoliſmenſem Proregem.

MANDATAM mihi per te à Rege Chriſtianiſſ. & inuictiſſimo L. IVSTO de iure Gallicæ Coronæ conſultationem offero tibi, heros generoſiſſimè, eam fouebis vt ſpero peramanter, quod de ea primùm iuſſa ad me Regia detuleris, eam amabis proculdubio, quod iuri Gallico & huius Coronæ ſplendori fortiter & perpetuò ſtudeas.

Imperij Gallici dominium vel armis, vel ſucceſſione, vel libera deditione, vel iure belli, vel donatione, vel alio quouis Titulo quæſitum non poſſe contra legem Salicam, regni totius Ordinum conſenſum, Senatus authoritatem, ſubmiſſionis legem, ius belli, vim donationis & iuſiurandum multotiès adeoque ſolemni fide repetitum, à Corona Gallica cui iure ſummo fuit annexum diſtrahi & eximi, certi & indubitati iuris eſt. Nec vero, impedit fœderis Madritiani caput quoquidem continetur Regem Franciſcum I. captiuum & in Hiſpania detentum imperij Gallici partem & illius ſummum dominatum in Carolum V. imperatorem tranſmiſiſſe, Nec Cameracenſe cuius vi Rex Henricus II. varia ſceptri poſſeſſa dominia reſtituere coactus eſt, Nec deniquè vltimũ Veruinenſe inter Gallos & Hiſpanos percuſſum licet Cameracenſe quodammodo ſancire videatur. Nam hæc fœdera, ſi altiùs repetantur, initióque inſpecto & perpenſo, nil aliud ſunt, quàm ſeries & conſecutio coactæ voluntatis & illatæ violentiæ; nimirum à captiuo, & inuito Rege per vim ſummam, ſine vllo regni Ordinum conſenſu, contra Salicam legem extorta; ac proinde, iuri

Christianissimi Regis nullo modo obfutura. Fides enim vi expressa & elicita, libertate relaxatur ac soluitur. Nec denique Rex huiusmodi alienationi consensum iure præstitit, vel contra pactum liberæ deditionis, vel contra dominij supremi ius & conditionem. Liquet ex eo, quòd Regi custodia liberato, ac post reditum in Galliam comparatum, de ijs quæ transacta fuerant consulenti, responderunt per Legatos Christiani Principes, nimirùm ea, quæ per vim gesta essent, rata non haberi; & à Principe coacto & inuito vel etiam consentiente, neque æterna sceptri iura commutari, neque regni dominia transferri, neque legitimos heredes legitima successione priuari, nec subditos iure exteris Principibus mancipari. Hoc etiam vniuersi regni Proceres, hoc Senatus communibus sententijs sanxit, eius principe Selua Regi, Imperatorum, Iurisconsultorum-, Canonistarum & Theologorum authoritate, supremum earum rerum omnium imperium vindicante. Secus enim eueniret, Principem generosum, qui libentiùs periculis caput obijceret, vel imprudens falleretur, vel in bello caperetur, vel alio infelici rerum euentu, Corona & sceptro cadere posse, populósque suos in extranei Principis potestatem transferre; imò etiam successorem pręcipuis regni partibus aut regno vniuerso excludere, vnde illud dilabi & corrui necessum esset. Nemo igitur sapiens ac rerum peritus miretur, regem Franciscum singulari virtute præstantem sua repetentem, bellũ Imperatori indixisse. Quod quidem felici successu non caruit, licèt illius & Gallorum res attritæ viderentur, obsecundante Deo, contra fœderis conditiones à captiuo Rege & in vitæ graui discrimine constituto per vim sine vllo iure expressas. Quòd si restitutionem in integrum impetrare liceat contra pacta vel vi vel metu transacta, & aduersus calliditatem, fallaciam, & machinationem ad circumueniendum alterum adhibitam; si lex quoque deceptis, lapsis, & læsis subuenit, siue vi, vel metu, siue dolo, siue ætate, siue errore, siue absentia inciderint in captionem; quantò magis si dolus & metus, si vis, si iustus error, si fraus ab aduersario interuenerit, succurri oportebit læso & circumuento Principi, eiúsque successoribus; præcipuè cùm vinculorum, mortis, ac seruitutis terrore illud acciderit? Nam si cui res, vel pecunia, vel fundus per vim ablatus fuerit, restitutio solet indulgeri; multò magis si Regis regníque dominium ereptum fuerit; quod alienari non potest, etiam cum authoritate, & consensu Senatûs, supremarum regni Curiarum ac trium Ordinum: id potissimùm vetante Salica lege quæ alienationes huiusmodi non patitur etiam iureiurando ratas & publicis spon-

ſionibus adprobatas: Quum præcipuè Rex Galliarum pro ſummo iure, quæ illius ſuprema eſt authoritas, ſe ipſum reſtituat nullius indigens auxilio? Scilicet omni, & Romano, & gentium, & naturæ iure licet licuítque ſemper ſummis Principibus occupata per vim & iniuriam legitimis armis repoſcere & reuocare. Itaque Gallicæ Coronæ dominium in fide regia, & quaſi municipij lege conſtitutum, ſceptróque ita adiunctum, vt ab eo ſeiungi nequeat, non potuit etiam volens Rex Franciſcus, nedum inuitus & coactus alienare, imò ſucceſſor eius recuperare & repetere tenetur, niſi Regij iuris imminutionem ac imperij pati malit. Quòd ſi Galliarum Reges pro Fidei defenſione olim ab ipſis infidelibus capti, non dominij iactura, ſed auro tantùm libertatem recepêre; quis non mirabitur per duriſſimas fœderis leges, non dicam apud Chriſtianos, ſed etiam apud Barbaros hactenus inauditas, Imperatorem victorem & armatum ab inermi & captiuo Rege, auiti principatûs & dominij ſui nobiliſſimam partem, ſuperſtitibus præſertim filiis, ferociter extorſiſſe? Quòd ſi etiam apud omnes Orbis vniuerſi terrarum Principes & exteras nationes clientelarum fides, & dignitas non ſolùm honeſta ſemper fuit & illuſtris, ſed & ſacroſancta & inuiolabilis; Si dominus iure feudi vaſſallos, vt vocant, officij ſponſione & agnitione exoluere nequeat, & in aliam manum transferre; Si denique familiarum, non perſonarum beneficia & iura ſunt, atque ipſis adeò familiis peculiaria, & quaſi addicta & deuota, vt his neque Rex quidem, neque alius poſſit cedere; (alioquin huiuſmodi ceſſio ex moribus externis eorum & vſu noſtro nullius virtutis prædicaretur,) multò minùs ea licet àbdicare bona quæ regni Francici ſunt, quoniam in eo omnia Rex imperio poſſidet, ſinguli dominio. Vtque Corona formam rotundam omnium capaciſſimam, motúmque refert circularem qui perpetuus eſt, & ubique ipſa in ſeſe redit, incipit, & deſinit, níſque illi abſtrahi & eximi poteſt; Sic Imperij Gallici majeſtas omnino eſt ampliſſima, & dominij authoritas æterna, quæ perenni annorum circuitu, & perpetua ſucceſſionis ſerie in ſe tota vertitur, nec ab ipſo imperio diſtrahi vel alienari poteſt. Fundos quidem, ædes, prædia & his ſimilia teſtamento dari, vel pacto, vel contractu alienari vidimus; regnum auitum vel regni & Coronæ dominium aut ex pacto, aut ex contractu, aut ex teſtamento non inſolitum modò, ſed etiam durum & omni memoria fuit omnino inauditum. Siquidem benè gerendæ rei facultas, non alienandæ, Regi tantùm comperit; ſummúmque ius in adminiſtrationem, non in alienationem accepiſſe iudicatur. Lex Iulia

prospicit dotali fundo, cuius nudam possessionem retinet maritus; Ecclesiastica, Diui Petri; Cæsarea, sacro Imperij patrimonio, quod summus Pontifex & Imperator veluti iure dotali possident; Salica demum, Coronæ Gallicæ dominio, cuius non patitur alienationem. Itaque constat Regibus nullum ius esse ditiones suas etiam cum populi, & subditorum consensu ac consilio submouendi. Quoniam per huiusmodi conuentiones non tantùm agri & dominia, sed etiam incolæ alienantur; qui etsi in Regis ditione, & imperio ac potestate esse dicantur, tamen multò magis in eius fide & clientela esse censentur. Planè quemadmodum illustris radius Soli fulgenti, & rutilus nitor candidæ luci, ita perpetua connexione adhærent, vt nec inuicem diuelli ac separari queant; sic dominium & Corona tam naturali conuenientia, & politico vinculo, atque ciuili societate coniunguntur & nectuntur, vt nec dirimi nec distrahi vllo modo possint: ita sacrosanctum, quódque minimè possit abalienari, censetur esse dominium. Accedit solemne illud iusiurandum quod à Rege dum in templo cœlesti oleo inungitur, præstari solet, se quidem secundùm legem Salicam præcipuum regni firmamentum, arcem, & caput, neque sceptri, neque dominii vel minimam alienationem passurum, imò omnia, quæ fuerint alienata recuperaturum, séque nunquam bona fratribus hæreditaria, quæ vulgò Apanagia vocant vel dotales fundos, vel quæ dicuntur doaria, nisi ad Coronam masculæ sobolis inopia vel morte reditura, concessurum; neque denique dominium dominiíve partem ad pacem componendam, libertatem acquirendam, & quamcunque aliam causam fauore & pietate dignam alienaturum modò, sed ne quidem permutaturum; saluo semper iure filiorum, fratrum, & regij sanguinis procerum, quos sceptro vel dominio, quod Regi competit pro regni lege & consuetudine, non iure successionis aut testamenti, aliúsve instrumenti, abdicare non potest. Itaque iusiurandum illud adeò solemne minimè violari licet, támque sanctum & religiosum est, vt soluat, & eximat ab alio quovis posteriori iureiurando, quod iure & facto nullum est & irritum, missis præteritísque fœderibus, iudicijs, contractibus, donationibus & id genus alienationibus, quæ quidem sunt amissis viribus penitus inefficaces. Atque illud ipsum iusiurandum etiam ab illustriss. regni Cancellario præstari solet. Tanti enim apud nos est dominij Gallici Coronæ annexi conseruatio, vt quovis titulo nequaquam possit nexus ille dissolui vel laxari, sítque perpetua illius recuperandi authoritas, vt pote non tam potestati Regis, quàm fidei illius beneuolentiæque commissi.

ELOCVTIONIS ORATORIÆ ALIQVOT OBSERVATIONES AD PETRVM, SAMMVRTHANVM FILIVM.

HÆc ornatè & copiosè loquendi præcepta tibi do dicoque. Plura sunt quæ feliciús haurire poteris è veterum ac recentiorum libris verè aureis; præcipuéque ex Elogiis illustrium Galliæ virorum à Scæuola Sammarthano viro clarissimo auo tuo conscriptis, quem si tibi imitandum proposueris, non alió digniori exemplo ad elocutionem excitari poteris atque inflammari.

Ac primum quidem numerosa sit oportet orationis periodus, certis quibusdam adstricta pedibus & legibus circa finem: quibus neglectis & verbis tantum transpositis liquidó appareat non eandem restare concinnitatem. Exempli gratia, pulchrè cadit illud Ciceronianum. *Patris dictum sapiens temeritas filij comprobauit* si paululum immutaueris, *comprobauit temeritas filij*, Iam carebit venustate.

Econtra versuum dispar est numerus & aliis legibus astringitur. Itaque in prosa versum fuge, eiusque principium & maximè finem, nisi aliundè cites authoritatis aut voluptatis gratia: vt cum Tullius initio de senectute citat Ennianos versus, *O Tite si quid ego adiuro curamuè leuasso, quæ nunc te coquit & versat sub pectore fixa Equidem erit pretij* alioquin id in vitio ponitur nisi dicas, *omnes cupiunt iucundam degere vitam in terris.*

Deindè periodi finis maximè spectetur, vt cadat ex temperatione longarum & breuium senis tantum à fine sillabis. Exempli gratia. *Tu dicere solebas sacram esse rempublicam, quicumque eam violasset ab omdibus ei pœnas esse persolutas.* Dichoræus seu duplex trochæus ex longa & breui constructus geminatusque vt in vltimo exemplo apparet, Ciceroni est gratissimus, ita vt in vna Maniliana centies decies & quater sit adhibitus.

Ex longis autem omnibus clausula fit tardior & rarior vt si dicas *Nulla mihi est cura iucundorum ornamentorum* ex breuibus rarissima *vt delectatur opiparis conuiuijs & elegantia supellectilium.* Varietas tamen eiusmodi esse debet ne continua similitudine artificium deprehendatur: Artificis enim est celare artem.

Optima vero compositionis ratio est in qua vocalis occurrit consonanti, sic enim vitatur hiatus, qui è concursu vocalium, præsertim trium a, o, u, superbissimum & fastidiosissimum, vt ait M. Tullius, aurium iudicium offendit, *vt illa autem audiebat, illo onere fatigabatur cornu vtrumque.*

Qui netiam e, &, i, mius durè secum & cum alijs concurrunt modo ne nimis frequenter, *vt ille ego qui quondam &c. illi inter sese dubiis de rebus agebant.*

Consonantium quædam natura sunt asperæ vt r. quæ caninum rictum sapit, &. s, quæ agrestem & insuauem sibilum refert: vtrumque hoc in versu deprehendas, *nunc rapidus retro ad terram resoluta resorbet saxa.* Quod tamen videtur adhibuisse ingeniosus poeta vt res asperas asperis vocibus exhiberet, ac veluti subijceret oculis: Secus earum concursus fugiendus.

Breuium quoque nominum & verborum vitanda continuatio, ne concisa & imminuta videatur compositio, præsertim veró monosillaba multa malè continuantur. *vt è re tua id est vult & non quod ipse vis.*

Cæterúm multa similiter cadentia seu terminata quæ vocant homœoteleuta: Itemque crebra eiusdem vocis resumptio (nisi id fiat cum Emphasi hoc est vi & energia majoris affectus) non admittitur Nam & virtutes tædium pariunt nisi

varietas gratiam addat. vulgo versus ille Ennianus carpitur, *merentes, flentes, lachrimantes, & miserantes*, ob similiter cadentia sine Emphasi.

Præterea periodus quæ latinis dici potest circuitio, est continuatio membrorum & commatum, ita aptè & rotundè connexorum vt plenam sententiam perfectamque conclusionem referat, Exempli gratia, *Si pro immortalibus vestris in me fratremque meum, liberosque nostros meritis parum cumulaté gratias egero: quæso obtestorque ne potius naturæ meæ quam magnitudini beneficiorum vestrorum id tribuendum putetis*, hic etenim plenus est sensus & completa sententia.

At veró huiusmodi numerosa periodus ferè per antecedens & consequẽs distinguitur: quorum signa sunt eæ omnes voces quæ duo verba requirunt vt compleatur sensus: cuiusmodi coniunctiones aduersatiuæ; Etsi, licet, tametsi, quantum libet, quibus in consequentè respondet tamen, nihilominus, Nihilosecius, saltem. Item aduerbia similitudinis, sicut, velut, quemadmodum, sic, ita, Temporis vt, tunc, nunc, itemque aduerbia quantitatis tantò, quantò: exempli gratia, *Si quantùm in agro locisque desertis audacia potest: tantum in foro atque in iudicijs impudentia valeret: non minus in causa cederet Aulus Cæcinna sexti Æbutij impudentiæ; quamtum in vi facienda cessit audaciæ.*

Periodi quidèm partes aliæ minores, quæ commata vno aut pluribus verbis constantia dicuntur: alio nomine incisa seu virgulæ: aliæ majores quæ cola vocitanrur sensum perfectum vel suspensum in corpore periodi efficientia. Exempli gratia *antequam de republica dicam ea quæ hoc tempore dicenda arbitor, Exponam vobis breuiter consilium profectionis & reuersionis meæ.* Virgulæ nota, vt coli:

Comatis etiam iusta magnitudo est octo aut decém syllabarum. *Vt ardebat cupiditate, flagrabat auaritia, inflammabatur odio.* Paruum comma paucioribus constat vt *egentem virtutis, inopem laudis*, illud sensum complet nomine cum verbo adhibito: hoc ferè nomine constat cum aliquo adiuncto non completo sensu vt *Marcellus nobilitate, probitate, optimarum artium studio, innocentia & omni genere laudis præstans.* Colon

autem est oratio perfecta aut imperfecta longior commate mediocri. Exempla perfecti: *Quosque tandem abutere, Catilina patientia nostra? Quandiu etiam nos ipse tuus furor eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia?* Exempla imperfecti cui nempe verbum deest. *Neque nox tenebris obscurare cœtus nefarios; Neque priuata domus parietibus continere vocem coniurationis potest.*

Porrò periodus aut est simplex id est vnius membri, aut dicolos, tricolos, tetracolos, pentacolos & vltra. idem 2. 3. 4. 5. aut plurium membrorum. laudatissimum tamen est hoc genus periodi quod quatuor hexametrorum instar porrigitur, cuius exemplum est repetendum ex 2. præcepto: *Si quantum in agro locisque desertis, &c.*

Item periedus omnis quæ pluribus quam quatuor membris constat perigraphe dicitur, cum enim enumerationes distributionesque incidunt, multiplicantur membra insignem in modum.

Hinc ratio dicendi triplex obseruatur, 1ª cæsim cum breuissimis & multiplicatis clausulis vt ferè fit in confirmationibus & inuectiuis, acritèr & pugnaciter agitur. 2ª membratim, cum oratio in longiores clausulas absoluto in singulis sensu abrumpitur. 3ª. deniquè periodicè vt in exordiis & in omni oratione quæ plurimum habet dignitatis & minimùm contentionis.

Stylus indè triplex notatur, nempè sublimis & amplus, qui magno cùm sententiarũ, tùm verborum cursu sonituquè fertur: modicus & temperatus qui inter summum infimumquè incedit & narrationibus ac historiæ idoneus; tenuis denique & acutus qui dialogis & Estpistolis aptissimus.

Virtutes itaque styli sunt in primis perspicuitas seu facilitas orationis ad rem intelligendam. Est enim ille parum ingeniosus ad quem capiendum opus est ingenio. 2°. cultus seu amputatio & abstertio sordium, cùm in sententententijs & verbis non omnia quæ dici possunt dicuntur? sed tantùm lectissima quæque & non triuialia, aut obsoleta, aut noua nimis. 3°. proprietas non quæ translata per elegantem metaphoram excludit, sed quæ est natiua vis significandi ex vsu doctorum. 4°.

mollitia & suauitas quæ allicit auditorem & tam cedit auribus, quam sibi postulat aures inseruire ac cedere. 5°. Acumen, quod sententiam per se languidam penetrare facit in animos & quasi condimentum cibos insipidos reddit suauiores.

Intereà sublimis generis styli propriæ sunt dotes. 1° dignitas quæ ab ipsa rerum quæ tractantur nobilitate imò & à dicentis existimatione non nihil pendet. 2°. grauitas & vehemētia quæ est quædam orationis elatiò cum impetu.

Sed mediocris dicendi formæ proprij sunt affectus, scilicet rotunditas & volubilitas: hæc ex dissimulato cultu orationis valdè animum explet: Illa neque exilem neque turgidam facit orationem, sed leni velut agmine fluentem, vt de Tyberi canit poëta. At sublimis *Eridano comparatur qui cum stabulis armenta trahit.*

Tenuis denique siue humilis, vt leni susurro fluitans riuulus proprios affectus habet puritatem sermonis ex communi vsu & consuetudine loquendi, Ac simplicitatem quæ est puritas eadem, sed nullis adhibitis figuris ac tropis: exempli gratia purus est sermo vulgari metaphora, *prata rident.* purus erit & simplex si dicas *prata gramine abundant* mediocri forma dixeris. *redeuntis aduentu veris prata vigorem denuò recipere quem hyemis asperitate perdiderant.* At sublimi stylo: *quo nitore prata & pascua per hyemis atrocem inclementiam exciderant, eidem vere vices apud nos obtinente veluti post limini restituuntur.*

Addequod styli diuersitas maximè pendet ex adiunctis nominum & verborum quæ Epithera vocitantur, quæ nempè certam ijs attribuunt proprietatem. Eiusmodi adjunctorum vsus adhibetur in amplificatione orationis vt diminuendo, *Incedit gradu testudineo.* Laudando, *vt diuinus Plato, libellus aureus.* vituperando *vt præceps & inconsultus amor.*

Item, breuitatis ergo adhibentur Epithera quæ sepè vim sustinent longæ periodi, si cum iudicio & Emphasi tentetur istud. Exempli gratia: *de Appelleis istis lineis vnus iudices Protogenes,* quo in adjuncto fit allusio ad eximiorum pictorum concertationem quæ aliòqui longè fusius esset euoluenda.

Adiuncta etiam ex intima rei natura sunt depromenda & maximè ex circunstantiis istis: Quis, quid, vbi auxilium,

quoties, cur, quomodo, quando. Ita nullum erit otiosum Epithetum.

Aduerbium igitur suo verbo, adiectum suo substantiuo elegantiùs præponitur vt *disertè satis loquitur: probus est & eruditus homo.*

Præpositio nunquam casui subest præterquàm versus & tenus vt *romam versus, capulo tenus.*

Interiectiò nulla est nisi quæ seiuncta virgulis affectum humanum denotat vt *Cecropidæ iussi (miserum) septena quotannis, &c.*

Alius, aliud, aliter, contra, secus, pariter, æque, idem, proximè & libenter adiungunt sibi, ac & atque, *Terentius alium nunc censet esse me atque olim cum dabam.* Æque tamen absolute interdum ponitur *Aeque eadem studeant velintque omnia.*

Per inde atque, & perinde vt, & perinde quasi, eleganter inuenias, *perinde atque capta vrbe. Liuius.* idem, *perinde vt eueniret res.*

Iuxtâ quandoque absolute pro æque vt *iuxta boni malique, strenui & imbecilles multi cæsi sunt*, alias dicimus iuxta ac, atque mecum, tecum. *Plautus iuxta tecum, si nescis nescio*

Alter, in diuisione lectissimè geminatur vt *alter gladio, alter iaculis potior.* item *primus & alter,* id est secundus & pro *vicesimo primo diè* dicimus altero & vicesimo, pro semel & bis, semel atque iterum. Horat *mille talenta rotundentur, totidem altera, porrò tertia succedant.*

Adeò pro, etiam, venustè vt *atqae adeo multa afferunt de suo.* protam & sic, sæpe vsurpatur sequente particula, vt, *adeò procerus vt nubes contingat.*

Cum & tum, diuisiuæ coniunctiones aptè sic ad nectuntur vt prior quod minus est denotet, posterior quod maius. *vir cum doctus, tùm probus,* aliàs tum proponitur cum eo quod maius est. *Puella tum honestā, cum etiam formosa.* Interdum tum geminatur *vt tum diues, tum nobilis.*

At, non caret magna Elegantia cum inexpectatum affert: *at regina graui &c.* cum præuia est execrationi *at tibi pro scelere exclamat pro talibus ausis* cum optandi vim habet. *At tibi Dij*

omnes benefaciant Atenim vſurpaturcommodè cum obiectio-ni tacitæ reſpondemus. *Atenim dices.*

Per in compoſitione denotat aptiſſimè rem confectam vt *perferre litteras.* Cum, dicit multa eodem tendentia, *vt concurritur a militibus.* De, inferiorem locum : Sus, ſuperiorem; Pro, longè diſſitum; Re, iterum vel retro. vt *deſpicere, ſuſpicere, proſpicere, reſpicere,* & generatim in compoſitione vis præpoſitionis eſt maximè conſiderana.

Ad extremum deſcriptiones ſingulare orationi adferunt ornamentum, & illius dignitatem mirificè augent.

Denique ſimilitudines è ſingulis & vniuerſis rebus ducuntur & orationis elegantiam illuſtrant, nihilque efficacius agit, nihil potentius.

Sed hæc actenus, cætera labore diligentiaque facillime poteris conſequi, modo pijs ſupplicationibus cæleſtam gratiam inuocare non deſinas.

ILLVSTRISSIMÆ GENTIS PLESSIÆ RICHELIÆ, ELOGIVM.

NVLLIS æstuantium nimborum procellis, nullis ventorum flatibus agitatur illa mundi regio, quæ cœlos propius attingere creditur, sed perennis ac prorsus mirificæ temperiei leniores & salubriores circùm auras emittit, & gratissimis vbique perflatur Zephyris. Sic illustri & auito natalium splendore familia Plessiorum potissimúmque Richelia præcellens, nullis sæuientis fortunæ motibus, nullis aduersorum casuum turbinibus infestatur grauiùs, atrociusue tunditur; sed quo sublimius attollitur, immota & sui perpetuò similis, planè mirabiles edit effectus, immortalique gloria præfulgentes. Illa etiam multiplici cognationis vinculo illustriores Galliarum familias, ipsámque adeò augustissimam domum Regiam attingere haud quaquam vanis titulis ac stemmatis prædicatur. At verò inter eas quæ Plessiæ nuncupantur, præcipuum obtinere locum RICHELIA iudicatur, non solum ab antiquitate, sed à viris quoque maximis, quos vel armis, vel rebus gestis, vel supremis dignitatibus, tam Ecclesiasticis quàm militaribus egregiè functos quingentis ab hinc annis felicissimè protulit. Constat autem testimonijs publicis & inculpata fide dignis Gulielmo Plessio circa annum salutis M, IIc. Philippo Augusto imperante Scutigeri nomen dignitatis tunc illustre impositum fuisse. Petrus autem Gulielmo filius fuit qui dum rerum clientelarium præci-

pueque Plessi; catologum Pictauiensi Episcopo exhibet, ab eo scutiferi quoque appellatione decoratur, & eodem etiam Titulo cohonestatur filius illius Gulielmus II. in multis & varijs maximi momenti documentis. Hinc succeßit Petrus II. filius: Vtque per merita dignitates crescunt accidit Gulielmum alterum illius filium Plesij Vernoleriæ & Valineriæ dominum Equitem strenuum Carlotam Cellæam in vxorem duxiſſe quod constat ex diuisione rerum hæreditariarum multisque tam publicis quàm priuatis instrumentis quæ omnia sigillo Walliæ principis tunc Aquitaniam & prouinciam Pictauiensem occupantis confirmantur. Tres autem masculos edidit Gulielmus ille tertius Petrum natu maiorem Siluestrem & Ioannem quorum omnium mentionem fecit in testamento à se condito anno salutis M. III$^{C.}$ LXXIII. quo cauit his verbis. Item volo quod filius meus Syluester veniat ad fidem & homagium omnium & singulorum bonorum meorum eo casu quo Petrus filius meus natu maior non veniat ad obedientiam domini Regis Franciæ. Testamentum illud futuris sæculis & in æternum erit memorabile & eius authoritas apud Gallos erit perpetua & sacrosancta. Licet enim ditioni Principis Walliæ subiaceret inuitus Gulielmus quem cæca illa tempestas cum reliquis Aquitanicis abripuerat, tamen patrio spiritu verèque Gallum redolenti plenus testamentum illud condidit aureum & solemne, vt esset inditium deuoti ad memoriam sempiternam in Regem regnique Coronam animi. Et ab eo Syluestro qui semper à regis partibus stetit prognatus est succeßione non interrupta & felicibus auspicijs Illustrißimus Armandus Cardinalis Richelius. Quominùs mirandum est si virtus ipsa ingenita heroi tanto eum ad Regis regnique gloriam planè confirmauerit. Interea in cretione hæreditatis paternæ Vernoleria & Valineria contigerunt Syluestro, qui quidem anno M. III$^{C.}$ IIII^{XX}VIII. Isabellam Ioanne Motæ & Belabrij domino progenitam duxit, & ex ea sustulit Syluestrum secundum Gothofredum & Ioannem vt & Ianam quæ Ægidio Fretardo viro nobili nupsit anno M. IV$^{C.}$ XXII. Prætereа Gothofridus Plessius ex vetusta illa nobilique gente felici genio editus, Perriniam Clerembaldiam Richeliæ domus hæredem veteri

& clara quoque prosapia natam, vxorem habuit, cuius præcipua stirps in gentem Lauallensem defluxit, & ex eorum fortunatissimo coniugio Franciscus & Petrus prodiêre. Natu maior Franciscus ex Renata Vigilcania filium habuit alterum Franciscum qui contraxit nuptias cum Guidonia Lauallensi filia Iani Lauallensis Equitis, Bræx domini: Hic vero è paterna origine ab illustri & generoso Equitum magistro Mathæo Momorantio qui egregiam adeò nauauit operam Philippo Augusto in memorabili pugna Bouinensi, ortum suum duxerat, & à Laurentia Hannonia, quæquidem non solum ab Hugone Capetio Rege Galliarum, sed à Carolo Magno Imperatore inuictissimo genus suum proferebat. Filius autem FRANCISCVS Plessius, eo nomine tertius, Richelij quoque Dynastes ad tantum honoris apicem euectus est, vt etiam affinitatem in augustissima domo Regia contraxerit, dum videlicet Annam Regiam Guidonis Regij, Equitis nobilissimi, Chilloëi domini, Galliarum Hypothalassiarchi, Regiæque classis aduersus Anglos Imperatoris duxit in vxorem quæ, paternam auiam habuit Ianam Drocensem è sobole Roberti Drocensium Comitis, Ludouici Crassi filij, progenitam. At vero tam nobilis ortus, & si aliquantò remotioris, tamen splendor ad nepotes & posteros copiosissimè defluxit, non secus atque à iugi perennique fontis scaturigine purior lympha per riuulos diducta, iucundum nihilo secius & egelidum saporem, quamuis à capite suo procul deerrauerit, diu seruare & retinere solet. Francisca autem Regia sororem habuit Nicoleam Arturij Cossæi Gonorij Equitum Tribuni vxorem. Ex eo Francisci III. matrimonio plures prognati sunt liberi, magni nominis viri, quorum in serie Ludouicus natu maior fratrem habuit Franciscum castrorum Tribunum qui post quæsitam in bellis Pedemontanis gloriam, in Galliũ reuersus posteaque Regi Carolo IX. militans multa memoranda gessit. Quod ne cuiquam fictum videatur, bellorum ciuilium scriptores hunc testantur anno M. D. LXII. cum Marchionibus Villario & Monpezatio nouæ opinionis copias plerasque Pictauium ingredi contendentes, suorum dolo paulò prius interceptum: quò munitissimum propugnaculis oppidum contra exercitum Santandreani Equitum Tribuni

tertiùs progugnarent, paſſim fudiſſe ac cecidiſſe. Quæ res ita felici euentu ceſſit, vt hoſtes Pictauio excedere tandem coacti fuerint. Tanti ad victoriam momenti eſſe dicitur matura celeritas, & intrepida, vbi res poſtulat, fortitudo. Eodem ferè temporis momento ille ipſe Richelius fanum Angeriacum hoſtibus ijſdem eripuit. Proximo deinceps anno Bironius & Richelius idem Sulleium oppidum haud procul Aurelia, obſidione cinxêre ac tandem expugnauêre. Ad extremum tot egregiè perfectis rebus, inſignibuſque datis virtutum documentis, generoſus ille juxtà & magnanimus heros in obſidione Gratiæ portûs ad oſtia Sequanæ, quò ſeſe Rotomago pulſæ Anglorum copiæ receperant, vulneratus magno omnium mœrore occidit. Eo tamen ſucceſſu vt illius opera & fortitudine Anglo excedere coacti fuerint. Fœlix, ô nimium fœlix, qui fuſo ſanguine pro religione tam fortiter occubuerit, quippe Principi poſt homines natos fortiſſimo & inuictiſſimo, eiúſque temporibus prout decuit, vitam liberaliſſimè impendit. Eſt etenim viri magnanimi ſe totum vtrique deuouere & conſecrare, atque honeſta morte immortalitatem ſectari; breuíque curriculo vitæ, multos annos complere, diuturnámque ſibi apud poſteros memoriam comparare. Scilicet his primùm Deus nos conciliat, deinde natura, demúmque conſcientia noſtra firmiſſimis vinculis adſtringit, vt vita, quæ fatorum neceſſitati debetur, nuſquam gloriòſiùs, quàm pro religione & Principe conſtanter, & interpidè profundatur. Tertius horum frater Antonius Pleſſius ob merita Eques Torquatus renuntiatus in oppido Blæſenſi tunc à Vaſconibus ac Prouincialibus in Aurelianorum auxilium euocatis obſeſſo, ſtrenuè dimicans non minimam laudem adeptus eſt. At verò Iacobus Pleſſius ac Renatus illius frater vitam Eccleſiaſticam profeſſi ſunt; & ille quidem Epiſcopus Lucionenſis deſignatus, hic Abbas Neollenſis. Ludouicus autem Pleſſius Richelius eorum frater fidelem & egregiam Franciſco I. & Henrico II. nauans operam ſtrenue ſe geſſit, & Franciſcam Rupiſchuartiam Antonij Rupiſchuartij Diui Amandi & montis acuti domini, Tholoſani Seneſchalli & Catharinæ Barbazanæ fœminæ nobiliſſimæ filiam duxit in vxorem. Antonius autem ille ex Honorata

Matefelonia Vicecomitiſſa Rupiſchuartia, vnde & illi genus, originem quoque è familia regia Drocenſi deriuabat. Dies me defecerit, ſi tot nobiliſſimę familię ornamenta ſigillatim attingere ferret animus. Ex tam multis ergo ſpectatiſſimis heroibus potiſſimùm nobis occurrit Franciſcus Pleſſius Richelius Ludouici filius generoſus ille Caroli IX. Henrici III. & IV. & præcipuus rerum gerendarum adminiſter per luctuoſa ſane publicæ calamitatis tempora, ſiue datas ab hominibus nouæ opinionis turbas conſideres, ſiue dum Henotica factio Reges & regnum ipſum penè à fundamentis concuſſit. Ille igitur tot egregijs facinoribus aditum ſibi ad ſupremas dignitates muniẏt, & vtriuſque ordinis Eques Torquatus, ſacri Conſiſtorij Aſſeſſor, & Magnus Franciæ Leſtodiocta renuntiatus cuſtodiæ inſuper corporis Regij præfectus eſt. Nec immeritò, ſi quidem multa præclara & memoranda geſſit, potiſſimùm verò dum illa factio furore percita bacchari maximè viſa eſt. Quo nomine præſertim laudandus venit ille Richelius, cùm per eos dies multi à Regibus Henrico III. & Henrico Magno viribus diffiſi deficerent; ille etiam varijs & honorificis legationibus, vt vrbes & Regis ſubditos in officio & fide contineret, ad vota Regum expletis defunctus demùm eſt. Henricum III. Pariſios obſidione cingentem ſequutus eſt, vbi infeſto parricidio Regem extinctum vidit & indoluit, penéque primus Richelius Salicæ legis authoritate permotus Henricum Magnum tunc Nauarræ Regem, Galliarum quoque Imperatorem ſalutauit, eóque lubentiùs poſt ſacramentum ſolemne ab ipſo Rege præſtitum ſe Religionem Catholicam amplexurum & illius in poſterum fortiſſimum & Chriſtianiſſimum fore aſſertorem & protectorem. Quæ Richelij facinora memoranda nunquam è memoria hominum excident, & præcipuè dum Henrico Magno graui obſidione Vindocinum, Cœnomanum, Alenconium, Faleſiam, & alias vrbes miro inuicti animi robore occupanti, poſteaque eidem principi in memorabili pugna Euriacenſi & deinde Pariſios iterùm graui obſidione prementi operam nauauit, & vbique generoſi animi & egregiæ fortitudinis inſignia documenta edidit: in eáque obſidione tandem magno cum Regis mœrore fato ſublatus eſt, fœlici ſortis humanæ conditione, Regiſ-

que insigni & assida beneuolentia perpetuò florens. Nec verò vna ea in re posita est vera huius vitæ felicitas, sed in ipsius virtutis officio & intrepida possessione: Et tum denique fortunati haud falsò prædicamur, dum nostra spes omnis & ratio & cogitatio non omnino pendet à sorte, dubióque rerum euentu, sed ipsa fide sapientiáque & animi magnitudine sese tuetur ac propugnat. Franciscam & Annam sorores habuit, quarum prima cum Petro Fretardo Saluio posteáque cum Marconæo, & altera cum Fr. Cambotio Pontis-castri domino viris nobilissimis & generosa prole beatis nuptias contraxerunt. Vxorem habuerat Franciscus Suzannam Portæam Veziniam magni & generosi spiritûs fœminiam, cuius frater Eques strenuus & illustris vnam è summis & præcipuis ordinis Hierosolymitani præfecturis obtinet, Legationemq; ordinis illius grauissimi cum fide & authoritate subit & hodie Portui Gratiæ felicissimè præponitur ac præterea Vicariã augustissimæ & potentissimæ Reginæ Matris operam in administratione Andegauensis prouinciæ multa etiamnum cum dignitate præbere conspicitur. È Portæorum inclyta gente superant adhuc insignes viri, & inter eos Malleraiæ dominus armorum gloria nobilis. Suzanna verò Portæa, tota in instituendis & attollendis egregiè liberis industriam & officium collocauit, & ea cura felici euentu non caruit. Licet enim in ipsa planè temporis iniqua sorte perculsi filij patrem ferè pueri amiserint, tamen vt è semine palma virescens, licèt depressa floridior exurgit ac viget: vtque laurus cæsa licèt ferro, pulchrior & nouo tollens honore caput nobilior & viuidior frondescit: sic ætate ineunte & succrescente statim in eis ingentis animi vigor, miráque indoles apparuit. Scilicet HENRICVS maior natu filius Richelij dominus, animi magnitudine & virtute præcellens, vbicunque se obtulit occasio, præcipuéque in Regio exercitu Niuernensi, cuius erat solus Castrorum Tribunus, patrias virtutes probè assecurus est, variáque fortitudinis & prudentiæ testimonia vsque ad extremum vitæ spiritum gloriosus edidit. ALPHONSVS autem frater hodie Archiepiscopus Aquensis dignissimus, anteaque Lucionensis Episcopus designatus, se totum Deo dicauit. Ille prius ordini Carthusianorum, in quo piè summaque vitæ

ſanctimonia vixit & in ſtudijs Theologicis placidè conquieuit, ſe dederat ac deuouerat, Epiſcopatu inter manus fratris ARMANDI PLESSII RICHELII conſignato. Sed qualis & quantus heros Cardinalis ille RICHELIVS? qui per varios honorum gradus ſupremum in Eccleſia dignitatis faſtigium, ſupremamque vniuerſi commercij, maritimæque nauigationis illuſtrem & maximi momenti præfecturam, ſacrique Conſiſtorij, & præcipuè ſecretioris oraculi principem locum adeptus eſt? Primùm quidem Deum ſumma ſemper veneratione coluit, liberaléſque & ingenuas artes, ſacráſque literas penitiſſimè & auidiſſimè amplexus eſt. Quod teſtantur tot Eloquentiæ & Theologiæ ſanctiſſima & eruditiſſima monumenta, tot ſcripta nitenti verborum cultu & apparatu ſplendidiſſima, tot grauiſſimæ & celeberrimæ conciones ingenti totius cleri principum & procerum populique concurſu habitæ, tot denique acutiſſimæ & ſubtiliſſimæ quæſtiones Theologicæ quas primo ſub æui flore in ſcholis Sorbonicis & vbiq; propoſuit, enarrauit, diſcuſſit, vt ea omnia è ditiſsimæ venæ latifundijs protuliſſe & diuinæ ſapientiæ theſauros hominibus recuſiſſe nemo eſt qui neſciat. Vnde nil mirum eſt ſi quicquid agat, quicquid meditetur, quicquid dicat vel ſcribat, ita ſuis partibus omnibus explere cõſueuerit, vt nihil generoſius, nihil quicquã dignius excogitari poſsit. Ille etiam Conſiliorum omnium rationem acutiſsimè explorat, ac fideliſsimè explicat incomparabili facundiæ laude præcellens. Licetque ob noua maioraque in dies virtutis, fidei & probitatis exhibita ſpecimina, ad ſummum iſtud purpurei galeri munerumque Eccleſiaſticorum & aliorum ſingulare & præcipuum decus euectus fuerit: Attamen ille nihil de priſtina lenitate, candore & beneuolentia imminuit: nec proinde faſtu ac ſuperbia tumere viſus vſpiam eſt, aut flatu fortunæ arridentis turgere magis, ſed ſtabili & aſſueta vitæ modeſtia refulgens, & blandè omnibus conueniendi ſui poteſtatem faciens, in vera animi tranquillitate placidus remanſit & conquieuit. Nuſquam autem ira mentem illius præcurrit, ſed ipſe animum æqua ratione temperat; ab ea rectos & honeſtos affectus promanare, ab illa motus violentos & naturæ infeſtos prorumpere tantùm non vbique dictitans. Nulla interea pars vitæ il-

lius publicis negotijs vacat, vehementique & vario mentis acumine & iudicij robore incredibili præpollet, magis suo merito, quàm circumstante gratia & fortunæ beneficio, magnus. Et merito jure; scilicet in eo mira vitæ innocentia non solum emicat, sed immoti animi constant & indemitus vigor, illęsus candor, astu nullo, furo nullo, permixtus & inquinatus, vt & perspicacis ingenij summa vis, temperantiáque & fides & animi magnitudo. Porrò quos humana conditio casus volue- re consueuit, ita inconcusso & constanti pectore nouit excipere, vt vtriusque fortunæ documenta viresque alternas magnitudine sua longè ducat inferiores. Nullum insuper auaritiæ, nullum cupiditati, nullum vindictæ apud se locū vnquam esse voluit, sed prodesse omnibus & nemini nocere enixè studet. Hinc domus eius nullos familiares vel domesticos nisi virtute, pietate & eruditione pręcellētes viros admittit. Si deniq; liceat hominum mores, ingeniáque ex corporis temperamento æstimare, & oculorum acie frontéque ipsa pernoscere, in augusto prestantiq; corpore præfert excelsum ac planè generosum animū. Quod patuit in multis grauissimis negotijs quę summa prudentia summaque dignitate transegit, abeo tempore quo ad interiora & secretiora regni consilia & arcana feliciter admissus est: & præcipuè in expeditione Valtelinæa, quæ præter spem ommium L. IVSTI potentissimi Regis auspicijs suscepta feliciter succesfit: & in lege matrimoniali inter Britanniarum Regem & Regis sororem icta & composita, tempore quo curam sanctæ Sedis Apostolicæ, Religionis Catholicæ & Gallicæ Coronæ principuam habuit, dum authoritas summi Pontificis hinc requiritur, & hinc conscientiæ libertas Reginæ, & eius administris in Anglia conceditur, & ad omnia solemni fidei Sacramento Rex Britanniarum obstringitur. Præterea quanta in heroe tanto vis iudicij & ingenij, quanta rerum agendarum peritia emicuit in rebus cum Illustrisimo Legato Barberino agitatis & transactis? Quanta liberalitatis & magnificentiæ amplitudo in splendido & solemni apparatu quo pendente Legatione ab eo exceptus est in augustissimo Reginæ matris hospitio, siue mensam regalem & exquisitas epulas, siue musicos numeros voces & modos, siue ignes artificio incredibili & in longa sæcula mirabili præfulgentes,

præfulgētes, totiusq; pompæ ſuperbum decus & dignitatē conſpicias? Nec omittēdum eſt motus per Armoricam prouinciam ſedatos & tumultus momēto breui tanti viri ductu compoſitos, nuptiaſq; inter Sereniſſimum Ducem Aurelianum Regis fratrem vnicum & Monpenſeriam Duciſſam Principem lectiſſimam generoſo illius cōſilio prudentiáq; ſingulari contractas & ſolemnia nuptiarum ſumma cum ceremoniâ & pietate cōfecta. Quis verò non laudauerit illud celeberrimum ædificium penè collapſum, pietatis & doctrinæ gratiſſimū domicilium, quo nihil ſanctius & omni religione munitius eſſe videmus, in gratiam & commodum ſanctæ Sorbonæ, (cuius protectionem oblatam rogatus lubenti animo ſuſcepit) ſumptibuſq; & ſtudio tanti Cardinalis à fundamētis excitatum? An ſileam Hiſpanis enixè petentibus operâ illius datam pacem & perduellibus veniam conceſſam eis neceſſariam, Galliæ & Regi perhonorificam? Nec ſine piaculo præterire poſſum Cœtum illum celeberrimū in magnificâ ędium Tegularium aulâ coactū, in quo mirabilis eius facundia non ſolùm enſicuit, ſed etiam animi vis atq; magnitudo tam felici ſucceſſu, vt in publica Regis & tot Principum & Procerum luce clariſſimus & prudentiſſimus omnium enituerit, ſumma dicendi majeſtate, ſummóq; iudicio & incredibili dignitate ſacros Eloquentiæ flores & rerum agendarum intelligentiam penitiſſimè recludens. An taceam Regis acrem morbum, quo ad Villaregiam arcem ſæuiente, rerum omnium ſummam ipſo iubente Rege ſumpſit & Imperium Gallicum ſartum tectum ab omni detrimento & imminēti periculo ſeruauit? Præſertim ab infeſtâ & inopinâ Anglorū aggreſſione; dum ad littus Alnetenſe & in Ream inſulam Bukingamo Duce appellunt; commeatus enim in eam tranſuehendus per RICHELIVM ſumma diligentia ſolertiáq; præparatus ac immiſſus eſt, cuius opportuno auxilio arx obſeſſa liberata, fuſi fugatiq; tandem inſula Angli excedere coacti ſunt. Quis denique obſidionem illam Rupellanam ſileat auſpice tanto ſuſceptam, ſummámque in eâ rerum belliq; curam illi abſente Rege permiſſam generosè perfectam ac confectam? celebremque illam communicationum lineam & memorabile frenum Oceano impoſitum mirãdo illo Aggere non ſtupeat? Quæ omnia tantæ obſidioni non ſolum promiſerunt, ſed & annuente Numine, Regiſque maximi virtute felicem

exitum ei impoſuerunt, & validiſſimam ac potentiſſimam totius Orbis terrarum, tribus fuſis maritimis exercitibus, vrbem ad deditionem coegerunt. Opus admirabile, quod ſecula nulla conticeſcent, dum præcipuè RICHELIO authore venia perduellibus datur à Rege clementiſſimo & ſupra cæteros Principes potentiſſimo & inuictiſſimo. Vix Oceanum deſeruerat, cùm mare mediterraneum & ipſa Chriſtiana Religio oppreſſa Regem ac RICHELIVM Cardinalem euocat, quo contendit, Regemque comitatur, & conſilia in medium producit, breuíque captis perduellibus aliquot vrbibus, tota deditur Occitania. Vix Lutetiam ſalutauerat, cùm ecce finibus Allobrogum inſtat. Vix Sequanæ littora tetigerat, cùm Eridani ripas transgreditur: Vix Pyrenæos ſaltus reliquerat, cùm Alpium iuga præteruolat, & Pignerolio, multiſque alijs vrbibus & arcibus firmiſſimis captis illuſtriſſimus Carolus Dux Mantuæ & Montis-ferrati ab oppreſſione & Caſalium ab obſidione liberatur tanti viri opera & proſpero conſilij ſucceſſu. Quàm verò feliciter breui tempore Lotharingicæ ac Germanicæ expeditiones eius quoq; conſilio & operâ, Gallicíque Imperij bono & commodo nuperrimè confectæ ſunt? Atque ita Rupellanæ, Occitanicæ, Italicæ ac Germanicæ illæ expeditiones memorandæ, quibus regni fines bellicâ virtute propagati ſunt, per omnẽ Europã erunt Cardinalis RICHELII pietatis, ingenij, magnitudinis animi & conſtantiæ in æternum teſtes & conſciæ. Nempe ita res humanas dijudicare par eſt; vel à conſilijs, dum non temerè, ſed matura deliberatione ſummaque animorum contentione facinus aliquod inſigne aggredimur: vel ab effectis, dum generoſæ mentis viuido vegetóque robore & fortitudine ingenti cœptum opus vrgetur: vel denique ab euentis, dum proſpero multumq; expectato ſucceſſu res tota cõficitur: Neque dum nouum ſit omnino, ſi Rex ſagaciſſimus hominum æſtimator ingenium & iudicium Heroïs iſtius ſubodoratus, illi ſupremam rerum & Conſiliorum curam detulerit, ſummamque & auguſtam exercituum & armorum præfecturam incredibili communium votorum alacritate & propenſione delegauerit. Præterea Rex illum Ducem, Patritiumque Franciæ renuntiauit anni M. DC. XXXI. Septembris die quarto eodem ipſo, (quod mirùm eſt) quo nouem ante annos S.R.E. Cardinalis à Gregorio XV. Pon-

tifice Maximo dictus fuerat: tantáque vsus est moderatione, vt prçter morem laudari noluerit eâ luce, quâ sacramento dixit in Senatu magnâ Principum & procerum astante coronâ, mirâque Senatûs frequentiâ. Et paulò post Britanniæ Proregis omnium Ordinum votis expetitus iusiurandum inter manus Regias præstitit. Ille patiens laborum, iudicio acri, miróque ingenio præcellens, rebus prosperis moderatus, aduersis constans, suis charus, hostibus metuendus, continuò rebus vario procellarum turbine perculsis omnium iudicio salutem & ordinem attulit, plurimáque viuidæ virtutis & excelsi animi specimina exhibuit. Denique supra cæteros mortales inuicto robore animi pollens, tot æstus ingentes curarum, tot continuos negotiorum fluctus non effugit, at certè superauit & firmior contra pericula remansit. Qualis arbor procera & semper virens Pinus, quæ super excelsi montis culmine cum ventorum Australium impotenti flamine vehementiùs impellitur, vt ferè videatur radicitùs euelli, & è diuerso ruentis Aquilonis accessu pulsatur atque in aduersum quatitur, ex ea celeri & rapida colluctatione ventorum potentiori stabilimento validiùs fulcitur atque sustinetur. Denique omnia sibi cōmissa munera dignissimè iuxta ac fidelissimè compleuit etiam difficillimis Galliæ temporibus, nullum subeundi periculi genus renuit, séque vltrò, quo rerum iubebat necessitas & ingenita laudis cupido contulit, immortalemq; sibi posterisq; suis gloriam peperit & gentile decus illustri laudis accessione cumulauit. Magnus videlicet atq; excelsus animus ad omnia, ingenij mira fœcunditate, comparatus, in quamcumq; partem suam aciem torquet, séque applicat, miros edit progressus, atque immortali gloria præcellentes. Itaq; non mirum est si tot præstantissima corporis atque animi dona in eum Superi tam cumulatissimè congesserint, qui Regi & patriæ & Religioni tot illustria & æterna fidei, deuoti animi & pietatis documenta præbuerit ad perpetuam Gallici nominis laudem & dignitatem. Quæ omnia Rex LVDOVICVS IVSTVS & Summus ipse Pontifex literis publicis & nobilissimâ commendatione vbique terrarum celebrarunt, & ipse Orbis vniuersus in Cœlum amplissimis præconiis extulit. Præterea Richelius sororem habuit Franciscam Plessiam, quæ primùm quidē connubio iuncta fuit cum Ioanne Belualio Equite Pim-

peani domino. Ille ab illuſtri gente Belualiâ, quæ familiam Borboniam & Monpenſariam affinitate contingit ob coniugium Iſabellæ Belualiæ & Franciſci Borbonij Vindocinenſis Comitis, à quo illuſtriſſimus ortus erat Dux Monpenſerius, originem traxerat. Belualio defuncto illa ipſa Franciſca Pontio Corlayo Equiti ſtrenuo atque nobili nuptui data eſt, & ex eo matrimonio filius illuſtri patre dignus prodiit, ac illius ſoror Combaletij Equitis quoque ſtrenui vidua non ſolùm pietatis & pudicitiæ, ſed etiã formæ, iudicij & ingenij laude præſtans. Nicolea verò ſoror altera Cardinalis illius eminentſſimi, Vrbano Mailleo Marchioni Brezæo ſtipatorum Regiorum Præfecto, Claudij Maillei nepoti elocata eſt, qui Regium vexillum Henrici III. in prælio Cotracenſi prætulit, & ibi generosè dimicans vitam cum honorificâ morte cõmutauit. Ille apud Turones ortus veteri proſapia, quæ Pæanios primum, ſecundum & tertium Equites fortiſſimos edidit, necnon ex gente Melodunenſi, quæ Frãciæ magnum Oeconomum protulit, ac præterea è ſtirpe Bucharda Albaterræa apud Aquitanos ſpectatiſſima, familiáque inſuper Theuallæa, quæ præfecturam regiam apud Metenſes obtinuit, ſplendeſcentem ex illuſtri adeò multiplicíque auorum decore, originem duxit. Literis quoque proditum eſt Ægidium Mailleum Brezæum Renati Siciliæ Regis Architereutem fuiſſe, Arturúmque nepotem, Vrbani atauum, cuſtodiæ Regij corporis præfectum adhibitum, alióſque gentis illius proceres honorum plures gradus decurriſſe, pluréſque alias haudquaquam obſcuri luminis nominiſque familias cognatione ſibi conſociaſſe; nullam tamen Pleſſia Richelia meo iudicio illuſtriorem extitiſſe. Vtque ad Orientem ferunt Gyzantæos quoſdam populos flores lectiſſimos è quibus odores longè gratiſſimi circùm afflantur, amœniſſimis in ſaltibus plenâ manu decerpere, mélque dulciſſimum ea copia & ſuauitate conficere, vt apum ipſarum æquet, immò etiam ſuperet cœleſte mellificium: Sic Pleſſij Richelij proceres in ſupremo dignitatum ſolſtitio conſtituti, tot præclaris affinitatibus contractis, perpetuà ſeriè ad hanc ætatem ea ſemper nobilitate inter cæteros enituere, vt virtutem & merita illuſtrium auorum meritis peculiaribus, propriiſque virtutibus, non ſolùm adauxerint, ſed & longo interuallo præuerterint.

ELOGIVM ILLVSTRISSIMÆ GENTIS SCHOMBERGIÆ.

HOc vnum Regibus noſtris peculiare ſemper decus fuit, vt veræ virtutis prudentiſſimi æſtimatores, eam non in ſubditis modò, ſed & in exteris proceribus ac viris quibuſque egregijs, immò & in hoſtibus admirarentur, & honorificis gratulationibus exciperent. Patuit illud auorum noſtrorum memoriâ in Stuardis, Cliuenſibus, Gonzagis, Vrſinis, Fliſcis, Triuulſijs, aliiſque compluribus viris illuſtribus. Et merito iure quidem; nam virtutem in his omnibus diligere conſueuimus, quos ipſa commendat legitima ſinceri & iuſti affectus cauſa. Virtus autem immenſam ſui opinionem ac mirum prorſus amorem apud ignotos quoque & infeſtos homines excitat: vt pote quæ abſoluta quadam dignitate animos ſibi concilians, lumen vbique ſuum diffundit, atque illicò beneuolentiæ radijs humanas mentes permeat, penetrátque. Candore illo & munificentia regia conſpicui Carolus IX. Henricus III. Henricus Magnus, noſtérque LVDOVICVS IVSTVS familiam SCHOMBERGIORVM apud Germanos illuſtrem non ſolùm in Gallicum nomen ciuitatémque coaleſcere æquiſſimè voluerunt, ſed præclaris dignitatibus magníſque muneribus inſignem in dies extulerunt. Id verò ſingulari quodam iure noſtrorum Regum benignitas debuit Germanis, quorum libertatis aſſertores illi ſæpiùs ſeſe exhibuere, & à quibus pri-

mam originem traxere Franci. Cùm etiam vel ab ipsis florentis Imperij Romani temporibus & Italorum opinione, Gallis Germanisque ob morum corporúmque similitudinem fraterna societas intercedere visa sit. Huius autem familiæ proceres ortum ex antiqua nobilíque stirpe in Marchionatu Misnensi sub ditione Ducum Saxoniæ sacri Romani Imperij Electorum, quorum Mareschalli hereditarij fuere, Scombergij traxerunt. Quinetiam ex illa ipsa familia vir illustris ac primæ notæ in eadem aula rerum agendarum curam vniuersam præcipuus administer hodie summa cum fide ac dignitate gerit. Gentis autem illius abundè splendorem ex hoc licet deprehendere, quòd ab illa stirpe Ioannes Schombergius Archiepiscopus Treuirensis & sacri Imperij Romani Elector inauguratus & sacris infulis exornatus est, ad quem dignitatis Ecclesiasticæ gradum insignem nullus secundum Germanorum leges & gentilitia instituta prouehitur, nisi qui publicis & indubitatæ fidei monumentis familiæ nobilitatem ab octo saltem gradibus sine interruptione aut aliarum in ipsam insitione ductam, manifestò comprobarit. Ea gens, sanctę Romanæ Ecclesię illustrissimum quoque Cardinalem extulit Nicolaum Schombergium priùs Archiepiscopum Capuanum, cuius salutaribus consilijs Clemens VII. & Paulus III. summi Pontifices sæpissimè acquieuere, tantáque fuit vitæ sanctimonia & eruditione, tantáque auctoritate & prudentia, vt non semel Sede vacante Deus sacrosancto Patrum amplissimorum collegio eam mentem dederit, vt pium illum virum deligerent, quem necdum Cardinalem in ipso Pontificiæ dignitatis supremo apice constituerent. Nec in ordine solùm Ecclesiastico Schombergij celebres enituere, sed & armis bellicísque rebus clari & illustres septingentis ab hinc annis emicure. Itaque inter eos qui laude militari floruerunt, repetita longis retro sæculis memoria scriptis proditum est, anno salutis nongētesimo decimo nono, & imperante Henrico Aucupe notum & illustre Schombergiorum nomen fuisse. Siquidem Albinus Schombergius equestribus decursionibus, post bella strenuè felicitérque confecta quibus interfuerat magnámque partem obierat, indictis, inter præcipuos equites & hoplomachos in Magdeburgensi Catadromo decurren-

tes virtute singulari eminuit, & circulo Bauarico præfuit, certissimo non minimæ dignitatis argumento. Ab eo plures primordia gentis familiæque traxere. Horum è numero circa annum millesimum & consequentes Fridericus Schombergius in equestri certamine Brunsuicensi, longóque pòst tempore Henricus in Vormatiensi percelebres extitere: aliíque plures eiusdem familiæ per varios honorum gradus ad eximiam bellicæ virtutis famam suo merito peruenere. Scilicet ea tempestate Imperatores, Reges, & proceres castrensibus vigilijs summum decus bello adepti, in otio demum & per interualla pacis ambiguæ ac dubiæ ludicris eiusmodi certaminibus disciplinæ militaris munera fortiter atq; feliciter æmulabantur. At insuper Henricus alter & Iacobus Schombergij circa annum millesimum trecentesimum in bello, quod actum fuit inter Fridericum & Ditmarum fratres Saxoniæ duces aduersus Albertum Misniæ Marchionem memoranda eximiæ virtutis specimina exhibuere; vt & Gaspar Scombergius in tumultibus Hussiticis excitatis anno M. IIIIC. XXI. qui vnà cum duobus filijs strenuis equitibus in funesto prælio, quod in Bohemia commissum, dimicando generosè occubuit. Alter præterea Gaspar Schombergius auorum memoria tantam sibi peperit apud omnes existimationem, præcipuéque apud Albertum Saxoniæ ducem, quem passim Hectorem Teutonicum appellabant, vt eum ille copiarum, quas in auxilium Friderici III. & Maximiliani I. comparabat, præfectum, propter vsum ac notitiam rei bellicæ, & ingentis animi magnitudinem, creauerit. Ioannes Gasparem illum parentem habuit, & filium Volphangum, qui militauit non inglorius neque degener, præcipuéque in Italia sub signis Caroli V. Imperatoris, duce & auspice Carolo Borbonio in Gallia priùs Equitum magistro. Fuit & in exercitu Germanico ab eodem Imperatore aduersus Protestantes contracto, & summi Mareschalli dignitate exornatus egrégiéque functus est. GASPAR autem SCHOMBERGIVS Volphangi filius Nantolij Comes eodem honore floruit sub Carolo IX. Galliarum Rege. Siquidem celebri fama tanti Heroïs, militaríque fortitudine, & præstanti iudicio permotus Carolus, non priùs conquieuit, quàm eum ductu & arte fortissimi Annæ Momorantij Equi-

tum Magiſtri ad ſuas partes pertraheret. Pace verò conſtituta GASPAR pietatis amore & ſtudio religionis incenſus Henricum Lotharenum illuſtriſſimum Ducem Guiſium in Turcas expeditionem molientem ſequutus eſt; ſed grauis in Pannonia intercepit illum morbus, atque à tam laudato propoſito planè inuitum reuocauit. Reducem nihilo ſecius varijs muneribus Rex inſigniuit ac decorauit, vt virtuti ſuus extaret honos, atque ad Principem Auraicum à partibus Proteſtantium ſtare conſtituentem delegauit, vt eum ab inconſulto ſtudio dimoueret; quod illius operâ felici ſucceſſu non caruit. Poſtmodùm in Germaniam miſſus ab ipſo Rege Schombergius, copias militares conſcripſit, & opportunè adduxit, earumque ſtrenua virtute, quam ille ſuo accendebat exemplo, feliciter dimicauit in acerrima Monconturienſi pugna, honeſto ibi vulnere in crure ſanciatus. Nec omittendum eſt facinus Heroïs tanti memorabile: Quum nempe Marchione Badenſi auxiliarium Germaniæ copiarum præfecto in ipſa pugna cæſo, ipſe Schombergius palantes milites & ſine ductore paſſim errantes aſſeruit, & retinuit, bacillóque Præfecti tunc humi iacente in altum ſublato, copias inſtaurauerit, manúſque denuò conſeruerit tam feliciter, vt denique impreſſione facta, priùs nutans & diu anceps victoria Regijs demum affulſerit. At verò, exercitus Imperatore virtutis inſigne ſpecimen Regi commendante, in tam egregiæ fortitudinis præmium, copiarum illarum deinceps Germanicarum omnium, quæ ſæpius in Galliam ob aſſiduas bellorum ciuilium tempeſtates & turbas à Rebellibus datas euocabantur, præfecturam obtinuit, quæ hereditario quodam iure ad filium & nepotem ſubſequentibus annis tranſmiſſa eſt. Poſtmodùm Schombergius Caroli I X. iuſſu iterum in Germaniam profectus, deinde in Sarmatiam, vt comitia, quæ de nouo Rege creando habebantur, Germaniæque proceres, Henrici Ducis Andegaui quem ad faſtigia Sarmatici regni Carolus ingenti affectu & niſu tollebat amore & admiratione tanti principis compleret, quod tam proſpero euentu exequutus eſt, vt ea gens illum ſibi concordibus ſuffragijs Regem cooptauerit. Ille verò & nouum Regem in Sarmatiam tendētem valido comitatu deduxit: qua in expeditione rara quoque ſummæ ſingularíſque prudentiæ

& grauitatis exhibuit ſpecimina, laborem & induſtriam Ioanne Monlucio Valentino Epiſcopo magni nominis & rerum agendarum eximiè perito, cum Schombergio communicatis conſilijs, qua erat ſumma prudentia, conferente. Porrò Schombergius è Polonia in Galliam regreſſus à Carolo ſecretioris Conſiſtorij Aſſeſſor eſt renunciatus, eóque paucis pòſt menſibus abſumpto, iterùm à Regina Catharina Regis matre in Italiam delegatus eſt, vt Henrico ipſius Caroli ſucceſſori ad ſuos penates, charámque patriam ſe recipienti obuiam procederet, maximíque momenti negotia & arcana fidus miniſter explicaret. Quod quidem ipſe tanta eſt ingenij ſolertia & probitate animi exequutus, vt ſibi tunc maximè gratiam noui Principis, alioqui præſtantium hominum amantiſſimi, conciliauerit. Nil exinde in hoc ampliſſimo regno memoratu dignum accidit, nulla pacis fœdera compoſita, nullæ copiæ conſcriptæ, nulla commiſſa prælia, quibus non ille interfuerit: maximè verò in exercitu Campano, cui ductor præerat Dux Guiſius aduerſum Proteſtantes, Ioannem Cazimirum Comitem Palatinum Bauariæque Ducem in auxilium aduocantes. Miſſus autem eò Schombergius, vt illum à propoſito reuocaret, receſſúmque in Germaniam ſuaderet. Quod etiam negotium tam dextro pede concepit confecítque, vt promiſſa illi ingenti pecunia, cuius obſides & ſponſores Eſcarius & Allegrius dati fuerunt, & in Germaniam abducti, continuò Cazimirus pedem retulerit, éque Gallijs exceſſerit. Eſcarius autem & Allegrius diutiùs in vinculis eſſent habiti, niſi prudentia & induſtria Schombergij illos tandem exemiſſet. Quid memorem, quàm alacriter & ſtrenuè dimicando Georgius Schombergii frater in acerrimo illo & penè ad internecionem cruento Maugironis, Cailuſij & aliorum duello ceciderit? Poſtmodum exoriente funeſto factionis Henoticæ in ipſius regni viſceribus bello, ita Schombergij fidei & conſtantiæ Henricus III. acquieſcebat, vt eum in Germaniam iterum atque iterum deputauerit, peragendis rebus maximi ponderis idoneum; quas profectò ille more ſuo prudenter executioni demandaturus erat, niſi aduerſante fato Lotharingiã pertranſiens, Verduni captus atque in vinculis eſſet habitus. Vtque in comparanda victoria laborum ac periculorum quæ ſubire

necesse est, acerrimus quisque palmæ studio nec meminit quidem; sic tædium & ærumnas captiuitatis, Regis obsequio & rectè factorum conscientia fortissimè tolerabat. Tandem solutus ac liber fatalibus illis viarum interclusionibus, quæ Lutetiæ anno M. D. IIII^xx VIII. claustra nouis calamitatibus omni genere malorum refertis aperuere, suprema Regis regníque fata immoto stabilíque proposito & sincero in suum Regem affectu sequutus est. Ille quoque Blæsensibus comitijs interfuit, Regíque penè oppresso & supra modum afflicto fidelem vsque & incorruptum animum exhibuit, ea præcipuè tempestate, qua omnia turbis, seditionibus, perfidia, cædibus, & incendijs confusa erant ac permixta: atque ad nouos temporum casus, nouorum consiliorum rationes prudenter accommodans, Regi persuasit, vt HENRICVM MAGNVM, tunc Nauarræ, postea Galliarum Regem inuictissimum aduocaret, & valere iussa omni simultate reconciliatísque animis, sibi adiungeret. Ab eo tempore læta dies Gallis illucere cœpit. Hac enim ratione HENRICVS MAGNVS breui ad regni solium euectus est, quod felicibus auspicijs confectum; & Reges sibi inuicem fidm dedere: Consilium illud ab initio difficile fuerat, tractu decorum ac honestum, & euentu Galliæ vtile non solùm, sed & necessarium. Itaque Regum potentissimorum iussu Germaniam quartò adijt, vt auxiliarem exercitum, cui summo cum imperio præesset, adduceret. Sed ecce in Italia, quà iter habebat, vt magnum Hetruriæ Ducem conueniret, nunciata ipsi derepentè est infanda & publicis execrationibus perpetuò deuouenda HENRICI III. Principis optimi cædes. Quo tam tristi accepto nuntio, nihilominus Germaniam accessit, & Christiano Electori Saxoniæ Duci consilium dedit, vt suppetias nouo Regi laboranti ferret. Verùmtamen iste à tam nobili & generoso proposito, ab inuido Cazimiro sese abduci passus est. Interea prudentissimus & sagacissimus ille Princeps HENRICVS MAGNVS Schombergio, quæcumque fuerant illi concessa munera, dignitates, honorésque, cùm à Carolo IX. tum ab Henrico III. lubentissimè confirmauit, sanxítque. Tanti ergo beneficij memor Schombergius 15000. peditum & 4000. Equitum cum tormentorum appa-

ratu conuenienti exercitum conscripsit mirò felicis opera successu, sed nonnullis opinionis contrariæ proceribus adnitentibus exercitus imperium Principi Anhaltino fuit oblatum ea conditione vt præcipuas in eo partes ageret Schombergius quod generosissimè respuit sed impensis suis, sexcentos equites strenuissimos è Germania in Galliam adduxit: Tandémque desidiæ & quietis impatiens Ioanni Aumontio fortissimo Equitum Tribuno in Burgundia se adiunxit, vnáque Regem Rothomagum obsidentem adiit, cuius ille iussu & iudicio singulari duplicis honore muneris auctus est, copiarum nempe Germanicarum præfectura, & castrorum Regiorum Tribunatu, quibus deinde fortiter fungentem vniuersa Gallia merito iure suspexit. Nec omittendum est, Theodoricum Schombergiũ in memorabili Euriensi pugna Regi HENRICO MAGNO fortiter operam nauantem, occidisse. Nam gentilitio quodam iure proceres Schombergij vix sibimet ipsis videntur satisfacere, nisi plures suorum animas Principi, patriæque suæ temporibus atque in omne obsequium impenderint. Interea Rodolphus II. Romanorum Imperator Equitis fortissimi & prudentissimi virtutem bellicam ac industriam subodoratus, opimis quibusque conditionibus voluit illum Galliæ inuidere, sibíque totum asserere, vt belli summam aduersum Turcas illi consignaret ac demandaret. Quæ omnia recusauit Schombergius, Regémque Imperatori, Galliámque patriæ prætulit; quod immortali dignum videtur elogio æternæque posteritatis memoriæ consecrandum Furente verò belli ciuilis tumultu, præcipuus extitit hortator, vt conuentum & colloquium ab hoste propositum non aspernaretur. Itaque die indicta, & loco opportuno in Surenensi pago ad Lutetiam fuit hic à Rege delectus cum Pomponio Bellcuræo postea meritissimo Regni Cancellario, Iacobo Aug. Thuano dignissimo Senatus Præside, Gothofredo Camusio Poncarræo sacri Consistorij Assessore, Ludouico Reuolio Regi à secretis mandatis, multísque alijs primæ notæ proceribus, qui omnes summo Reip. bono inducias futuræ pacis prænuntias pepigerunt. Eodem ferè tempore Schombergius ita prudenter cum HENRICO MAGNO egit, vt ei præcipuus auctor fuerit fidem Catholicam Apostolicam & Romanam amplectendi.

Adeóque prospero successu res tota confecta est, vt continuò pòst vrbes innumeræ se in ditionem Regis-recipere,& in viam officij, à qua nimium iam diù aberrabant, redire non dubitauerint: sicque fortuna, quæ celeri prius cursu & recursu nec non incerto flatu lubrica & inconstans freto atque æstui simillima voluebatur, fixa tandem & amica Regi remanserit. Hac sanè ratione HENRICVS MAGNVS incertæ spei certum fructum decerpsit, sensimque regnum suum in potestatem omne redegit. Quùm verò bellum Philippo Hispaniarum Regi indixit, in Sequanos cum exercitu regio alacriter tendens, in vrbe Lutetia & Insula Franciæ Principem Contium Proregem reliquit, eique Schombergium velut propræfectum adiunxit, cuius consilio & prudentia suos omnes actus dirigeret. Eodem ferè tempore Rex vtriusque Marchiæ Proregem quoque denuntiauit Schombergium, tandémque Regiæ gazæ summam illi præfecturam post mortem Francisci Doi concessit, quam exinde summa cum integritate & continentia tractauit. Supererat anceps omnino & spinis difficultatum horrens negotium, scilicet cum Protestantibus & neotericæ opinionis hominibus diuturna contentio, vt tranquillitati publicæ ab omni parte prouideretur. Negotium cœptum fuit in oppido Castri-heraldensi, quò conuenerant Protestantes, confectum verò in vrbe Nannetensi, eóque Schombergius à Rege delegatus cum illo ipso Præside Thuano, tandémque in Protestantium gratiam Edictum processit opera, labore,& industria tantorum virorum. Post tot exantlatos labores, tot pace belloque perpessa incommoda, tot res feliciter summóque iudicio pro regni salute gestas, Schombergius è Confluenti Lutetiam rediens apoplexiæ morbo lethali repentè absumptus fuit, annum agens LIX. reparatæ salutis M. D. IIIIXXXIX. non sine multo Regis omniúmque bonorum desiderio;& in fano Comitatûs sui Nantoliensis marmoreo ac planè magnifico tumulo sepultus, quem illi posuit Iana Castanæa Rupipozæa nobilissima & prudẽtissima coniux, Iani filia, sorórque Ludouici Castanæi Rupipozæi Abennij prudentissimi & generosissimi Equitis, & ad Pontificem summum Oratoris, Regiæque maiestatis in Romana Curia fortissimi assertoris, ac vtriusque etiam Marchiæ Proregis

regis digniſſimi. Fuit heros ille bellica fortitudine, ſumma animi magnitudine, ſingulari iudicio & apud omnes fidei ac pietatis indubitata opinione; ingenio verò ad res tractandas & magni ponderis peragenda negotia planè idoneo præſtans; oris quoq; dignitate & decoræ frontis honore conſpicuus fulgebat. Eius amicitiam coluere viri ingentes & cultu literarum perpoliti, Mericus Vicus poſtea ſacri Sigilli Cuſtos illuſtriſſimus, Achilles Harlæus ampliſſimi Senatûs princeps, Iac. ille Aug. Thuanus, Ioſephus Scaliger, Scæuola Sammarthanus parens meus, compluréſque alij: nam qui literarum ſtudio flagrabat, literis politioribus illuſtres viros impendio complectebatur, Regúmque propenſam erga literatos & caſta Muſarum commercia beneuolentiam promouebat. Ex coniuge illa ſua plures tulit liberos vtriuſque ſexûs. Annibal quidem natu minor, qui magnam ſuæ virtutis expectationem fecerat omnibus, iuuenili adhuc ætatis flore Pragæ in Bohemia, quò ſeſe armorum ſtudio & bellicæ laudis auiditate contulerat, morbo ſublatus eſt. Franciſca maritum habuit Franciſcum Dallonium Comitem Ludenſem & Marchionem Illerium Regis fratris vnici moderatorem vigilantiſſimum, & Catharina Ludouicum Barbanſonum Canium inſignem è primaria Picardiæ nobilitate Equitem, nacta eſt virum. Sed maior natu HENRICVS SCHOMBERGIVS Nantolij Comes ſuperſtes adhuc & incolumis viuit; vtinâmque longùm patriæ huiuſce bono & Galliæ ſaluti vitam ducat. Ea namque meditatur ac peragit, quæ ad regni huius incolumitatem, Regiæ majeſtatis auctoritatem, rerúmque publicarum curam pertinent. Ille rudimenta militiæ poſuit ſub HENRICO MAGNO in obſidionibus Rothomagenſi, Ferienſi, & Ambianenſi apud poſteros perpetuò memorandis, vbi tot virtutis, vigoris bellici, & animi magnitudinis illuſtria ſpecimina exhibuit, vt patri ſucceſſor deſignatus fuerit adhuc iunior & vtriuſque Marchiæ Prorex, & Præfectus Lemouicenſis creatus ſummo populi, nobilium, omnium denique ordinum aſſenſu. Regem etiam aduerſus Carolum Sabaudiæ Ducem properantem comitatus eſt, ibique rei bellicæ gloria præ cæteris abundè præcelluit. Itaque HENRICVS MAGNVS cognita planeque ſibi perſpecta fide & virtute tanti Herois. eum delege-

rat, cuius fideli fortique opera vteretur in illa celebri & æternùm suspicienda expeditione, quam in varias Europæ partes dudum adornabat ac meditabatur. Pari candore, constanti fidei obsequio, perpetuóq; debiti officij fructu LVDOVICVM IVSTVM eius filium Regem potentissimum & inuictissimum prosequutus est. Scilicet motibus Gallicis excitatis, nulli mortalium hac in parte pietatis & erga illum obseruantiæ & fortitudinis vnquam cessit, Marchiámque & totum Lemouicensem tractum, prouincias sibi creditas, summa cum tranquillitate continuit. Ille etiam centum Equitum cataphractorum dux & Germanorum peditum per Galliam in exercitu Tribunus, necnon Equitum etiam Germanorum Præfectus & vtriusque postea Consilij Secretioris Assessor, tandemque dux Pedemontanæ legionis constitutus fuit. Denique in Germaniam quoque Legatus missus, vt auxilia Regi idonea & tempestiua deduceret, ita ille prudenter, quæ mandata erant, exequutus est, vt voti compos reditum è vestigio maturaret, nisi pace cõposita rem inchoatam omittere iussus esset. Ideóq; ne desidia torpere & otio marcescere cogeretur, ad Allobrogas, venia prius à Rege impetrata, contendit, vt serenissimo Sabaudiæ Duci aduersus gentem Hispanam auxilium præstaret & operam nauaret: quod tam feliciter illi cessit, vt deuictis hostibus, captis & euersis Quefrancorio, Quatoreo, & Anonio castris & oppidis, multisque prælijs generosè confectis, spolia plurima trophæis insignia victor detulerit, & à generosissimo Duce perhonorifico Tribuni castrorum titulo & munere decoratus fuerit. Quinetiam renouatis in Gallia motibus, & ad suos reuersus, continuò, primus omnium cum quinquaginta Equitibus copias illustriss. Cõdæi Principis aggressus est, legionemq; integram duasque turmas equestres in agro Bauignacensi apud Lemouicos fudit fugauitque. Posteaque motibus alteris superuenientibus Vzerchium in eodem tractu munitissimum oppidum fortiter expugnauit recepítque, ac deinceps in intima Regis & arcana consilia est admissus, quorum omnium summus Præfectus designatus est, eodemque momento Regiæ gazæ, quam paterno exemplo, puris & incorruptis manibus tractauit. Nec postremæ commendationis loco reponendum est, Schombergij patrem etiam ærarij sum-

mum Præfectum in multo ære alieno diem extremum obijsse, quod vnum miram viri continẽtiam abundè satis arguit. Neq; tamen vxori prudentissimæ defuisse industriam, quâ nomina dissolueret, adeò vt non modicis opibus & facultatibus restituto filio sustinẽdas Palatinæ militiæ impensas expedita patuerit via, vt demum fortunæ commodis cumulatior, quàm alius quispiam accesserit ad illam ipsam gazæ Regiæ supremam præfecturam. Ille etiam vtriusque Ordinis Eques inauguratus est, & rei Tormentariæ curam præcipuam præsente LVDOVICO IVSTO in castris regijs egit. Maximè vero in expeditionibus, Normanica, Benearnensi, Pictonica, Santonensi, Aquitanica, & Septimanica, tanta cum animi magnitudine & robore versatus est, vt nunc hostem felici conatu aggrederetur, nunc ipsis in vallis omnia sagacissimè collustraret ac præsentiret, tantáq; dexteritate & vigilantia vsus est vbiq;, vt nec pecuniæ, nec arma, nec tormenta, nec deniq; vlla commeatuum genera defuerint, vnde magnam apud omnes nominis & famæ celebritatem consequutus est. An sileam quod obsidione Montalbanensi contigit, in lethali totiq; regno luctuoso vulnere generosissimi Principis Henrici Meduanæ Ducis? dum fatalis globulus plumbeus, qui Galliæ lumen illud extinxit, pileum Schombergij tunc vnà in ipsis aggeribus consilium capiẽtis trajecerit, paucissimóq; interuallo abfuerit, quin geminam doloris segetem exiberet. Nec omittendum, est quàm prospero successu Regi tunc adstanti officium exhibuerit in illa celebri & inopina Subisij copiarum in Rieâ inferioris Pictonicæ regionis peninsula, strage deditionéq;: quod immortale Schombergij decus laudabili testimonio Rex ipse professus est. Inuidiæ tamen aculeis non multò post ab Aulâ cessit, sed paucis mensibus interjectis honorificentissimè euocatus, assuetam & vtilissimam Regi regnóq; præstitit operam, tam felici euentu, vt Tribunus Equitum, paucisq; post mensibus Xantonensis, Engolismensis, posteaq; Lemouicensis Prorex, deinde primus Regis Cubicularius omnium applausu diceretur. Scilicet finxit illum eo cõsilio natura, vt quem imitaretur Nobilitas haberet, siue animum excelsum, siue innatum virtutis vigorem, perspiciamus, cuius rei luculentum & æternum testimonium præbuit memorabilis illa obsidio Rupellana, in qua Præfectus vicariam Regi

potentissimo, posteaque generosissimo Cardinali Richelio, cui summa rerum absente Rege credita fuit, operam exhibuit: deinde Reana expeditio, dum eius ductu & ausu Angli fusi fugatiq; sunt ad perpetuam Gallici nominis laudem & memoriam, quod honorifico etiam Breuiculo summus ipse Pontifex testatus est. Ad Italicas expeditiones nunc venio, in quarum primâ Schombergius decoro vulnere ad Suzæ Regijque totius exercitûs conspectum cohonestatus emicuit: in altera Veillanam vrbem & arcem validissimam ac munitissimam prius tutatam sub ditionem Gallicam reuocat, tempore quo belli cura & exercitûs Regij fuit illi permissa: postmodumq; Casalium totius Italiæ propugnaculum & Toïrassium, Equitum hodie Tribunum fortissimum, iterum liberauit, miro faustæ sortis auspicio. Vxorem duxit Scombergius Franciscam Spinaiam gente apud Armoricos illustri & imprimis opulenta, è qua suscepit Carolum Schombergium Marchionem Spinaium, Comitem Durtalium, ac Ducem Haluinium Franciæ Patritium; & in exercitu Regio Alnetensi circa tempus primæ obsidionis Rupellanæ Equitum leuis armaturæ Magistrum animi magnitudine bellicaq; virtute commendabilem; Illi adjuncta fuit vxor Anna Haluinia veteri & nobili stirpe prognata, filia sororis illustrissimi Henrici Cardinalis Retij summa pietate & vitæ sanctimonia Præsulis. Extulit quoque SCOMBERGIVS Ianam Schombergiam virtutum omnium concursu illustrem: Eam duxit in vxorem Rogerius Plessius Marchio Liencurius Carolo Plessio Liecurio Insulæ Franciæ & vrbis Lutetiæ Præfecto ac Antonia Pontia Guercheuilla femina prudentissima & lectissima parentibus editus, primùm quidem nobili Regis Equitio Præfectus, deinde primus Regis quoq; Cubicularius renuntiatus, vir strenuus & generosus. Schombergius carissimâ vxore sublata è viuis, Guichiam consortem habuit alteram nobilissimo sanguine tam paterno quàm materno progenitam, specie, ingenio & honoribus insignem. Prætereà illustrissimæ Schombergiorum familiæ faustè & prosperè deueniet, si pater filiusque prolem sint suscepturi vtroque parente dignam, quæ fidelem & vtilem, dum ætas feret, operam Regi patriæq; sit impensura. Et quidem è tam viuo stipite pulcherrimi sensim assurgēt surculi, è quibus lectissimi flores & è floribus suauissimi sua tempestate ac vtilissimi fructus vberrimè proferentur.

ELOGIVM
ILLVSTRISSIMÆ
GENTIS BELLEVREÆ.

NIl præſentiùs domeſtico viuoquè exemplo trahit animos omnium, nihil vehementius agit & impellit, nihil acriores ad veræ laudis cupidinem & egregia quæque facinora & munia obeunda, ſtimulos benè præſertim natis admouere ſolet. Quod potiſſimum obtinuit in antiqua & illuſtri gente BELLEVRÆA quæ tot proceres viros extulit varijs, iiſque præclaris muneribus inſignes, in quibus defungendis tantam laudem conſecuti ſunt tantamq; famæ & virtutis opinionem animis hominum injecere, vt veritas, inuidiæ ad extremum ſemper domitrix, æquè ab omnibus extorſerit, nullum eſſe munus, officiumue, dignitatem nullam quæ non familiæ tantæ meritis eſſet aliquantò inferior. Ac ſanè inter eos nobis occurrit Bartholomeus, Lugdunenſis vir haud dubiè rerum agendarum peritiſſimus & de literis optimè meritus, qui præcipuus, dum vixit, ex Conſiliarijs Cardinalis Borbonij Lugdunenſis Archiepiſcopi Petrique Borbonij Ducis illius fratris & Ludouici XI. generi extitit, vt tandem Cardinalis ille Bartholomæo rerum ſuarum curam omnem crediderit, ſummamque commiſerit, qui cum nullis itinerum difficultatibus auocatus Romam illius negotia magni ponderis pro ſolerti quo pollebat ingenij vigore pertractans adijſſet, Carolo galerum Cardinalitium & Apoſtolicam legationem nuntius gratiſſimus attulit. Filium habuit CLAVDIVM

Belleuræum apud Nouarenses Insubriæ populos à Rege Carolo VIII. iuridicundo Præfectum, huicque muneri obeundo grauissimo quidem, si tempora illa & gentes propius inspicias, non sine causa, ob iudicij acumen & prudentiam, magna cum auctoritate præpositum. CLAVDIVS alter eius filius sub Regibus Francisco I. & Henrico II. Senatus Gratiauopolitani Princeps munus illud amplissimum cum ingentis doctrinæ & integritatis non vulgari laude exercuit. Interea plenus annis & honoribus atque longius prouectæ Senectutis incommodo planè grauis, filijsque ad varia honorum culmina suo ductu & auspicio euectis, à ciuilibus negotijs & Reipub. cura se subduxit, natale solum repetijt, vt illic tranquilliore sub otio vitam degeret. Duxerat vxorem Ludouicam Faiam sororem & amitam Bartholomei & Iacobi Faiorum magni nominis in Curia Parisiensi Præsidum, filiamque Petri Faij Spessæi & Catharinæ Patarinæ, Laurentij Patarini sub Ludouico XI. Senatus Mediolanensis Præsidis amplissimi, cuius filius postea Senatus Diuionensis Princeps est creatus, natamque habuit Dionysiam Nicolao Bellofremontio Seneceio Baroni ex illustri Bello-fremontiorum familia matrimonio collocatam. Cæterùm è connubio Claudij Belleuræi & Lodoicæ Faiæ procreati sunt duo filij, qui celebre Epitaphium parentis optimi monumento Lugduni in D. Petri vbi sepultus est, apposuere, quod quidem verbis disertis testatur vnam eius innocentiam, maleuolorũ inuidiam prouacasse at certè demum superasse. Vixit annos septaginta vnum & è viuis excessit reparatæ salutis anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, quo nostris luctuosum ad Quintini fanum prælium commissum est. IOANNES Belleuræus Altifortius maior natu filius excellenti vir ingenio & solertia etiam ipso adolescentiæ limine varia munera grauissimè sustinuit, primúmque Senator, deinde Princeps Senatus Gratianopolitani in locum defuncti à Rege vocatus fuit, vtque auitæ virtutis sic paterni muneris hæres dignissimus extitit. Et quoniam varijs animi dotibus erat cumulatus continuò apud Heluetios Legatus ab Henrico II. missus fuit, quo in munere tanta Regi patriæque officia præstitit, vt iterum ad eos Legatus missus, fœdera cum ijs contracta re-

nouauerit; Quæ maximi momenti Legatio sæpè sæpius aditum ad maiora munera magnis viris præbuit; Denique tantæ erat apud Regem existimationis, vt eum ipsum cui Sigilli custodiam libentius concederet, multoties nominarit. POMPONIVS autem Belleuræus minor natu filius qualis & quantus vir: vt nempe varij & amœni flores nunc odoratum nunc aspectum iucundè afficiunt, sic tot egregij viri dotes nunc in admirationem traducunt, nunc ad exemplum commouent, siue prudentiam & rerum agendarum vsum, siue doctrinam ingenium, atque iudicium spectemus: Parentem lustralem habuit Pomponium Triuultium ex illustri Triuultiorum familia Mediolanensi procreatum, tunc Lugdunensem Proregem. Annum vigesimum secundum nondum egressus primum Senator in Curia suprema Camberinensi, quæ tum sub ditione Henrici II. Regis versabatur, electus fuit. Sed Sabaudia Duci Emanueli Philiberto restituta, Galliam repetijt Belleuræus, conuictuque & familiaritate plurimorum regni procerum præcipueque Michaëlis Hospitalij Galliarum Cancellarij & Ioânnis Moriuillerij Aurelianensis Episcopi ac sacri Sigilli custodis geminorum sæculi ornamentorum feliciter vsus est, eorumque exemplo & æmulatione incensus multa preclara gessit. Initio tumultuum, quibus Gallia longùm ob religionem labefactata est, missus ipse Lugdunum, vt præfecturam illius vrbis obiret, neque modo ibi ius diceret, sed & vrbi prouinciæque toti prouideret, & illis Imperij limitibus prospiceret. Si quidem Carolus Rex prudenter iudicauit, eum plus in patria quàm alium quemquam authoritate pollere; sed & singulari eius ope & industria factum est, vt vrbs illa quieta remanserit, neque turbas vllas dederit: Deindè apud Rhoetos eiusdem Regis Legatus mox apud Heluetios missus, vbi per septenniū tanta fide tantaque dexteritate versatus est, vt nationem illam bellicosam nomini Gallico, Regisque imperio totam addixerit, explosis cæteris exterorum Principum fœderibus vt ab eo tempore nulla inter Heluetios & exteros Principes in perniciem nostram intercesserit affinitas. Quinimò fuit auctor Pomponius, vt copias ingentes Heluetij contraherent, & suppetias Principi nostro mitterent; quibus in Prælio Druidensi feliciter vsus est;

Atque adeo gnaui hominis tempestiuam operam Gallia opportunissimè sensit. Denique in ea celebri legatione primum locum & sedem præcipuam sibi Regis nomine debitam aduersus Hispanos impotenti superbia elatos generosissimè tutatus est, vnde immortalem gloriam iure merito consecutus. Redux in Galliam sacri Consistorij Assessor designatus est. Cæterùm illi ipsi Heluetij statuentes in gratiam eorum qui neotericam opinionem in Gallia sectantur, auxiliares copias conscribere ne grauior inde pernicies huic regno suboriretur, delectus fuit multos inter alios proceres Belleuræus, qui ad eam gentem mitteretur & eam prudentis ac solertis animi consilijs tempestatem ingruentem auerteret. Itaque in comitijs Badensibus graui oratione iustas & legitimas causas, quibus Rex impulsus fuerat, vt rebus suis prospiceret, feliciter exposuit, & populi illius animos ita composuit, vt in data semel fide & fœdere permanserint. Postmodum Henricus Dux Andegauus adnitente Carolo IX. Rege fratre, ad Sarmatiæ regale solium euectus fuit, eique legatus assiduus & comes adiunctus fuit Belleuræus, cuius amica & propitia consilia Regi in exteris prouincijs degenti auersos externarum gentium animos conciliauère. Eodem autem Carolo è viuis sublato, Principi successori ad suos redire tentanti consilium salutare exhibuit. Itaque cum Regis morte Legationis mandatum exspirasset, Belleuræus venia à Senatu Sarmatico petita, se in viam dedit, necessariaque itineri & reditui prudenter & sagacissimè Henrico nouo Regi parauit, missusque primùm ad Maximilianum Imperatorem ab eo liberam per Germaniam itineris facultatem & securitatem obtinuit, licet indignatione aliqua commoueri potuisset Imperator, quod genti Austriacæ Regius Gallorum sanguis in adipiscenda ea Corona esset prælatus. Post reditum summa Regiæ gazæ Præfectura Belleuræo commissa est, quam ipse puris & castis manibus tractauit. Cæterùm Protestantes Legatis ad Regem missis, de pace agunt; Conciliũ Henricus cogit illustrium aliquot virorum è quorum numero fuit Belleuræus, qui pace eius consilio constituta missus fuit cum ingenti pecuniæ sũma & magni preti gemmis, quiq; Io. Cazimiri Palatini Comitis cum auxiliari exercitu in gratiam Protestantium Galliam in-

greſſi diſceſſum vrgeret, quod & feliciter ab eo confectū eſt, tandemque cum Cazimiro in Germaniam profectus, vt fidem regiam exolueret, gemmas inter manus Friderici Septemuiri Palatini conſignauit. Nec multò poſt è Germania reditum Belleuræus incredibilem iacturam fecit Io. Moruillerij viri amiciſſimi fato, cui morienti & animam exhalanti non ſolum vltimum præſtitit officium, ſed & operoſum & ac magnificum in Templo Franciſcanorum Blæſis, cum Elogio honorifico poni curauit. Hoc pietatis officium ſuo carere præmio non paſſus eſt Deus; ſi quidem Belleuræum, qui tantum virum ſacri Sigilli cuſtodem tam religioſè coluerat, ad ipſius Sigilli cuſtodiam, dignitatem omnium maximam euexit, & meritis digna rependere conſtituit. Nec defuit tam egregiæ virtuti ſuus honos: Belleuræus enim amico vſus principe, Præſes Pariſienſis renuntiatus eſt, quo munere ſe abdicauit, vt Regi perpetuò adſideret, eiuſque nunquam temporibus deeſſet. Inde ad colloquia Flexenſe & Nereacenſe à Rege Legatus Pomponius hic noſter vim iudicij & animi ſolertiam feliciſſimè exhibuit, & indefeſſum in Regem regnique Coronam ſtudium. Quietis etenim impatiens fuit, & ne contraheret veternum inclinante natura, perpetuis laboribus & innumeris actionibus otium fallebat, planè quemadmodum altiora & pulchriora cœli ſidera ampliore gyro cientur ac frequentiore motu circunferuntur. Ea verò tempeſtate Henricus Magnus tum Rex Nauarræ in Pomponio manifeſta iudicij & virtutis agnouit ſpecimina, eumque affectu verè pio & ſyncero proſequi cœpit. Paucis ante diebus Henricus III. eum in Bataniam miſerat, ibique longa & graui oratione ad pacem Ordines Hollandiæ hortatus erat, de qua quidem ſermones vltro citroque habiti ſunt interuentu Cæſaris, Regis noſtri, & Anglorum Reginæ, iuſſuque Henrici Belleuræus conuentui ſuper hac indicto interfuit. Cæterùm detecta Salcedæ tunc in Belgio degentis in Regem & regnum coniuratione, miſſus eſt Belleuræus qui reum audiret, & in Galliam adduceret, nec fideliorem alium exiſtimauit Henricus cui rem tanti momenti conſignaret. Porrò animis Batauorum & Ordinum Hollandiæ ob tumultum Antuerpienſem exaſperatis, Belleuræus ad eos delegatus eſt, qui cum Principe Arauſienſi colloquium

iniuit, vt animos ferocientes mulceret & leniret. Francisco Regis fratre è viuis sublato, casu tante Gallia perculsa, ad eius salutaria consilia recurrit, qui summa cum diligentia copias Heluetiorum auxiliares Galliæ & Regi, non sine felici euentu, curauit. Interea motibus Henoticis vndiq; excitatis, maleuoli nonnulli Cheuernium Cancellarium, Villaregium, & plures alios etiam Regi & patriæ addictos in suspicacis alioqui Regis odium vocauêre, qui supremo iussu obstricti domi se continuère. Interim Belleuræus cum animi summa tranquillitate, inter tot miseros tumultus vitam felicem & ab omni suspicione liberam, etiam inter studia literarum exegit; tandemque cœlum Galliæ gemitibus ac desiderijs annuit, de pace agitur, Belleuræus à Rege aduocatur, qui rei necessariæ & negotio magni momenti studium viriliter conferret. Apud Surenas vicum Lutetiæ proximum multi hinc inde conueniunt, ac demum induciæ summo omnium applausu conceduntur: Gallia ab exitio, cui iam destinata videbatur, aliquantulùm respirat: inducijs exactis, in vrbem Carnutensem Rex, vt inaugurararetur, profectus est, Regem Belleuræus comitatur, ibique serio disceptatum de Lutetiæ vrbis deditione, cui operam egregiam impendit, iussu Regis, Belleuræus, vt ea breui sit subsecuta: & quemadmodum oriente sole vana repentè noctis somnia protinus auolant, & lucidior ille nitidum caput infero huic Orbi refert, qui nubilo cœlo aliquandiù latuit absconditus: vtque veris amœnior facies hyeme pulsa, & brumali tempestate clausa nauigantibus maria post ventorum & fluctuum insana murmura sulcantur iucundiùs: sic Vrbe dedita & restituta pace, calamitates & infortunia omnia protinus euanuerunt, multòque subijt acceptior quam fuisset vsquam ætas & Gallicæ rei status. His peractis, Lugdunensem magni momenti præfecturam egit. Paucisque post diebus Alexander Medicæus Cardinalis Florentinus, postea Leo XI. Pontifex Maximus à Clemente VIII. Legatus à latere in Galliam missus est, vt tumultus Henoticos consopiret & pacis futuræ inter Henricum Magnum Galliarum & Philippum Hispaniarum Regem, quæ postea in agro Veruinensi composita fuit, fundamenta poneret. Cui quidem fœderi feriundo interfuere iussu Regis Belleuræus &

Sillerius viri authoritate & rerum vsu præstantes. Atque in hac expeditione Belleuræus animi magnitudinem ostendit & tantarum virtutum specimina incredibilia exhibuit, eo successu, vt res fœlicem exitum sortita fuerit, & Hispanus arces atque oppida, quæ dolo & insidijs calamitosis Reipublicæ temporibus ditioni suæ adiecerat, restituerit. Cæterùm statutum est, vt vtrinque super icto fœdere sacramento diceretur, Proceres & spectati viri lecti sunt atque in Belgium missi Bironius Dux & Patritius Franciæ, Belleuræus & Sillerius, honorificentissimè ibi excepti. Paucis post diebus Philippo Huralto Cheuernio fatis functo, Belleuræus ad sublime illud honoris fastigium euectus est, summo & prorsus incedibili omnium Ordinum applausu, qui tantam de eius virtute singulari expectationem sibi fecere, vt omnia fausta in posterum animorum spe conceperint, nec temerè; nam in illustri eâ functione totoque illius cursu ita se gessit, vt nil nisi iustum & æquum sub seuero & iusto legum vindice transactum fuerit. Atque interim dum ad clauum Gallicanæ rei sedet Belleuræus, Conuentus Fonsbellensis inter Dauidium Perronem tunc Ebroicensem Episcopum, postea S. R. E. Cardinalem illustrissimum & Plessium Mornæum Rege præsente, indictus est, & statim habitus, multaque maximi momenti negotia peracta sunt. Interea incurrentibus annis cum non posset Regem vbique sequi per Orbem Gallicum præ valetudine & ætate iam nimis ingrauescente, poposcit administrum, qui in partem curæ tam latè sese diffundentis veniret, tantoque oneri humeros supponere commodè posset. Occurrit Sillerius, cui sacri Sigilli custodia mandaretur. Interea Belleuræus Sanctioris & cæterorum Consiliorum particeps remansit, quoad vixit, multaque ac præclara Iustitiæ stabilimenta substruxit & promulgauit, rarasque admirabilis Iustitiæ dotes edidit, donec vitam cum morte commutauit Lutetiæ mense Septembri anno M. DC. VII. in sacello D. Germani Altissiodorensis conditus. Memoriam illius celebrauêre multi rari & excellentis ingenij, facundiæ ac eruditionis viri, atque inter illos P. Fenolietus Episcopus Massiliensis ornatissima funebri oratione: Scæuola Sammarthanus parens meus in Elogijs Virorum Illustrium: Papirius Masso & complures alij. Fuit ille

præcellentis acumine iudicijs & solertia pene incredibili præstans. Accedebat eximia quædam oris & staturæ dignitas, quæ generosam illius originem abundè testaretur; accedebat quoque sermonis comitas, quæ animos omnium alliciebat. Dum vixit Rhœtiam, Heluetiam, Germaniam, Bataviam, Poloniam, Angliam, Italiam, ferèque totum Orbem Christianum varijs Legationibus illustris peragrauit, vnde iudicium, experientiam atque ingenium sibi finxit omni ex parte admirandum. Mariam Pruneam nobili ortu fœminam cum Artusio Prunæo Gratianopolitani Senatus Principe consanguinitate coniunctam habuit vxorem, è qua numerosam & illustrem sobolem suscepit, ALBERTVS & CLAVDIVS illius filij, fatali quodam ordine successionis Archiepiscopi Lugdunenses salutati & inaugurati fuere; NICOLAVS autem filiorum tertius primùm Senatoriâ dignitate, deinde Catholica procuratione insignis, nunc Senatûs Parisiensis Præses amplissimus refulget, omni virtutis, ingenii atque doctrinæ laudibus cumulatissimus, & in quem largiter Superi bona omnia feliciori indulgentia contulerunt. Hic est ille Belleuræus, qui patris exempla secutus, omnia, quo est perspicacissimo iudicio prudenter cogitat & consideratè peragit quique in iudicando gratia non ducitur, odio non mouetur, potentia non infringitur, prece denique vel precio non flectitur. Duxit vxorem Claudiam Brulartiam summa pietate & vitæ sanctimonia præditam & Sillerij illius illustrissimi Galliarum Cancellarij filiam, è qua felicitatis ingens illi cumulus accessit, dum numerosam quoque & illustrem sobolis prouentum patriæ temporibus atque vsibus edidit; tantique viri, filij licet vix primo ætatis flore pubescentes, tamen literis apprimè tincti & paternæ virtutis iam æmuli magnam de se expectationem animis hominum vbique inijciunt. Quippe cum nil magis excitet viuida vegetaque ingenia, quàm ab antiqua & illustri gente certam originem duxisse, cum paternæ & auitæ virtutes benè natam iuuentutem vehementiori quadam incitatione inflammare consueuerint.

ILLVSTRISSIMÆ
ALBASPINEAE GENTIS
ELOGIVM.

QVID ad regni ſplendorem magnificentius, aut ad Regis gloriam ſpecioſius, aut ad rei bellicæ & bonarum artium ſtudia promouenda beatius eſſe poteſt, quàm viros nobili genere & ſanguinis vetuſtate illuſtres, animóque excelſo præditos varijs honorum præmijs decorari, quibus omnibus inſita virtus ſolet excitari, exerceri & illuſtrari? Hinc celeberrimum CAROLI ALBASPINÆI Marchionis Caſtronouij, Sacri Sigilli Cuſtodis illuſtriſſimi meritis & virtuti preconium, tantæque familiæ & dignitati teſtimonium contulerunt & impartiti ſunt HENRICVS MAGNVS & LVDOVICVS IVSTVS miri & ſagaciſſimi ingeniorum æſtimatores. Originem traxere Albaſpinæi proceres ab antiquâ & ſplendidâ apud Burgundiones familiâ, è quâ inſignes viri plurimi prodiere, ſed in Galliâ florentiſſima præſtantium ingeniorum altrice, præſertim in Regum aulis feliciores & celebriores euaſere: Nempè Galliæ quanta dignitas, quæ temperies Cœli, quæ ſoli fœcunditas, quæ frugum copia, quæ populi humanitas, quæ nobilium comitas, qui ſplendor armorum, quæ rei bellicæ virtus, quæ ſedes Regiæ majeſtatis & gloria, & quæ Ordinis Eccleſiaſtici authoritas & amplitudo? Vtque è natura loci ſalubris floriferi & fœcundi, aëriſque puri & tenuis vim ingeniorum vberiorem & incolas acutiores & ſolertiores fieri conſpicimus; ſic illuſtri ſemine gentis editi & in regione amœnâ educti, atque ſummâ cum diligentia

exculti, politiores & cæteris præstantiores semper extitêre. Non mirùm ergò si in gente tam speciosis orta natalibus, summa ingenij indoles & auitum decus semper emicuit; & præcipuè in Ægidio Albaspinæo nobili & generoso Equite, cuius virtuti sua præmia non defuerunt. Nam Carnutensis Præfecturâ, regiâque Præturâ decoratus Mariam Fitigniam Ioannis Fitignij Carnutensis Episcopi, Petri Cardinalis nepotis, sororem duxit in vxorem. Quo ex matrimonio sustulit Ægidium Equitem veteris amplitudinis splendore collucentem, qui Magdalenam Henrici Blossetij Plancæuillæ Domini, Regij Oeconomi filiam in vxorem sibi adiunxit, Claudiúmque Albaspinæum filium habuit magnæ authoritatis & ingentis animi virum, qui ducta vxore nobilissima Margarita Berrueria quatuor edidit filios variis muneribus & honoribus insignes. Natu maior fuit Claudius, id nominis secundus, Castronoui Baro in agro Bituricensi sub Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. Regibus à sacris mandatis & iussis, vir notæ in Regem fidei, patriæ virtutis & rerum agendarum laude celebris, qui cum illustrissimis viris Carolo Cardinali Lotaringo, Anna Monmorantio Equitum Magistro & aliis proceribus à Rege delegatis de pace inter Henricum II. & Philippum II. Reges potentissimos sanciendâ ad Cameracense Castrum missus, multa non vulgaris prudentiæ & perspicacis ingenij specimina exhibuit. Vxorem duxit Ægidius Ioannam Bochetellam illustri quoque loco progenitam, ex quâ tres filios edidit paterno & materno genere insignes. Sebastianus Claudij frater Episcopus Lemouicensis sub iisdem Regibus floruit, & maximi momenti legationibus perfunctus est, eâ præcipuè quâ, imperante Carolo IX. cum Heluetiis fœdus antiquum magno rei Gallicæ bono renouatum fuit, gloriam peperit immortalẽ. Franciscus eorũ frater in magno Regis Cõsilio Præses eruditionis & probitatis laude præcellens filiam vnicam procreauit Claudiam Emerici Barbezerij Equitis strenui Ciuraïj in Pictonibus Comitis vxorem. Quartus

fuit Ægidius caducarum Partium, vt vocant, Quæstor, quo in munere forte ſua contentus felicem vitam exegit ſumma integritate & animi candore. Magdalena denique Claudij filia Grãrij toparcham in agro Bononienſi, poſteáque Truſſium magnum Galliæ Leſtodioctam ſibi maritum adiunxit. Ex Ægidio verò & Bochetella duo extitere filij, quorum primus fuit Gulielmus Caſtronouij Marchio, ſacri Conſiſtorij Conſiliarius, Regiorúmque Ordinum Equeſtrium & Reginæ Aloiſiæ Henrici III. vxoris Cancellarius, qui Legatus in Britanniam miſſus omnia ex voto Regis & ad religionis Catholicæ gloriam immortali cum laude feliciter adimpleuit; poſteáque rebus maximi ponderis & momenti iuſſu Regum operam impendit, tandémque longæuus felicem, & de Gallia Regibuſque benemeritam animam exhalauit. Claudius Gulielmi frater vir ſingulari virtute conſpicuus, à ſacris quoque fuit Regis mandatis; iuſſis & epiſtolis; Iuuenis admodum æui primo flore perijt, cui ſi vitæ curſus longior contigiſſet, vix vllum in hoc graui munere aut certè paucos tota Gallia pares fuiſſet habitura. Magdalena verò eorum ſoror matrimonio iuncta fuit cum Nicolao Neouillo Villaregio à ſacris itidem mandatis & epiſtolis, quanto viro! illuſtri quoque genere procreato, rerum agendarum peritia, ſolidioris fortunæ & dignitatis prouentu felici, miróque ingenij & iudicij ſolertis acumine præſtanti, quique multos per annos ſacrorum Regis conſiliorum conſcius & particeps omnia ferè totius regni negotia domi foríſque ſumma prudentia & dexteritate confecit; animo præſtanti, viuidóque ſemper ingenio & ſenſibus integris obijt Rotomagi, dum poſteriora regni Comitia à Rege LVDOVICO IVSTO haberentur. Gulielmus autem Albaſpinæus Caſtream Claudij Caſtrei viri maximi nominis & Equitum Tribuni fortiſſimi ſororem habuit vxorem, è quà varios ſuſcepit liberos ſplendido genere & inſita virtute nobiles. Quorum natu maior è viuis primæuo ætatis flore exceſſit, relicta ſuperſtite filia vnica è Gaſpara Miola-

nia Marchionis Sancalmontij filia. Gabriel autem secundus Gulielmi filius Episcopus Aurelianensis & Ordinis S. Spiritus Præceptor. Commendatorem vulgò vocant, vir fuit totius antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus; quique non solùm assiduâ celestium rerum contemplatione, sed egregiis & variis sacrarum literarum monumentis editis æternam sibi famæ commendationem comparauit. Carolus vero filiorum Gulielmi tertius, Castronoui Marchio ingenti virtutis, doctrinæ & probitatis famâ ad varios dignitatum gradus euectus fuit. Post Senatoriam purpuram & sacri Consistorij dignitatem, in quibus rerum gestarum pondere & magnitudine nobilis enituit, illum Germania cum illustriss. Carolo Duce Engolismensi & Philippo Bethunæo Charotij Comite Legatum excepit diffidia inter Ferdinandum II. Imperatorem & Germaniæ Principes componentem. Illum etiam magna Britannia suscepit Legatum extraordinarium ad pacem inter inuictissimum Regem Lvdovicvm Ivstvm & Carolum potentissimum Magnæ Britanniæ Regem ictam penitus confirmandam. In crebris aliis antea Legationibus apud Christianos principes & Respublicas Rex eius opera & fideli consilio vsus fuerat. Siquidem suspexit illum olim Batauia Legatum Petro Ianino Præsidi viro omni doctrinæ virtutis & rerum agendarum laude peritissimo comitem ascitum & fœdus cum Ordinibus Hollandiæ summa dexteritate renouantem. Præterea Legationes alias expleuerat apud Belgas, Heluetios & Rhætos summâ fide & prudentia Belleuræi & Sillerij illustrissimorum regni Cancellariorum & ipsius Præsidis Ianini iudicio felicissimè confectas. Tandemque post tot Legationum officia summa virtute exhibita illustris, ad sacri Sigilli Custodiam Togæ dignitatum apicem secundissimo cursu peruenit summo omnium Ordinum applausu ac Regis ipsius elogio. Et certò tanto viro profuit itidem vsus familiaris & consuetudo quæ illi per aliquot annos fuit cum illustrissimo & generosissimo Cardinale Richelio Heroe incompara-

bili & ad regis regnique gloriam, quibus potissimum incumbit, supremi Numinis prouidentiâ concesso, cuique supra raras & excellentes animi dotes queis refulget præcipua semper fuit & vnica Regiæ majestatis cura & sollicitudo. Scilicet ex illius congressu & frequenti consortio licuit illi arcanorum Imperij pro sua singulari solertia esse quodammodo participem, atque rerum agendarum peritiam luculento cum fructu depromere & eorum quæ ad singularem & præcipuum rei Gallicæ, imò totius Orbis, statum pertinent, notitiam consequi. Siquidem tanta suauitas & tanta vis est consuetudinis, vt in eam nos penitus immergamus & nobis viam & aditum ad vnius cuiusque beneuolentiam aperiamus. Non mirum ergo si Carolus finxerit animum sibi in Republica & in maximis rebus gerendis & sustinendis aptissimè exercitatum ac numeris omnibus absolutissimum. Franciscus vltimis Gulielmi filius Altæriuæ dominus, multa generosi animi: & præclaræ fortitudinis domi, forisque documenta præstitit. Vxorem duxit Leonoram Voluiriam Ruffecam Henrici Marchionis Rufeci & Aimericæ Rupicuartiæ filiam decore formæ ac virtute præcellentem & admodum illustri genere prognatam, antiquissimæ, ditissimæque domûs illius hæredem. Magdalena verò eorum soror cum Ioanne Oliuario Leuuillæo nobili & splendida stirpe genito, magni Oliuarij Galliarum Cancellarij nepote nuptias contraxit: postea que Isabella soror altera Andream Cochefiletium Vaucelaij dominum ad Philippum IV. Hispaniæ Regem Legatum sibi in matrimonium copulauit. Præterea ex Ægidio caducarum partium Quæstore liberi plures extitere. quorum primus erat Claudius Verderunæ dominus in suprema Rationum Curia Præses meritissimus. ; Deinde Franciscus à sacris mandatis & iussis Aloisiæ Reginæ, quo in munere felix & laudis ac gloriæ plenus acquieuit. Ioannes filiorum tertius Episcopatu Lemouicensi primùm, post Sebastianum patruum, dein Aurelianensi cohonestatus est, quibus summo cum totius Ordinis Ecclesiastici ornamento præfuit,

& quod ipsi honorificentissimum fuit, sacræ HENRICI MAGNI inunctioni Carnuti vices agens Nouiodunensis Episcopi vnius è Patritijs Franciæ Ecclesiasticis interfuit, operamque impendit. Quod verò ad filias attinet, Nicolea Nicolai Verduni antea Senatus Principis mater & Verduni Regiæ Gazæ Præfecti fuit vxor dignissima, vt & Maria Vicecomitis Cublizij, earumque postrema Magdalena Renatum Vallam in Rotomagẽsi Regiarum rationum Curia primarium Præsidem maritum habuit. Denique Claudius ille Verderunæ dominus è Catharinâ Potiâ Rhodiorum in Pictonibus Toparchæ nobilissimi filia tres natos extulit, Carolum videlicet prius Senatorem, deinde Libellorum supplicũm in Regiâ Magistrum & sacri Consistorij Assessorem, non minus virtutis & eruditionis quàm ipso Togæ splendore conspicuum; qui N. Lebretiam Cardini Lebretij amplissimi viri, Sacri Consistorij Comitis, eximiâ virtute, rerumque agẽdarum peritiâ clarissimi filiàm matrimonio sibi iunxit; Claudius Albaspinæus Noiratij Baro Claudij filius alter fuit. Inter eiusdem filias Magdalena Baltazari Gobelino in suprema Rationum regiarum Parisiensi Curia Præsidi & illius hodie muneris eximij partes nobilissimè ac prudentissimè complenti, & Ludouica Iano Monberono Comiti Fontis Chalendrei, Equiti splendissimo & illustrissimo genere procreato conjugali fœdere sociatæ sunt. Sed hæc hactenus: nempe si tantæ familiæ singula decora & capita recensere & perstringere vellem, potius historiam quàm elogium contexerem & exararem. Tu verò, qui nostro Elogio initium præbuisti, sacri Sigilli Custos illustrissime, bonâ tuâ veniâ finem illi quoque constitues, dum tibi iure merito pulchrum & non fine mysterio Albaspinæi nobile nomen fuerit inditum. Scilicet vt alba spina inter arbores odoriferas prima florem emittit, sic inter præcipuos Themidis proceres primus & præcipuus Iustitiæ tenore inconcusso viges & emicas. Vtque florum gratissimam ostentat albedinem, tuum quoque vitæ candorem omnibus in tuæ vitæ momentis & actionibus incre-

dibilem oſtendis. Atque vt mira ſpecie venuſtatis tuentium oculos flos illius abundè recreat; tu quoquè ore liberali conſpicuus mentes noſtras mirâ vultûs dignitate reficis & confirmas. Et vt quibuſdam veluti ſtellulis ſplendet & emicat, ſic varijs ingenij corporiſque dotibus veluti luminibus ad miraculum refulges. Vtque fulminis ictum tuta reſpuit alba ſpina, ſic tu ſortis impetum in quemcunque caſum paratus impauidè negligis & repellis. Ac vt à ſerpente percuſſis remedio ſalutari auxiliatur; tu quoque oppreſſis & afflictis ſalutiferam legum opem impertiris. Vt denique rigeſcit ſpinis & flores tamen gignit & educit gratiſſimos, aculeum incredibili odoris ſuauitate moderantes: Sic etiam vultum inter ſeueritatem & lætitiam & animum inter iuſtitiam & æquitatem egregiè temperatum ſingulari beneficio præfers, vtinamque diu præferas.

NOBILISS. ARNALDÆ GENTIS ELOGIVM.

SI quis vnquam summi & perfecti numeros omnes Oratoris expleuit expressítque, ingentes animo spiritus & raram præ se ferens in dicendo dignitatem, id Antonio Arnaldo viro clarissimo naturæ benignioris munere & industriæ non vulgaris laboriosa sedulitate contigit. Hic expedita, graui & perpolita oratione sic in humanas aures influebat, vt mira prorsus & ineluctabili quadam aggressione mentes occuparet; quódque præcipuæ commendationis est, non inuitas sed vltrò sese dedentes grati legibus imperij subijceret. Nam ad causam vbique sibi aditus præmuniebat illustres, non minùs ingenio quàm eloquentia, iudicio, & doctrinæ gloria præstans. Patrem habuit cognominem virum fortissimum prudentissimúmque, & numerosa liberorum sobole domi forísque præcellenti fortunatissimum. Is in Aruernia ortum habuit ex nobili & antiqua stirpe; ibíque Regij Cognitoris munus cum singularis diligētiæ & æquitatis laude obijt. Dum tamen res postulabat, diuersimodè sagi togæque munia, iudicis & militis officia temperamento feliciexequebatur. At veró exactis bellis ciuilibus, tandē Lutetiæ tranquillioris vitæ studio consedit, atque in suprema Rationum Curia magistratum gessit; fuitque Catharinæ Augustæ Procurator Generalis. Patri successit in eo munere Antonius hic noster, adductúsque exemplo Simonis Marioni primùm quidem celeberrimi ac disertissimi Patroni, deinde Præsidis in Curia amplissimi, posteáq; Regij Aduocati dignissimi, cuius Catharinam filiam vnicam, Simonis Marioni Druidum domini sacri Consistorij Assessoris, & in magno Regis consilio Præsidis demùmque Regiæ gazæ supremi Adnotatoris & Antigraphej so-

rorem sibi fidissimam & castissimam vxorem adiunxerat, cœpit rem forensem summa cum laude & splendore tractare, & grauissimas in supremo Senatu ac nunquam interituras actiones ingenti vtique procerum populíque concursu & applausu feliciter agere. Eo votorum successu, vt pro ratione materiæ, vel torrentis instar, cui ab alto montium vertice ruenti nil obsistere potest, vehementi & concitata oratione cuncta obrueret, vel instar amæni fluuij leniter & sine murmure decurrentis blanda & suauis flueret æquabiliter illius oratio. Quod patuit in actionibus habitis pro illustriss. Principe Anna Estensi Ducissa Nemorosia aduersus Cæsarem Estensem Modenæ Ducem; & pro H. Momorantio summo Equitum Magistro aduersus Illustriss. Carolum Gonzagam Cliuensem Niuernorum Ducem, itidemq; pro H. Lotareno Illustriss. Duce Guisio contra H. Borbonium generosissimum Principem Condæum aliísque magni momenti negotiis compluribus. Denique dum Principes ac regni primores in Curia sacramento solemni dixerunt, actum id fuit sæpe sæpiùs Arnaldo perorante. Ita vnusquisq; tanti viri eximiam dicendi facultatem & vberrimam eloquentiæ copiam vehementer ambibat. Sed æternùm erit memoranda illa & solemnis actio coram Rege Christianissi. Henrico Magno & serenissi. Principe C. Emanuele Sabaudiæ Duce miro cum apparatu hominúmque freqnentia ab ipso Arnaldo & ab Anna Roberto patrono quoque dignissimo & eloquentissimo agitata. Hos expetebat impotentissimè Dux ille perorantes audire, & præclaram forensis palestrę dignitatem, admirabilémq; amplissimi Ordinis grauitaetm ac splendorem intueri; & merito quidem iure: nihil enim meo iudicio cùm Regia nostri Principis augusta, tum sacrosancto hoc Senatu Sol vnquam vidit pulchrius aut illustrius. His igitur titulis florentissimus Arnaldus Regis in Senatu Patroni grauissimam dignitatem, qua socer fungebatur, vltrò sibi oblatam nequaquam assumere voluit, sed post quæsitum sibi dicendo & perorando laudis immortale decus breui tempore, licèt in ipso adhuc florentis ætatis vere, oraculi loco haberi cœpit, adeò fœlici euentu, vt vnus omnia ferè totius Regni Principum & procerum negotia dirigeret. Hinc ille sibi delatam in sacro Consistorio dignissimam sedem quamuis honorificam, recusauit.

Tam egregia & æquabili sorte contentus vitam agebat vir optimus, dum intempestiua mors nondum sexagesimum ætatis annum agentem humanis eum exemit sub finem anni M. DC. XIX. Nunquam tamen hominum memoriæ tantum virum ereptura, siue scripta illius nitenti verborum splendore, & eleganti iudicio referta, perpendamus: seu filios egregio parente dignos, in quibus Robertus Arnaldus Andilius natu maior dignus tanto patre filius sacri Consistorij Assessor meritissimus, & Regis vnici fratris excellentissimi Principis domui præfectus, regiam gazam diu summa integritate atque illibata fide tractauit, floretque adhuc hodie pietatis, scientiæ & humanitatis laude atque rerum agendarum peritia præstantissimus; altérque ab eo frater D. Nicolai Andegauensis Cœnobiarcha, qui post editas in Senatu summa etiam cum laude nonnullas actiones se totum Deo & Ecclesiæ consecrauit. Passibus æquis Antonium fratrem sequebatur Isaacus Arnaldus primùm quoque celebris, agendisque causis egregius patronus, cuius in blando vultu & exculto sermone fuit eximia suauitas conquisitis vndique oratoriis coloribus adornata; & eloquentiæ flosculorum varietate copiosè exuberans, Cúmque patrocinij abdicata dignitate vitam sibi tranquilliorem instituisset, tanti fama viri ad HENRICVM MAGNVM peruenit, qui videlicet eo cognito, vt erat prouidus Princeps & acutus hominum ac ingeniorum æstimator, Arnaldum inexpectato munere decorauit, eúmque in sacrum Consistorium allegit, & Regiæ gazæ tandem præfecit. Ille à puro auri metallo puriores & abstinentiores manus continuit. Hinc apud eundem Principem & LVDOVICVM IVSTVM potentissimum illius virtutum Heroicarum vt regni florentissimi successorem, non minùs auctoritate quàm gratia valuit. Extabant scilicet in eo eximiæ virtutes, modestia, rerum agendarum peritia, fides, & innocentia vna omnium tanto viro dignissimum ornamentum. Ceterùm eruditionis & eloquentiæ monumenta numeris omnibus absoluta posteris quoquè reliquit. Vixit ad L. annum & in ipso maturescentis ætatis robore morte repentina sublatus interijt anno à partu Virginis M. DC. XVII. prolémque reliquit paterno animo & ingenio felicem. Natu maior Carrabinorum in Gallia præfectus hodie

in obſidione Rupellana ſe ſumma cum nominis exiſtimatione gerit, quod & prius fecerat in obſidione Bergopſenſi, vt & frater illius qui poſt varia fortitudinis exhibita monimenta globulo plombeo traiectus ibi cecidit. Fratres quoque alios præſtantiſsimos habuere Arnaldi, quorum natu maior alter Antonius Arnaldus Mottæus Franciæ Quæſtor bellicæque virtutis laude conſpicuus, in memorabili Iſſorienſi pugna ſingulare fortitudinis ſpecimen exhibuit, & ad extremum pro Rege & patria multis confoſsis perduellibus ſtrenuè dimicans in Aruernia occubuit: Vt & Benjaminus, qui decore formæ & corporis dignitate præſtans in obſidione Iergolienſi præſentia Regis generoſo iuueni animos adijciente pila quoque plumbea transfixus occidit. Claudius itidem iuuenis altiore ſpiritu regióque non ſolùm quæſturæ munere, ſed vi quoque bellica & ſummo impauidi animi vigore præcellens, documenta virtutis inſignia reddidit, ſiue in Regiæ gazæ tractatione, ſiue in expeditione & deditione Monmeliana. Petrum denique eorum omnium fratrem natu minimum domi ac militiæ illuſtrem, & in Gallia velitarium illarum turmarum ſeu Carabinorum, vt vocant, Præfectum, in Cadomenſis arcis expugnatione decoro vulnere cohoneſtatum tota Regia conſpexit. Paulo poſt legionis Campanæ Præfecturam geſſit, in exercitu Regis cuius illuſtriſſ. & generoſiſſ. Comes Sueſſionenſis Imperator extitit, obſidione Rupellam premente, ſtrenui ducis & Equitis generoſi ſpecimina non pauca exhibuit, naues hoſtium etiam in luce media & in ipsò vrbis portu & conſpectu combuſſit. Poſtmodùm cuſtodiæ propugnaculi Rupellenſis inchoati præpoſitus, illud breui temporis momento impenſis præcipuè ſuis confecit, totumque ea in re patrimonium exhauſit, legeſque militaris diſciplinæ ſumma omnium àdmiratione reſtituit, tandemque ingenti omnium mœrere ſub exitum anni M. DC. XXIV. fatis conceſſit. Nec omittendum eſt digniſſimos viri tanti hæredes impenſas illas ſibi oblatas honorificentiſſimè recuſaſſe, variosque & innumeros verſus ab illuſtribus viris ad immortalem illius gloriam profluxiſſe.

ILLVSTRISS. GENTIS
BVTHILLERIÆ
ELOGIVM.

TOT tamque eximiæ virtutes nobilem hanc familiam exornant, vt difficilius sit in laudibus illius exitum quàm principium inuenire. Ac veluti qui aream horti amœnissimam laudare voluerit, non tã à floribus lucidis & fulgẽtibus, quàm à salutaribus plantis & herbis odoriferis illam cõmendare solet: sic illustrem hanc domum non tam à bonis externis quibus abundantissimè fulget & cumulatur, quàm à variis virtutum ornamẽtis quibus Reipub. prodest & illustratur, attollimus. Siquidem paterno & materno sanguine conspicua, magnísq; & insignibus titulis exornata, plures olim protulit viros excellentes, hodiéque multos suspicit, quos inter Dionysius Buthillerius natus patre Sebastiano Buthillerio Montium domino & auo Iohanne ex illustri Buthilleriorum Mauperthusiorum familia in Armoricis progenitus meritis ingentibus immortale decus olim retulit. Ille inter excellentes sæculi sui patronos pari virtutis atque fortunæ munere lectissimus in præclara Parisiensis fori palæstra primùm quidem inclaruit, sed eum auunculus Philibertus Bariotius magni Consilij Princeps in eum consessum attraxit, vbi mirabilis ingenij, viuidi iudicij & virilis eloquentiæ breui tempore plurima eaque ingentia specimina edidit, tam fœlici successu, vt cœtus illius celeberrimi præcipuum oraculum & ornamentum haberetur. Bariotio fatis functo in sinum amplexúmque Curiæ protinus euolauit, reducémque alacritate mira eum Ordo grauissimus excepit. Ille autem in antiquum Astrææ templum reuersus, omni domestica transmarináque Iuris Canonici scientia ornatum animum nec langori nec desidiæ dedit; sed ex antiquis subselliis magno cum omnium applausu, maiore cum fructu verba sæpissimè fecit. Ornata erat illius oratio liberalis,

& concinna, verbis varijs tanquam stellis quibusdam, diuersis sententijs tanquam luculentis opibus, innumeris figuris tanquam floribus purpureis, sonoris denique numeris veluti pretiosis lapillis splendida, locuples & illustris enitebat. Causas & facta eleganti venustate exprimebat, pro ratione rei, loci, temporis & personarum sermonem induebat, amplissimis victorijs inter orandum partis & quæsitis verè conspicuus & nobilis. Nemo inter patronos generosi animi dignitate fuit excellentior, nemo forma corporis spectabilior fuit, si quidem amabilis erat oris illius species & aperti vultus dignitas atque generosæ frontis honore viuido præfulgens. Fuit autem aliquatenus prominento naso, viuacibus & tamen ingenuis oculis, & roseo colore liberalis splendoris & eximiæ virtutis speciem præ se ferens. Duxerat vxorem Claudiam Machecoam ex nobilissima apud Armoricos Machecoorum familia prognatam. Nec omittendum est, eum suprema sacri Consistorij Assessoris dignitate à Rege præstantium virorum dignissimo æstimatore ob meritorum excellentiam cohonestatum fuisse. Ille etiam ab Augustissima Regina matre in præcipuum Consiliariorum numerum ascitus est, atque in multis magni momenti negotijs felicem & vtilem operam exibuit. Tandemque sub annum M.DC.XX. in viuis esse desijt, eo tranquiliore vitæ excessu quod filios reliquerit paternarum virtutum hæredes & certissimo florentissimæ posteritatis augurio placidissimè moriens indolis auitæ nepotem complexus fuerit. Quatuor præcipuè sustulit filios quorum Claudius prior natu floret hodie dignissimus tanto patre filius, cui vis ingenij viuidioris accerrima, & vegetioris animi spiritus semper adfuit. Patri par fuit illius mentis acumen, & idem cultus ingenij, idem mores, idem colloquium, eadem suauis & mellita dicendi copia. Senator olim in suprema regni Curia clarissimus & integerrimus extitit, tantáque erat illi in concipiendis quæ ab alijs Senatoribus dicebantur, ingenij soliditas, tanta in complectendis memoriæ tenacitas, tanta in discernendis & ad vsum reuocandis iudicij sublimitas, tanta denique in enarrandis litibus sermonis perspicuitas, vt singulari Numinis fauore datus huic sæculo videretur. Interea nulla vnquam ei pars ætatis à magnis memorabilibusque rebus va-

eruit, & ad cæteras suas laudes eam addit, quâ nulla quidem meo iudicio maior est, nulla dignior, vt communi omnium consensu Musarum & virorum liberalium artium scientia excultorum fautor præstantissimus nuncupetur ac prædicetur. Fuit & eiusdem Reginæ matris à secretis & Epistolis, posteáque sacri Consistorij Assessor, & hodie in locum Poterij Dauquerrij vnius è dignissimis Quatuor viris ab interioribus consilijs, iussis,& mandatis summo omnium applausu suffectus etiam absens multo cum honore fulget, vtinamq; diu fulgeat, omni virtutum genere abundè cumulatus, cuique maiora, licet ea perhonorifica, meritissimo iure benigna Cœli placidioris indulgentia pollicetur. Claudium filium edidit vnicum qui nondum vigesimum vnum annum egressus, ingenij, monimenta ac in omnem actionem mores longè lectissimos & præclaris disciplinarum omnium luminibus illustres magno cum ornamento semper attulit: quiquè decore formæ, totoque oris habitu, ingenijquè iudicij, atque doctrinæ præstantia plane fortunatus, dignissima in Senatorium Ordinem cooptatione ascitus est. Secundus Dionysij natorum Sebastianus fuit Lucionensis Ecclesiæ Decanus, posteáque Adurensis Antistes dignissimus, Theologiæ & sacrarum litterarum notitia præcellens, tantaq; pietate & vitæ candore, tantaque religione vixit, vt suo sæculo singulari ornamento fuerit. Dum suadebat & monebat verbis vtebatur grauibus & disertis, dũ consolabatur lenibus & gratis, in vitiorũ repræsentatione incitatis & vehemẽtibus, in exhortatione familiaribus & apertis. Deniq; in vultu illius nil erat tetricũ aut proteruũ, sed frons placida & serena, & in qua pudor ingenuus, simplex modestia, piaq; fides elucescebat. Verùm eminuero circa ætatis annum XLIIII. tot dotes breui tempore tanquam flosculi morte illius decidere, & sui memoriam omnibus suauissimam reliquêre, tanta propensi & grati animi significatione, vt eum verè pium & voce & scriptis suis omnes assiduè prædicarent. Hinc dubium fuit an vitam piè sanctèque exactam feliciori vel laudabiliori clauserit exitu. Siquidem non morbi acerbitatibus aut ærumnis oppressus, non aduentantis aut ingruentis fati metu perculsus mortem perhorruit, sed eam sine vlla aut vultûs aut animi perturbatione fortiter excepit. Præterea quanta pietate, quãta vitæ sanctimonia Ecclesiam rexit sibi commis-

ſam vix dignè explicari poteſt, omnibus ſummis pariter atque infimis gratus, integritate vitæ ſummaque ſermonis comitate præſtans, promptiſſimoque ad opem ferendam animo ſiue quis auxilio ſiue conſilio indigeret. Ab ineunte ætate & toto vitæ curſu Illuſtriſſ. Cardinalem Richelium intentiſſimè coluit & ab eius aurea & plane diuina conſuetudine, aſſiduoque ſub tanto heroe tranctandorum negotiorum vſu, partam ſibi rerũ intelligẽtiam ita perfecit & perpoliuit, vt breui tempore in magnum virum & pium Antiſtitem euaſerit. Numerum ſtemmatum & patriæ gentis ſplendorem Dionyſius ſacri etiam Conſiſtorij Aſſeſſor & à ſacris mandatis & epiſtolis ipſius Reginæ matris, itidemque in ſupremâ Rationum Regiarum & Vectigalium apud Heduos Curiâ; moxque in ipſo Senatu Præſes meritiſſimus incredibili cumulatione virtutis auxit, optimarum etiã artium ſtudio, vigilantis ingenij felicitate, animi ſolertia, iudicijque grauitate præclatus, omnia ciuilis & honeſtæ vitæ munia digniſſimè complet. Iuuenis admodum præcipuus adminiſter operam nauauit ſub eodem generoſiſſimò Cardinale Richelio Lucionenſi Epiſcopo tunc à ſacris mandatis, & iuſſis, perpetuaquè grauiſſimorum munerum procuratione obſtrictus felicem Regi Galliæque laborem & ſtudium impendit. Victor filiorum vltimus ſacri quoque Conſiſtorij Aſſeſſor & Bononienſis Epiſcopus eximiæ pietatis & religionis ſtudio præclarus, ab omni faſtu & ambitione alienus, fidei & candoris in omni vita retinẽs, cultu diuinæ majeſtatis incredibili enitet, & in ore ſuaui & ingenuo, generoſi ſpiritus & excelſi habiliſque ingenij lætam præfert indolem: Vnde ab eo virtutum omnium & officiorum in Eccleſiam vberrimi fructus meritò expectantur. Sed quoniam huius illuſtriſſimæ familiæ ſplendor omnem orationis quantumuis nitidæ lucem ſuperat, neque eius amplitudo vllo verborum complexu continetur, dicam ad extremum, gaudere me plurimùm, & nobiliſſimæ familiæ gratulari, quod cum omnem exornare orationem poſſit, nulla tamen laudatione comprehendi aut ſatis commendari poteſt, neque laus illius breui elogio includi vel exprimi, quum nullis prope gloriæ finibus terminetur.

ELOGIVM RVZÆÆ ET COIFFIERIÆ EFFIATIÆ GENTIVM ILLVSTRISSIMARVM.

ELOGIVM non historiam vtriusque nobilissimæ gentis exequor. Nam omnia tot procerum ornamenta sigillatim conscribere non est ingenij nec instituti nostri. Vt verò in mundi corpus vniuersum spiritus vbique defluens & singulis se rebus immiscens facultatem tum procreandi, tum nutriendi, augendi atque conseruandi præstat, & conciliat: sic gens Ruzæa celebris & antiqua varias in familias diducta, varijsque muneribus quæ vel Ecclesiam, vel Rempub. vel Regiam gazam spectant, illustrata, non tantùm vtilitati & commodo toti Galliæ fuit, sed etiam decori & ornamento maximo. Ab illâ igitur diuersæ & perinsignes familiæ varijs affinitatum conjunctionibus genus ac originem traxere Briçoneta, Huralta, Belnæa, Reffugæa, Spifamea, Fumea, multæque aliæ, quæ hodie florentis virtutis accessione per vniuersas regni partes honorificentissimè iuxta ac felicissimè vigent. Quod si Sulpitio Seuero antiquo & in-

dubitatæ fidei Hiſtorico credamus, Ruzæorum gentem D. Martini Archiepiſcopi Turonenſis, Galliarumque, alterius Apoſtoli temporibus floruiſſe, hominique ſancto gratiſſimam extitiſſe, compertum erit. Hinc colligimus Ruzæos iampridem in amœnâ Turonenſi prouinciâ virtutis ſuæ radios, gloriæque ſplendorem & præſtantem ſobolem ad publicam vtilitatem, ſuique nominis laudem ſempiternam felici vbertate protuliſſe. In plures ramos familia iſta diuiſa fuit. Ex vno productus eſt Ludouicus Ruzæus Melodunenſis Præfectus quatuor filiorum parens, qui omnes eximiâ virtute præditi ad varios dignitatum gradus in præcipuis regni Curijs viam ſibi aperuere. Eorum maior natu erat Ioannes Ruzæus Stanij dominus, Regij ærarij Lutetiæ Quæſtor, pater Ludouici in Vectigalium Curiâ Conſiliarij; Ludouicus alter, Ioannis frater, Iuriſprudentiæ & omni bonarum artium cognitione præcellens Proprætor Pariſienſis fuit. Tertius vero Arnulfus Ruzæus ſupremæ Curiæ Senator ac D. Mariæ de Victoriâ ad Siluanectum Archimandrita, illuſtriſſimi Cardinalis Bellaij ſocius, nominis famâ & doctrinæ gloriâ inclitus de Regaliorum iure, de mandatis Apoſtolicis ac de ſublimi Archipræſulum ſtatu luculentiſſimè compoſuit, Regiſque iura ac præcipuum Coronæ decus gnauiſſimè tutatus eſt. Edidit quoque Ludouicus Martinum Ruzæum Fontenaij Abbatem & Senatorem Pariſienſem. Ex alio ramo Ioannes Ruzæus Belliloci dominus procreatus antiquæ probitatis feminam Gelonidem Berthelotiam vxorem duxit. Ex hoc conjugio editi plures filij, quos inter Arnulfus & Gulielmus Ruzæi in eadem Curia Pariſienſi quoque Senatores fuere. Eorum vltimus ex Catharina Briçoneta conſorte duos filios procreauit, Ioannem videlicet Senatorem itidem Pariſienſem, & Gulielmum apud Turonenſes Regiæ gazæ Quæſtorem virum primæ notæ, iudicijque admodum caſtigati, à quo maſculi tres procreati. Quorum prior Gulielmus id nominis tertius, Andegauenſis Epiſcopus, Henrici III.

Christianissimi & potentissimi Franciæ & Poloniæ Regis à confessionibus fuit. Is ad illud sublime & pium, sanctumque munus suis meritis, vitæque sanctimoniâ integrioris accessit. Quippe Ecclesiasticæ disciplinæ retinentissimus curam Episcopalem & pastoralem tanto religionis Catholicæ cultu, tantâ pietate & dexteritate, tantáque fide & decore obiuit, vt in omnibus solidæ virtutis, perfectæ doctrinæ & absolutæ pietatis specimina innumera exhibuerit. Idem suaui quadam atque ornatâ, eadémque graui orationis copiâ vberrimè profluens, non modò mentes humanas iucundissimè demulcebat, sed ad officium quoque suum potentissimè compellebat. Nempe in eo supra oris atque staturæ dignitatem generosi & plane diuini spiritus indoles & solertis ingenij incredibile acumen eminebat. Ille patrem meum Scæuolam Sammarthanum tunc Franciæ Quæstorem coram Henrico III. verba facturum stitit & introduxit; quo tempore totius regni Quæstores cum vnanimi consensu delegerant, qui sui Ordinis querelas ad illum, quâ par esset modestiâ, solertiâque, deferret. Fecit ille Catharina Regina præsente & magno Principum ac procerum consessu & frequentia, tanto apparatu, tanta nectareæ vocis mulcedine, tantóque iudicio, vt Regem ipsum & Reginam, illustremque auditorum coronam raperet, & quam vellet in partem felicissimè traheret: vnde non minimam sibi laudem, Ruzæo voluptatem, Regi admirationem, collegis verò suis in pristinâ dignitate conseruatis delectationem peperit. Feruente bellorum ciuilium tumultu idem vigilantissimus Præsul absumptus est. Fratrem habuit Ioannem in magno Regis Consilio Senatorem, virum eminenti laude fidei, Iurisprudentiæ, integritatis & diligentiæ conspicuum, quique inter maximas occupationes studia Iuris & Musarum nunquam neglexit vel intermisit. Gulielmi & Ioannis frater vltimus fuit Martinus Baro Loniumeus, ac Belliloci dominus, qui post varios gradus honorum illi delatos, tandem præ-

cipuus Regis Henrici III. in Poloniam tendentis administer extitit. Deinde rebus Galliæ turbatis pręcipuus à sacris mandatis, secretis & epistolis eidem Henrico Regi adfuit. Nimirum Princeps optimus se multorum insidijs obnoxium conspiciens astu Ibericæ factionis, Quatuorviros ab epistolis & sacris iussis celebres quidem, sed quadam suspicione dimisit, Ruzęumque primùm quidem pro omnibus fidei & antiquæ probitatis virum suffectum esse voluit, dein alios illi adjunxit. Is prouinciam sibi commissam tantâ vigilantiâ, pietate & dexteritate, tantâque peritiâ & rerum Gallicarum vsu non solùm sub Henrico III. sed & sub Henrico Magno exercuit, vt nemo vnquam suo tempore fidelius & pręstantius negotium tanti momenti & ponderis perficere potuerit. In eo verò munere pręclarissimos successores habuit Antonium Lomenium, deinde Henricum Lomenium Villaclerium filium vtrumque dignissimum Regis administrum. Sed nullum aliud sanioris iudicij monumentum à tanto tamque illustri viro expectari poterat, quàm cùm liberis carens testamēto solenni Antonium Ruzęum Effiatium ex sorore pronepotem elegit & instituit in quē nomen gentilitium & fortunas transferret, quique præter amplam hæreditatem tantæ familiæ decus à tanto viro acceptum non solùm tueri, sed etiam abundè augere posset. Ille Gilbertum Coifferium abauum habuit, veteri & nobili sanguine apud Auernos editum, qui rei Tormentariæ in Italia præfecti curam agebat. Gilbertus verò filium procreauit Antonium grauissimi muneris per Italiam successorem; & hic Gilbertum alterum Effiatij dominum, qui lectissimam feminam Bonam Ruzæam Martini illius Baronis Loniumei fidissimi Regis administri sororem, Effiatij Marchionis auiam in vxorem duxit. Et sanè memorabile futuris erit illud seculis, Gilbertum illius auum post prœlium Ceresolense, in quo miro bellici vigoris acumine, inuictóque robore se gesserat, tergemina Equestris Ordinis dignitate spectante &

applaudente toto exercitu decoratum fuisse: primùm quidem à strenno Taïsio, peditum in Regio exercitu per Italiam Tribuno, deinde à forti Buterio primam aciem ductanti: demúmque à Francisco Borbonio Anghiano potentissimo Principe & bellicosissimo exercitûs Imperatore; qui omnes Gilberto Equiti fortissimo Equestris Ordinis & rei feliciter ac fortiter gestæ terna insignia diplomata, non solùm ad perpetuum & honorificum illius decus & ornamentum, sed etiam ad victoris exercitûs gratissimam recordationem concesserunt, eiúsque virtutem & officia commendarunt; quod & fecit Carolus Cossæus Brissacus generosissimus Equitum Tribunus in locum Anghiani postmodum Subalpinæ regionis Prorex suffectus. Scilicet vt præcipua Regum Gallorum insignia tribus Liliorum floribus exornantur; sic æquum videbatur, Gilbertum veteri studio Regi ac Regiæ familiæ addictum, tergeminis honoribus decorari in memoriam insignium Gallorum sub quorum auspicijs tantâ virtute & animi magnitudine signis collatis dimicauerat. Præterea fuit Regiarum rationum Magister & Quæstor vnicus apud Allobrogas, Pedemontanos & Delphinates: qui honos tunc maximus fuit; ita vt eadem tempestate Esturmelius, Babous, Huraltus, Belnæus, multique alij illustres viri per diuersas regni prouincias Quæsturam itidem exercuerint. Reginæ quoque Margaretæ iubente Catharina Regina eius matre præcipuus administer fuit Gilbertus, posteáque Oeconomus: tamdemque senex & otij impatiens in memorabili pugnâ Monconturiensi Castrorum Tribunus honestissimè iuxta & fortissimè sub signis regijs dimicans occubuit. Gilbertum alterum Effiatium extulit Equitem generosissimum, rerum agendarum peritiâ, scientiarum laude, bellicáque virtute præclarum, qui ob insignia merita summam in inferiori Aruerniâ rerum omnium præfecturam flagrante ciuili tumultu habuit; séque in celebri Issoriensi prœlio, post-

eáque in obſidione Pariſienſi gnauiter, fortiterque geſſit. Filium reliquit Antonium illum Ruzæum Marchionem Effiatium & Loniumeum, primo ætatis flore quinquaginta cataphractorum equitum ducem, deinde fodinis ac metallis Gallicis, nec non Equitio Regio præpoſitum, armorum gloriâ & omni virtutum concurſu præſtantiſſimum. Hunc etiam vtriuſque Ordinis Equitem ſuſpexit virtutis cupida Nobilitas, Marchionis titulo inſignem Gallia celebrauit, extraordinarium Regis Legatum admiratæ ſunt Anglia & Flandria; Habuere antea Turonenſis & Andegauenſis, & nunc habet Aruernenſis prouinciæ vigilantiſſimum Proregem, digniſſimum verò adminiſtrum, fidiſſimumque & ſupremum Præfectum LVDOVICI IVSTI Gaza integerrimè ſapientiſſiméque procurata, bellica virtus fortiſſimum Equitum Tribunum ac Regij exercitûs in limite Germanico ducem. Nemo autem ærarij cura diuinam ingenij vim, quâ nulli maiorum cedit, exiſtimauerit contineri, & illius ardentiſſima in Regem ſtudia vllis terminis deffiniri: omnes illius virtus abſolutiſſimi viri numeros implet, & ſapientia ſingularis, quo regni ſalus inſiſtat, munimentum eſt firmiſſimum. Certat in eo laus militaris cum rerum agendarum gloriâ. Quod maximè patuit in expeditionibus nuperis, Aquitanicâ ſcilicet, Rupellanâ, maritimâ, Occitanicâ, & Italicâ; præcipuè, dum iunctis copijs cum illuſtriſſimo & generoſiſſimo Henrico Duce Monmorentio, fuſis & fugatis hoſtibus incredibili fortitudine & animi magnitudine non ſolùm in prœlio Auilianenſi, obſidione Saluſſiæ vrbis & illius deditione, ſed & in Carinianâ & varijs alijs expeditionibus immortalem ſibi gloriam peperit. Fortuna illius virtutem admirata reueretur, & ſummum Numen benignè proſpectans viro tanto ſempiternam felicitatem pollicetur. Rex autem inuictus supernâ luce deſuper affulgente eum ſummæ rerum adminiſtrandæ aſciſcit; Curia Senatorem, cui natura magnum ingenium, vſus certiſſi-

mum experimentum, experientia notitiam omnium, Deus indolem ad magna & ſtudium in patriam vehementiſſimum dedit eum in quo prudentiæ laus ſumma cum pari integritate, patriæ amor cum ærarij ſanctiſſima procuratione, cuncta demum ſupra communem ſortem eminentia. Affirmat illius decus pæclariſſima proles, quam ex nobili Mariâ Furciâ vxore, Ioannis Furcij Cheſſij ſacri Conſiſtorij Aſſeſſoris & ſupremi ædificiorum Regiorum Præfecti filia, formę nitidiſsimo flore & admirabili morum grauitate conſpicua procreauit. Lucet enim imprimis eximij parentis dignitas in Marchione Loniumeo maiore natu filio & ijs corporis atque animi dotibus ac virtutibus imbuto, quibus eius ætas efflorefcere iamdudum cepit. Filia vero venuſtatis præſtantia & moribus inſignis matrimonio iuncta fuit Carolo Portæo Melleræo Marchioni, Equiti bellicâ laude, familię nobilitate, & animi magnitudine præclaro, multiſque & varijs dignitatibus & militaribus titulis ornato, ac nuper ſub Rege ac eminentiſsimo & generoſiſsimo Cardinale Duce Richelio Armoricę Protege, Nannetenſis Prouinciæ & vrbis digniſsimo Præfecto. Det Numen Effiatio æternam nominis gloriam, Galliæ verò vt diu felici illius operâ, virtute, & induſtriâ vtiliſsimè perfruatur.

DIVERS
DISCOVRS
FRANCOIS
DV SIEVR DE S^TE MARTHE
PRESENTEZ AV ROY

En luy dediant ſes ouurages Latins, auſquels les victoires de ſa-Majeſté ſont deſcrites.

M. DC. XXXII.

L'IMPRIMEVR au Lecteur.

EN faiſant trauailler à l'Impreſſion des Oeuures de Monſieur de Saincte Marthe le fils, j'ay creu qu'il ne ſeroit hors de propos d'y inſerer ces DISCOVRS FRANÇOIS par luy addreſſez & preſentez au Roy; eſtans au commencement des ouurages Latins qu'il a entrepris & publiez pour le ſeruice & par le commandement de ſa Majeſté: eſtimant, qu'ils ne pourroient eſtre que bien receus, puis qu'ils ſont faits pour la gloire, grandeur & reputation des armes victorieuſes de ſa Majeſté, leſquelles ont eu vn ſi heureux ſuccez dedans & dehors le Royaume.

AV ROY,

SVR LES VICTOIRES OBTENVES PAR SA MAIESTÉ en Poictou, Guyenne & Languedoc, representées par deux Panegyriques.

SIRE,

Les heureux succez dont le Ciel a fauorisé vos armes en toutes occasions, font aduoüer, qu'il y a quelque sainct & religieux mystere au soin particulier que sa Prouidence, qui veille incessamment pour les Roys, a voulu prendre de vostre Majesté: Mesme depuis n'a gueres qu'elle vous a garanty des perils, où vous n'auez que trop souuent exposé vostre personne sacrée, & vous a preserué des maladies, qui affligent ordinairement les grandes armées, comme la vostre; laquelle neantmoins animée par l'auguste presence de V. M. que la plus braue Noblesse de la Terre enuironne, n'a laissé de mettre à chef diuers exploicts de guerre,

qui seront à iamais memorables, & auec tant d'autres actions, qui vous comblent d'honneur & de gloire, seruiront d'ample subiet pour celebrer la grandeur de vostre nom immortel. Car vous auez, SIRE, *en vn moment ramené sous les douces & legitimes loix du deuoir des prouinces entieres, & plus de quatre-vingts villes & places qui s'en estoient esloignées, pardonnant genereusement à celles qu'vn bon destin sousmit à la discretion de V. M. & battant & emportant de force les autres à qui les vaines & nouuelles fortifications donnerent l'audace d'attendre le foudre de vostre iuste courroux, & entre autres Monheur, dont le siege & la prise se peut dire entierement vostre, pour ce que vostre Majesté seule y voulut porter tout le faix d'vne si honorable fatigue: & cela fut cause que ceste ville grandement forte se veid reduitte sous vostre pouuoir,* SIRE, *en peu de temps, & encores en la plus aspre rigueur de l'hiuer, qui pour l'heure arresta le cours de vos faits glorieux auec celuy de l'année, à fin de continuer en la suiuante les genereux desseins qui vous promettoient encor mille nouueaux trophées. Et de vray, ces hautes esperances ont esté heureusement suiuies de leur effet: principalement lors que les rebelles se mirent aux champs dans le bas Poictou sous la faueur du Printemps, de la Mer, & des lieux aduantageux, & presque inaccessibles, où ils s'estoient retirez. Mais on veid lors V. M. sans autre aduantage que celuy de la Iustice de ses armes, & de sa Valeur nompareille, vaincre & dissiper auec autant de diligence que de generosité, ce grand amas, par vne desfaite si entiere & si admirable, qu'elle ne se peut assez dignement exprimer: L'euenement fauorable de ceste victoire signalée fut encor particulierement vostre,* SIRE, *& grandement remarquable*

en sa suitte par la reprise de beaucoup de villes, & par la reduction entiere de toute la Guienne & de partie du haut & du bas Languedoc: Où Montpellier ville des plus importãtes de ces païs-là, ressentit la vertu de vostre presence dans son estonnement, les effets de vostre prudence en la conduitte d'vn siege si memorable, & la grandeur de vostre courage à rompre & mettre en fuitte vous-mesmes le secours des ennemis. Ceste ville heureuse en ce poinct, qu'elle s'est veuë en mesme temps l'object de vostre Iustice & de vostre Misericorde, se pourra vanter d'auoir non seulement flechy vostre cœur Royal au pardon; mais encor qu'attirant à son exemple plusieurs autres, elle eut l'honneur de voir vostre main victorieuse & pacifique planter sur ses murailles le Laurier & l'Oliuier tout ensemble: & en fin ce fut-là, que V. M. voulut pardonner aux Rebelles, & donner la Paix à toute la France, laquelle veid mesler parmy ses acclamations de ioye les honneurs que sa Saincteté & les Princes estrangers vous rendirent, lors que, comme le Soleil, qui tournant l'Vniuers redonne la lumiere & la vie à toutes choses, vostre Majesté faisant aussi le tour de son Royaume, a redonné par la force de ses rayons la vigueur à ses iustes Loix, le lustre & la splendeur à la dignité Royalle, & le repos à tant d'ames qui ne viuent & ne respirent que par elle & pour elle. Ce qui fait dire à toute la France auec vne ioye incroyable, qu'elle reuoit encores HENRY LE GRAND *en la personne de* LOVIS LE IVSTE; *que tant d'excellentes vertus esleuent comme à l'enuy par dessus tous les plus grands Monarques du Monde; Vertus vrayement Royalles & Diuines, dont ie m'efforce d'enuoyer de rechef l'esclat & l'exemple aux Terres plus esloignées, & la memoire & l'admiration à la posterité; Si*

la foibleſſe de ma plume peut atteindre au poinct d'vn ſujet ſi releué. Ce que i'ay creu n'eſtre deſagreable à voſtre Maje-ſté, puis qu'elle a cy-deuant daigné recueillir d'vne fauorable main ces Panegyriques, que i'ay oſé luy conſacrer, & m'en commander la ſuitte & la verſion: Auſsi ne puis-je mieux employer les iours de ma vie, qu'en teſmoignant par toutes ſortes de deuoirs & de reſpects, que ie ſuis

De V. M.

Tres-humble & tres-fidelle ſubiect & ſeruiteur,
ABEL DE SAINCTEMARTHE.

AV ROY,

SVR L'EXPEDITION MILITAIRE, ET LE SVCCEZ DES armes Françoiſes dans la Valteline, ſoubs les heureux auſpices de S. M.

SIRE,

Ce diſcours vous repreſente, comme dans vn tableau racourcy, l'vn des plus dignes exploits de guerre qui ſe pouuoit attendre des armes de voſtre Majeſté: les autres, qui l'ont renduë ſi redoutable, n'auoient pour obiet que la ſeulle tranquillité de voſtre Eſtat : mais ceſtui-cy regarde le repos de l'Allemagne, de la Suiſſe, de l'Italie, & meſme de toute l'Europe, qui void que tout ainſi que le cœur reſpand & enuoye le ſang a tout le corps humain pour le faire ſubſiſter, auſsi vous diſtribuez vos forces par toute la Chreſtienté pour ſa protection & conſeruation. Vos genereux deſſeins, aſsiſtez & ſecondez d'vn ſage & fidelle Conſeil, ſont pour jamais aſſeurez d'vn ſuccez glorieux contre tous ceux qui manquent à leur deuoir, & à

leurs promesses: sur tout quand il est besoin de maintenir vos Alliez, d'estendre vostre Royalle protection sur eux, & d'empescher vne iniuste oppression. L'Espagne, qui n'a pour obstacle à ses indeuës pretensions & violences, que la seule authorité & valeur de V. M. laquelle s'est erigée ces Trophées incomparables, commence à perdre courage, & à refroidir la chaleur de ses vaines & audacieuses entreprises, voyant que comme le Soleil, qui penetre iusques dans les entrailles de la terre, donne par la force de ses rayons le lustre & le prix à l'or: Ainsi l'esclat & la puissance de vos armes, qui ont passé iusques dans les Pyrenées, puis surmonté les Alpes & le Rhein, sont paruenus aux lieux plus esloignez, ont penetré iusques aux vallées plus profondes & cachées, comme celles de la Valteline, à qui elles ont rendu la douceur de la liberté plus chere & plus precieuse que tout l'or de la terre. Les Suisses & Grisons en ont ressenty des effets puissans. Et bien que ces belliqueuses nations ayent donné tant de terreur & d'estonnement à plusieurs, elles ont neantmoins eu besoin de vous, SIRE, *& ont fidellement seruy & honoré V. M. auec vn deuoir respectueux, ayant creu que leur protection en despendoit apres celle de Dieu, & que seule elle estoit capable de leur faire ressentir le bon-heur de cette liberté & tranquillité parfaicte; Car se voyant troublés de tant de funestes diuisions, agitez de tant de tempestes & d'orages qui couuoient insensiblement parmy eux & estoient fomentez par aucuns Princes voisins, ils ont eu recours à V. M. qui les a incontinent dissipez par l'effort & les auspices de ses armes victorieuses. Qui fait que ces peuples vont publiant par tout l'aduãtage & le bon-heur de ce restablissement de leur liberté, & que par le secours de vostre bras puissant, ils s'e-*

stiment

ſtiment inuincibles, eſtant meſmement fortifiez de l'Alliance qu'ils ont auec voſtre Couronne la premiere du Monde, & par voſtre protection Royale, eſchauffez d'ailleurs par l'ardeur de la deuotion qu'ils proteſtent d'auoir pour iamais enuers vous, comme le plus Grand, le plus Iuſte & plus Victorieux Roy de la Terre. Et non ſans raiſon, SIRE, *veu que vous eſtes heureuſement doüé de toutes les eminentes & rares qualitez requiſes en vn Monarque pour acquerir & ſouſtenir vne gloire immortelle. Auſsi non ſeulement vos ſubiets; mais auſsi la meilleure part des peuples & Potentats de l'Vniuers vous reuerēt, voſtre auguſte Nom eſt en leurs penſées, les dignes loüanges de vos vertus heroïques ſont en leurs bouches, & le bon-heur de voſtre ſanté en leurs prieres & ſouhaits. C'eſt,* SIRE, *ce que i'entreprends de publier par ce diſcours, principalement conſiderable pour la dignité de ſon ſubiect: Il ſera veu de quelques-vns ennemis de voſtre Eſtat auec honte & eſtonnement: mais de tout le reſte auec ioye & admiration: Et pour moy, ſi ie ſuis aſſeuré que ce petit labeur, qui m'a eſté commandé par V. M. ſoit par elle fauorablement receu, cela augmentera les forces de mon courage, afin qu'à meſure que vos victoires redoubleront, ie puiſſe auſsi continuer ces preuues de l'ardante deuotion, de la tres-humble obeyſſance, & de l'inuiolable fidelité que ie dois aux commandemens de voſtre Majeſté.*

AV ROY,

SVR LA DEFENSE DE L'ISLE DE RE', LES VICTOIRES qui l'ont suiuie, & la prise de la Rochelle.

SIRE,

La Victoire signalée que vostre Majesté vient d'obtenir à la honte de vos ennemis, & à la confusion de vos sujets rebelles, vous couure de palmes & de lauriers, & rend vos armes redoutables à tous les peuples de l'Vniuers. Mais il est vray, que la Clemence est l'vn des plus riches ornemens de vostre triomphe, & que vostre conqueste n'auroit pas esté si glorieuse si vous auiez refusé de pardonner à des criminels que vous pouuiez legitimement punir: Aussi la generosité auec la douceur & la moderation que V. M. a fait paroistre en cette occasion, font vne telle impression dans les esprits de tous les hommes, que les plus Sages ne considerent vos actions, que pour les admirer. Et en effet V. M. possede ces Royales vertus en vn degré si eminent, que ceux qui veulent entreprendre d'en parler, ne trouuent point de termes assez propres pour les dignement

exprimer; & certes cette consideration m'auoit osté le dessein d'escrire ce qui s'est passé au siege & prise de la Rochelle & en l'Isle de Ré, & de laisser à la posterité les grandes choses que la prudence de V. M. & le bon-heur de ses armes ont en peu de temps si sagement & si genereusement executé, si la volonté de V. M. n'asseuroit ma foiblesse, & ne releuoit mon courage, & si mon entreprise n'estoit assistée de vostre protection. Car ayant à representer des actions qui dans les siecles passez n'ont point d'exemple, & qui estonneront ceux de l'aduenir, mon esprit n'eust iamais osé esperer d'atteindre si haut, s'il n'eust esté animé par les commandements de V. M. I'entreprends donc de publier par ce discours Latin, que ie presente à V. M. le succez de ce Siege memorable qui a tenu en attente toute l'Europe, & qui a obscurcy la gloire des plus grands Roys de la Terre. En quoy si i'ay tant de bon-heur que mes paroles puissent respondre à la dignité de leur sujet, ie confesse que i'en suis redeuable à l'honneur que ie reçois de seruir V. M. & que comme les Astres par leurs influences animent les corps inferieurs, & leur donnent le mouuement, ainsi les hautes & immortelles actions de V. M. inspirent à mes paroles ce qu'elles ont d'esclat & de pompe. Vous auez, SIRE, *commencé & acheué vn ouurage du succez duquel dependoit le repos ou le trouble de toute la Chrestienté. Et cette entreprise merueilleuse si heureusement executée, ne donne pas seulement la paix à vostre Royaume, mais elle rend aussi à l'Eglise la dignité que l'heresie & la rebellion luy auoient iniustement rauie. En fin il est vray, que vostre Majesté a remis souz son obeïssance cette ville que toute l'Europe croyoit imprenable, & cet exploit digne de vostre valeur & de vostre courage a fait voir*

à tout le monde, qu'il n'y a point d'obstacles qui puissent arrester le progrez de vostre bonne fortune; & que Dieu fauorise visiblement vos armes & tous vos desseins. Desormais V. M. sera en estat de donner la loy à ses voisins, & de se faire recognoistre Arbitre de la Chrestienté; Car vostre vertu ayant estouffé la rebellion & arraché les semences de la diuision du cœur de la France, vous pourrez porter vos armes victorieuses par tout le Monde, & faire trembler ceux que la jalousie de vostre grandeur a rendu vos ennemis. Auant que V. M. eust conduit à sa perfection vne si haute & si importante entreprise trois puissantes armées nauales, aussi bien equipées qu'aucune autre, qui depuis cent ans ait fait voile sur l'Ocean, se sont presentées pour assister & secourir cette ville rebelle; mais vous auez monstré à vos ennemis qu'ils auoient plus de temerité, que de iugement, & que leurs forces ne pouuoient s'esgaler de vostre puissance: Vous les auez chassez de vos costes, & par vne fortune admirable deüe à l'ordre & la conduitte de V. M. vous auez obtenu sur eux vn trophée qui a esté signalé d'vne perte infinie de leurs trouppes, & de la prise de leurs principaux Capitaines, à qui V. M. par vne action pleine de courage & de magnanimité, a liberalement rendu la liberté. Les choses qui ont suiuy vn si notable euenement, doiuent estre mises au nõbre des miracles, & elles seroient incroyables, si elles n'estoient arriuées à la veüe de toute la terre. Les Elemens semblent y auoir conspiré pour donner de la reputation à vos armes, & pour ruiner les desseins de vos ennemis: la nature mesme a combattu pour destruire les machines qu'ils auoient preparé pour faire leurs efforts: Et les feux qu'ils auoient composé auec tant d'artifice & de despence pour brusler les vaisseaux

de vostre Majesté, n'ont seruy que de iouët au vent & à l'onde. Mais, SIRE, *cette Digue merueilleuse qui a fermé le passage de la mer aux ennemis de V. M. & arresté la puissance de deux flottes qui sembloient deuoir tout oser, est vrayement vn ouurage digne d'eternelle memoire; Aussi vos ennemis apres auoir veu ce trauail si prodigieux, ont perdu l'esperance qu'ils auoient vainement conceuë; & aduoüants que V. M. estoit capable de toutes choses, ils ont esté reduits à ce point de luy demander la paix; & ces criminels qui auoient appellé les estrangers pour appuyer leur rebellion, recognoissant qu'ils ne pouuoient plus attendre de secours que de la Clemence de V. M. se sont venus ietter à ses pieds pour luy demander pardon, & leurs larmes ont eu tant de pouuoir qu'elles ont attendry vostre cœur, & obtenu de vostre Majesté vne grace dont ils se confessoient indignes. Histoire admirable que ceux qui viendront apres nous ne pourront pas croire, vous pouuiez iustement punir ces mutins qui auoient mesprisé vostre authorité, & vous auez mieux aymé leur faire sentir les effets de vostre Clemence, que ceux de vostre Iustice: Vne seule action d'humilité vous a fait oublier tous leurs crimes passez, & V. M. qui a tant de fois pardonné à ses ennemis, n'a peu voir la misere & le repentir de ces miserables, sans estre touchée de douleur & de pitié. Aussi ce pauure peuple se voyant asseuré de son salut contre son esperance, a receu son bon-heur auec estonnement, & la grandeur des obligations qu'il a à V. M. luy ostant tous les sentimens, ne luy a laissé que la liberté de ses pensées pour admirer vostre douceur & vostre bonté. Ioüyssez* SIRE, *du fruict precieux d'vne si grande & si belle victoire, & continuez de vous reposer sur les soins incomparables, & sur la*

conduitte admirable de Monseigneur le Cardinal de Richelieu, que vous auez choisi pour vostre principal Ministre & Chef de vos Conseils : & pendant que pour vne si genereuse action la France, & principalement vostre chere ville de Paris dresse des trophées à vostre gloire, permettez que ie die à V. M. Que sa vertu ne se pouuoit signaler par vne plus memorable & glorieuse conqueste, que celle que vous auez mise à chef, qui sembloit estre au dessus de la puissance des hommes ; Qu'en cette haute entreprise vous auez donné des preuues admirables de vostre sagesse, dans les resolutions importantes de vostre courage, dans les perils de la guerre de vostre valeur, & de vostre affection ; Que ce siege de la Rochelle apres auoir esté conduit auec tant d'ordre & de prudence, ne pouuoit plus heureusement finir, Et en somme que Dieu ayant dés long temps preparé cet ouurage pour sa gloire, & pour nostre bon-heur, en auoit reserué l'accomplissement à vostre Maiesté, comme au plus Grand, au plus Iuste, au plus Clement, & au plus Victorieux Monarque de la Terre.

AV ROY,

SVR LES DERNIERES VICTOIRES DE SA MAIESTE' obtenuës dans le pays de Languedoc.

SIRE,

Apres l'admirable conqueste de tant de villes & de Prouinces, singulierement de la Rochelle, la plus forte & importante ville de l'Europe, apres vostre memorable passage des Alpes, le pas de Suze courageusement forcé, le siege de Cazal glorieusement leué sous les auspices des armes victorieuses de vostre Majesté, le Languedoc depuis si long temps troublé & agité de factions & de mouuements estranges, vous appella aussi pour les estouffer du tout. Les Naturalistes tiennent, que deux poisons se trouuans de fortune ensemble dans vn corps, employent leurs forces l'vn contre l'autre, & en se destruisans eux-mesmes luy sauuent la vie: Ainsi l'heresie & la rebellion deux horribles monstres, s'estant rencontrez dans vostre Estat, l'ont sauué, & leur ruine causée par vostre bras victorieux, l'a restably, l'a rendu plus flo-

rissant que iamais, & plus redouté de vos ennemis. Ce fut donc à tres-iuste cause que pendant l'expedition de la Rochelle sa Sainctetė par son Bref vous benit & loüa si hautement, excitant V. M. d'accomplir genereusement ce sainct ouurage si heureusement commencé. Elle iugeoit, que la Prouidence diuine reseruoit à vous seul cet accomplissement, apres auoir esté par plusieurs fois en vain tenté par les Roys vos predecesseurs assistez d'vn million de guerriers, bien que leur valeur peust surmonter toute autre puissance d'icy bas. Mais les palmes & les lauriers d'vne si glorieuse action vous appartenoient comme au fils aisné de l'Eglise. Aussi l'honneur le fils aisné de l'Immortalité, & qui non plus que l'ame n'est menacé de la fin, portera vos faits genereux, & l'odeur agreable de vos vertus par tout l'Vniuers, qui conseruera vostre Nom dans l'Eternité des siecles. La memoire n'en vieillira iamais, & la grandeur de vostre reputation ne prendra fin qu'auec le Monde. Restoit donc le Languedoc & quelques autres Prouinces circonuoisines qui estoient encore flotantes en leur deuoir: l'or des Indes éclatoit de toutes parts, pour continuer à fomenter ceste rebellion. Leurs plus proches voisins estrangers vos ennemis estoient aussi en estat de mettre la main à l'œuure, ou pour les enuahir, ou pour les perdre & ruiner; lors que contre toute esperance humaine, apres quelques combats & prises de villes les plus mutines, tout vous y fait hommage, & se rend à la discretion de V. M. Que si Priuas fut reduitte en cendres, ce à esté pour le iuste chastiment de sa temerité, & pour auoir esté comme la source & l'origine de ces nouuelles seditions; & la premiere ville de la Prouince qui osa resister à V. M. Tellement que rien n'arreste le torrent de vos armes que l'humilité & l'obeyssance; auec

ce; auec vostre Pieté & Clemence incomparable. Ce qu'ont esprouué les villes de Castres, Nismes, Vzez, Millaud & toutes ces autres rebelles, en faisant les submissions. Par ce moyen les semences des partialitez & diuisions demeurent pour iamais entierement estouffees & enseuelies dans les ruines de leurs murailles. Mesme vostre ville de Montauban, qui en la campagne sembloit porter l'enseigne, & suiuoit l'exemple pernicieux de la maritime, vous absent, estant appellé ailleurs (tant est grand le respect deub à V. M. sacrée, & grande aussi la reputation de ses armes, secondée des fidelles seruices & salutaires Conseils de Monseigneur le Cardinal de Richelieu) reçoit telles loix & telles forces qu'il a pleu à V. M. forces qu'elle a bien tost apres fait retirer, lors qu'elle a iugé le deuoir faire autant pour le soulagement des habitans de cette ville & des autres, que pour le guerdon de leur obeyssance. Nous auons en suitte veu reduit ce qui restoit dans les pays de Dauphiné, de Foix, de Viuarais & des Seuenes. En somme toutes les villes rebelles sont ou destruittes ou sans fortifications. Car vous fondez sur vos ennemis ainsi que le foudre du Ciel sur la Terre, dont la violence, les esclairs, & les flammes escrase, brusle & consomme tout ce qu'elle rencontre. Et d'autre part la serenité de vostre visage, comme vn gracieux Soleil, rend le calme à ceux qui s'humilient deuant vous, & implorent vostre secours; Ce qui a donné tant de crainte & d'effroy d'vne part & d'vne autre tant d'espoir à tous ces peuples, qu'à la veuë de V. M. & de ses armes, ils se porterent à vne entiere & prompte obeissance, & dans leurs cœurs renouuellerent les vœux de leur fidelité. En fin Alais reduitte à l'extremité est aussi contrainte de vous demãder le pardon; vous l'accordez, & à tous

ceux qui le requierẽt, & ne le refusez qu'aux opiniastres, donnat à la Misericorde ce que vous deuiez à la Iustice. Et fut la ville d'Alais bien-heureuse en ce point, que les deputez des rebelles excitez par cette insigne reputation de vos armes, asseurez par vostre clemence, fortifiez par vostre inuiolable foy y accoururent pour vous demander la paix auec le pardon qu'ils obtiennent, comme porte la Declaration de V. M. pardon qui leur fut par icelle accordé, au lieu que les precedentes estoient qualifiées Edicts de Pacification. Mesme cette grace s'estendit à leurs Chefs & aux autres rebelles, auec abolition des negotiations par eux faictes auec les Roys & Princes estrangers. Y eut-il iamais chose plus glorieuse à vn grand Monarque? Il sembloit en cette genereuse expedition, que tout conspiroit pour vostre grandeur, pour le repos & le contentement de l'Eglise & des peuples soubsmis à vostre Empire; bref que la Vertu & la Fortune combatoient à l'enuy pour vous combler de leurs plus rares felicitez. Et bien que l'Estranger eust fourny de grandes sommes de deniers à ces rebelles pendant les derniers mouuements, & en eust encores offert de plus aduantageuses pour le general de la cause, & pour l'interest particulier de ceux qui se disoient chefs de cette faction, si est-ce qu'en vn moment toutes ces conspirations, tous ces presens, toutes ces offres s'esuanoüirent à l'esclat d'vn si rare bon-heur & de vostre nõ immortel. Par vostre bonté, SIRE, *vous auez effacé toutes leurs calamitez, par vostre Prudence vous les auez garentis des flots & de la tempeste, & fait surgir au port de salut, par vostre preuoyance vous les auez tiré du cahos de leurs confusions; changé leur peine & leur inquietude en vne tranquillité asseurée. Ausi Rome & le sainct Pere dans leurs plus*

ſainctes prieres imploroient la grace & l'aſſiſtance de la bonté diuine pour faire reüſsir tant de bons deſſeins: Car voſtre Pieté auec tant de hautes entrepriſes pour la gloire de Dieu, vous confirment de plus en plus le tiltre excellent de Tres-Chreſtien, voſtre Equité & ſincerité celuy de Iuſte, & voſtre Valeur incomparable celuy de Victorieux. Vertus & perfections qui accroiſſent la merueille de vos Palmes & Trophées; ayant meſmement rendu à vos peuples la Concorde tant deſirée, la liberté, l'abondance, & la felicité, dont les funeſtes ciuiles & fatales diſſenſions les auoient depuis ſi long temps priuez. Mais quoy, SIRE, *l'entreſuitte admirable de tant de proſperitez, voſtre vertu en ſa continuelle verdeur, & la grandeur de voſtre courage touſiours en fleur nous promettent encores les fruicts & le cours d'autres victoires ſignalees, ſi nous deuons augurer des choſes futures par celles qui ſont paſsées. Vous n'auez faute d'ouurage dans les pays eſtrangers, voſtre Equité ne permet de ſouffrir tant d'iniuſtices, voſtre Valeur tant d'oppreſsions, voſtre Iuſtice tant d'vſurpations; l'honneur vous ſuit, vous pourſuit dans la profondeur de la paix & du repos, le mal de vos Alliez iniquement oppreſſez & affligez vous ſemond: Ce qui fait, qu'à peine auez-vous mis l'eſpée victorieuſe dans le fourreau, qu'incontinent il ſe preſente vn nouueau digne ſubiet de la remettre à la main; les Princes de voſtre Sang, les Officiers de la Couronne, & voſtre Nobleſſe ne ſe peuuent laſſer en l'exercice de cette vertu guerriere, ils attendent auec impatience l'heure du combat, & ne peuuent demeurer dans l'oiſiueté, ayant vn tel Chef, pour lequel ils eſtiment que la paix leur eſt vne guerre, & la guerre vne paix. Garentiſſez donc,* SIRE, *par voſtre diuin ſecours & ſoubs les aiſles*

de vostre protection ceux qui vous reclament en leurs pressantes afflictions, esperans d'y trouuer le soulagement de leurs miseres, & d'estre conseruez & maintenus par vostre bras puissant dans l'heritage de leurs peres, qu'on sefforce d'enuahir iniustement; le succez d'vne si glorieuse action est indubitable. Ce que i'espere encor auec la grace du Tout-puissant de publier dans peu de iours par toute la Terre, cõme i'ay fait vos autres exploicts genereux, singulierement ma plume Latine estant animée par les sacrez commandemens de V. M. eschauffée de vostre ardeur guerriere, & poussée par le merite de tant de victoires, luy faisant dire ce que la posterité aura peine de croire; & comme ce siecle a produit vn si Grand, si Magnanime & si Victorieux Prince, qui n'eut oncques, & n'aura de pareil, soit en guerre, soit en paix, ny qui le puisse esgaller en Pieté, Iustice & Valeur, ou surmonter en Clemence & grandeur de courage.

ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ F.

DAPHNE, SIVE DE LAVRO LIBER.

AD CHRISTIANISS. REGEM HENRICVM IIII.

HINC varios Lauri cultus, viresque latentes,
Et genera expediam; vos ô præsentia castæ
Pierides nostris aduertite numina votis.
Ingenuum colitis placita sub lege pudorem,
Et simili Daphne succensa cupidine pectus
Virgo pudicitiæ castum seruauit honorem.
Tu quoque Phœbe pater, sacræ decus arboris ingens,
En si vllus te tangit honos & cura puellæ
Thessalidos, primi nec adhuc oblitus amoris.
Sollicitam miti demulces pectine flammam;
Huc ades, & tenuem ne dedignare laborem.
Túque adeò nostris, HENRICE, allabere cœptis,
Otia nam pacis colit, & victricia bello
Nomina felici notat omine Delphica Laurus.
Hic tibi qui varios retulisti ex hoste triumphos,
Et noua pacato meditaris secula mundo,
Teximus æternam Lauri de fronde coronam.

PRINCIPIO veteris radice parentis ab ima
Pullulat, aut posito terræ de semine Laurus
Imbriferi surgit sub primula tempora Veris:
Vsque adeò paßim tellus fœcunda mouetur
Vere nouo, & segetes veniunt, & germinat omnis
Arbor, & exiliunt viuo de cespite flores.
Nec minus Autumni crescit per tempora Laurus,
Sed transpone memor, surget felicius arbos.
Tu verò eximiæ ducit quem gloria frondis,
Hanc statue elati propter fastigia muri,
Quem feriat mediam cùm Sol exegerit horam:
Hinc Scythici auertit murus mala flamina venti,
Hinc & Phœbeæ lampas nitidißima flammæ
Ardescit, rapidúmque auget reflexa calorem.
Qualis vbi Phœbus radios in marmora flectit,
Vndique lucidior noua luminis aura refulget,
Et rutilum cumulant aduersa luce colorem
Marmora candenti splendentia Solis ab ictu.
Denique spiret vbi tepidi leuis aura Fauonî,
Elige tellurem, varios quæ Dædala flores
Explicet, éque sinu beneolontia gramina fundat,
Nempe ibi se Laurus meliori proferet ortu.
Nam nec amat sæui grauiora incendia cæli,
Odit & hybernam tristi sub sidere terram,
Hìc vbi perpetuò duras candere pruinas
Cernimus, inductóque gelu durescere flumen.
Hinc licet Euxini magnus Rex incola Ponti
Cimmerius gelidis quà Bosphorus æstuat vndis,
Olim tentarit virides educere Lauros,
Non potuit, tanta est rigidæ inclementia terræ,
Obscuris vel adhuc latet abdita causa latebris.
At se cùm superas attollere tentat in auras
Spargit inæqualem lento molimine subter
Radicem, quæ vi propria nec tramite recto
Progreditur furtim & latebras se fundit in omnes.
Caudice procero surgit, sed cortice læui
Sensim vestitur, succo paßimque liquenti
Humida pinguescit duris imperuia nodis,

Aeternúmque tenet generosæ frondis honorem.
Interea Laurum ne brumæ frigora lædant,
Vndique collectis stipulis & stramine iacto
Cratibus & spissis, aut multi mergite farris
Auerte ætherei malefaustam verticis iram.
Ne quoque feruenti tabescat sidere Cancri,
Languenti multam instilla super arbore lympham,
Irrorans tacito siccas ardore medullas
Cum propè luce acta Phœbus iam tingitur alto
Oceano, sic fors poteris recreare labantes
Arboris occiduæ vitali flumine vires.
Quod si non studium solers, neque cura iuuabit,
Sed tristem perpessa hyemem, vel syderis æstus,
Amittit frondes & languida tempora flectit,
Si non omnino radicibus aruit imis
Arbor, & occulto superans vis insita trunco
Viuit adhuc nutrita fimo, prece numen adora
Solis & inde loci genium, Nymphásque sorores
Implora auxilio prudens, hinc sume laborem
Impiger, ablaquea Laurum, mox pullulat ima
Radice & tenues attollit in æthera gemmas,
Quas poteris tutò externæ deponere terræ,
Surgat vbi totos Daphne rediuiua per artus.
Non etiam arctatur certa regione locorum,
Libera sed crescit, seu manis valle reducta,
Seu campo aprico, liquidi vel margine fontis,
Aut super excelsi frondoso vertice montis.
At melior pingui lætæ venit vbere terræ,
Hinc virides passim fundit mea Gallia Lauros,
Et miramur adhuc si tantos protulit olim
Illa viros, quorum superant è gente nepotes
Pectora Phœbe tibi, & sacris deuota Camœnis,
Quos inter Diuûm pulcherrima cura THVANVS,
Et veteri heroum deductus origine floret
SCALIGER; *& nostri non vltima gloria sæcli*
SCÆVOLA, *vitales duce quo primùm hausimus auras.*
Verùm age nunc Lauri species, aduerte, docebo.
Præcipuè ante alias celebratur Delphica Laurus,

Ingentes baccas gerit, è viridique rubentes
Viuida & æqualem casta sub fronde colorem,
Inde triumphali victricia tempora nexu
Comprimit, & vatum pia pectora numine complet.
Téne breuem nitidis folijs & cortice nigro
Commemorem, atque cauo paßim velut imbrice crispam
Cypria, cui Veneris pulcrum dedit insula nomen?
Tertia Mustace subit, hinc Mustacea quondam
Dixerunt, color albescens & pallidus olli.
Postremò folijs amplißima & arbore longa
Regia, & Augustæ nomen sortita beatum,
Floret odoratis gustu non aspera baccis.
Sunt aliæ porrò species, aliæque figuræ,
Quæ licet inter se diuerso nomine constent,
Sunt radice tamen, foliisque & cortice & vsu
Penè pares, & perpetuò florente iuuenta.
Hinc eadem ratio cunctis & cura colendi,
Hinc idem baccis odor est & frondibus, atque hinc
Vim penitus similem cognato è semine mittunt.
Nunc locus vt Lauri (nam quis mutata puellæ
Corpora, vel veteris nescit figmenta Camœnæ)
Ingenium, & tenui deducam carmine vires.
At sua corporibus quoniam secreta facultas
Semper inest, proprios sensim diffusa per artus,
Non mihi vel causas omnes, vel semina rerum
Aßignare licet, canet hæc quem Delphica Laurus
Excitat, & mentem maiori numine complet;
Sat mihi cœpta humili decurrere munera versu.
Fulmina non metuit Laurus, nec fulminis igne
Cælesti loca tanguntur quibus aßidet arbor.
Hinc pius Augustus victrici ferre solebat
Laurea serta manu, dum summus ab æthere læuo
Fulminat, inuisásque euertit Iuppiter vrbes:
Dic mihi Phœbe pater tantæ miracula causæ?
Imprimis fulmen vapor est qui fusus in altis
Gignitur, at nubes tenuem dum cæca vaporem
Extrudit, præceps obliquo tramite vires
Acquirit leuis ille, atque altis montibus hæret

Arduus, aut celsas turres loca proxima tangit;
Frangitur interea tamen inclinatus ad imum,
Atque etiam medijs plerunque repellitur auris
At vero quoniam ex elementis læuibus extat,
Idcirco rutilum magno ruit impete fulmen,
Obuia præcipuè quatit, & quæcunque morantur
Pondera dissoluens vehementi percutit ictu.
Verùm ea quæ leni mitescunt læuia tactu,
Obsistunt læuore suo, plagámque repellunt.
Tum porrò insinuans sese mox corpora lambit
Fulmen, & aërias abit incita flamma per auras.
Hinc quoniam Laurus vestitur cortice læui,
Obuia fulminibus magis impenetrabilis extat;
Vel quia natiuum nutrit fœcunda calorem,
Non diro infestat cognatam vulnere plantam.
Nunc igitur summis volat implacabile tectis,
Nunc homines ferit, atque horrendo murmure frendens
Vel simulacra Deûm incendit, vel rebus honorem
Decutit, & cæco ruit omnia turbine fulmen.
At quoniam Laurum vigor igneus vndique cingit,
Huic hederam illidas, tremulæ noua semina flammæ
Protinus elicies, tecti vis tanta caloris
Pinguibus occulitur folijs, atque insitus ardor.
Sic Lauri frondes in apertas conijce flammas,
Continuò sonitum geminato murmure reddent.
Sic quoque iuniperi frondes, & pinguis oliuæ
Igni coniectas longùm crepitare videmus.
Denique tu vitem iuxta ne consere Laurum,
Cum nostra æternum vitis gerit arbore bellum:
Scilicet & viti, & crescentibus officit vuis.
Igne suo, & foliorum æterno tegmine Laurus,
Quæ tamen à tetra lætas rubigine messes
Defendit, medios fuerit si fixa per agros.
Illam etiam laruæ & lemures odere, neque vsquam
Apparent semel astiterit si nobilis arbor.
Præterea teneræ generosa ex arbore frondes
Ficubus immistæ siccis & mitibus vuis
Quas Syrijs mittit peregrina Damascus ab oris,

Non ſolùm infeſta longùm à putredine ſeruant
Illæſos fœtus, ſed odoribus omnia complent.
Quid memorem vt teneros Laurus non inuida flores
Proferat externam dignata ſubire figuram?
Dulcibus hæc tegitur ceraſis, & robore læto
Nutrit adoptiuos alieno ex germine fœtus.
Quinetiam Laurus certam ſignare ſalutem
Dicitur, hinc primis Iani plebs tota Calendis
Romanos proceres Lauro ſaluere iubebant.
Illa etenim quoties flamma crepitante crematur,
Si ſonuit, lætis affert bona ſigna colonis:
Si tacuit, mala portendi mox fata minatur.
Vnde adeò luſtris præſens adhibetur & aris,
Vt bona ſuffitu ſacróque piamine paſſim
Abluat immundas cumulato crimine ſordes.
Sic vbi quis Diuûm pia numina læſerat olim
Prætendens Laurum dextra, lychnúmque ſiniſtra
Et genibus flexis reus obrepebat ad aras:
Candida damnatum velabant lintea corpus,
Et ſacra cæruleæ redimibant tempora vittæ,
Nec mora peccati veniam pacémque precatus
Sacra ferens, Diuos ter magna voce vocabat,
Fletibus & multa læſum prece numen adorans,
Mox Laurum, veneranda nefas quæ triſte piaret
Ilicet exurens, ſi fortè exuſta ſileret
Signabat nullis ſcelus inſuperabile votis.
Vt contrà ſonitum repetito murmure tollens,
Placabat læſi contractam numinis iram.
Præterea caſus aperit Phœbea futuros
Laurus, & hinc ſacro pia numine pectora myſtæ
Afflati caſta velantur tempora fronde,
Venturique canunt prænuncia carmina fati.
Quid loquar vt ſuperûm crines & candida Phœbi
Tempora præcipuè cingit? nam frondis honore
Perpetuo notat immortalia numina Diuûm,
Seu quoniam Regumque, Deûmque, & tempora vatum
Innuba textilibus præcingit Laurea ſertis:
Seu quoniam lentis circum velut illita ſuccis

Humida pinguescit, crassa vnde tenacius hærent
Huic folia, & viridi æternùm velamine gaudent.
Illa etiam belli & pacis memorabile signum
Aurea summorum decorat diademata Regum,
Victorumque comas. Nam post victricia palmæ
Præmia, tranquillæ subeunt noua tempora pacis.
Denique fulminei quondam Iouis armiger ex quo
Frondentem Lauri demisit ab æthere ramum,
Liuia quem molli gremio miratá recepit,
Ex illo plausus inter mediósque triumphos
Ornat Cæsareos insignis Laurea fasces.
Insuper Ausonijs quoties Victoria plaudens
Lætitiam attulerat, Laurum veneranda vestustas
Deposuit Iouis in gremio, Lauroque reuincti
Tempora Conscripti, clarißima nomina, Patres
Signauere sacris rata publica vota tropæis,
Et veteres ritus seri coluere minores.
Sic diuûm auspicio nostris cùm nuper in oris
Inuisam externo fudit cum milite gentem,
Et retulit celebres HENRICVS *ab hoste triumphos*
EVRIA *quà tenuem labenti flumine ripam*
Lambit, & effuso latè rubet vnda cruore,
Lætitia exiluere omnes, & virgine Lauro
Signa dedere suam Regi testantia mentem.
Ante omnes trabea indutus fulgente Senator
Dextra prætendens Laurum felicibus astris
Actutum augustas templorum accessit ad aras:
Et tibi ritè memor præconia debita fudit
Summe Deûm, & retulit casto tibi pectore grates.
Ponè sequebantur fidi longo agmine ciues,
Miscebántque preces ad tantæ nuncia palmæ,
Et patris HENRICI *geminato carmine laudes,*
Et decus & sacrum nomen super astra ferebant:
Lætáque florebant viridantibus vndique Lauris
Compita, festiuos meritò renouantia plausus.
Iámque salutiferæ superant medicamina plantæ,
Tu modò Phœbe potens, nostri spes vna laboris,
Rursus ades, tua dona cano, pater optime vatum,

Da mihi, neu pigeat, cœptum decurrere carmen.
Multa quidem generi humano medicamina Laurus
Sufficit, at quoniam vigor igneus inditus illi
Præcipuè intus agit; morbis solet inde mederi
Rheumata quos, vdique creat pituita cerebri.
Præterea baccæ, frondes, sinuosáque radix
Penè gerunt similes ipso cum cortice vires:
Atque oleum, folijs oleum, vel confice baccis,
Aut vtrisque, pari nam sic medicamine præstat.
Interea Laurus neruorum languida pellit
Tormenta, & capitis curat lateri sque dolores,
Debilia assuetum reuocans per membra vigorem.
Pruritum cutis atque horrentia frigora febris
Discutiunt baccæ, & pituitam è corpore ducunt.
At si fortè grauis collectio lumina turbat,
Cum ruta Lauri lectas ex arbore frondes
Attere, sic tetrum facilè purgabitur vlcus.
Melle quoque intritæ frondes suspiria pellunt,
Epotæque cient vomitum, stomachúmque repurgant.
Quòd si etiam internam dolor altè sæuit in aluum,
Sedabit Laurus violentæ tormina pestis.
Denique (si tantum fas credere, nec sua fallit
Ars medicos) fauces vbi tussis anhela fatigat,
Mandere profuerit ternas ex arbore frondes
Per triduum, numero sanabitur impare morbus.
Quinetiam sacro redolentis cortice Lauri
Curantur grauis implacidè quos calculus angit:
Vt contrà (mirum dictu) læduntur eodem.
Cortice si gestent vtero sua pignora matres,
Et necat inclusum prægnanti corpore fœtum.
Quid facias? homini nihil omni ex parte salubre est.
At partus oleum accelerat, ventrémque subinde
Leniter emollit, mensésque vtcunque retentos
Ducit, & extento de corpore flamina tollit.
Præterea sacrum dederit quem Laurea succum
Cum vino vetere instilla, rorémque beatum
Auribus immitte afflictis, medicabitur ægro.
Quin & Lauri oleo, & fragranti melle linuntur

Affectum iecur, & turpis gangrena, liénque
Læsus, & aßiduo membra extenuata labore.
Quid loquar vt viridi pellant fastidia fronde
Graculus, atque loquax merula, aëriæque palumbes;
Sic & cristati purgatur verna draconis
Nausea lactucæ succis, hederáque virenti
Affectus curatur aper, confixáque telis
Purpurei caulem Dictami cerua requirit:
Necminus origano se casta ciconia purgat:
Ipse autem immanis serpentis vulnere læsus
Sponte sua canis extemplo petit vtile gramen,
Atque sibi nullo solet auxiliante mederi.
Vsque adeò certam facilis Natura salutem
Quærere bruta docet, cæcísque occulta latebris
Eruit arcani solers prudentia sensus.
Hinc varios Cœli motus & tempora signant,
Nec sensus, at vocis egent animalia quæuis,
Quæ sint muta licet, tamen improbus ardor edendi
Impulit humanas audire & reddere voces.
Postremò infesti corrupto sidere Cœli
Naribus olfacta, aut crepitantibus vsta fauillis
Pestiferi sistit Laurus contagia morbi,
Præsentique atrum pellit medicamine virus.
Scorpius hinc, & tristis arenea, vipera & anguis,
Vespáque, & horrendis animalia tetra venenis
Omni diffugiunt castam prius arbore plantam.
Nec piget hîc quò me cupidum calor entheus vrget
Ritè sequi & seclis longè mandare futuris,
Qui casus, quæ cura Deûm mortalibus olim
Tot sacræ dederit cognoscere munera frondis.
Fortè venenato lethalis dente colubri
Extinctam Euridicen coniux mœstißimus Orpheus
Lugebat, gemitúque amens cælum omne replebat;
Vicini Eurydicen saltus, vicina sonabant
Littora, nec tanto poterat modus esse dolori,
Cùm pia & indignos nati miserata labores;
Sic illum alloquitur mater; Sate sanguine nostro
Quid tandem infestis liuentia tundere palmis

Pectora, & insanæ iuuat indulgere querelæ?
Imò age fatidicam præsentia pabula Laurum
Ore preme, illa tibi quibus abdita delitet oris
Flebilis Eurydice, & rerum secreta resoluet.
Illa etiam placidum solet aspirare fauorem
Pectora concilians, qua vi commotus & ipse
Dis tibi consortem pacato numine reddet,
Quin &, fata pari ne te discrimine turbent,
Tu quoq; carpe manu Laurum & super intege crines
Tutus eris, tibi seu Stygij nigra flumina regni,
Seu maria, aut terras placeat tentare repostas
Officient nulli spiris immanibus hydri.
Nam sibi vt asseruit Laurum propriámque dicauit
Ipse parens vatum & medicæ Deus artis Apollo,
Illam ne tetris animalia sparsa venenis
Vel tactu infesto, vel iniqui flaminis aura
Fœdarent vetuit, mansuro & fœdere sanxit.
Ergo ne dubita, cythara Lauróque potenti
Fretus abi, Eurydicen superas reuocabis ad auras.
Vix ea Calliope natúmque amplexa reliquit,
Nec mora veridicæ matris præcepta facessit
Numine præsenti firmatus & omine vates.
Temporéque ex illo sacræ vis cognita plantæ.
Hactenus ingenium, cultúmque & munera Lauri,
Ludebam, vteri dum Teucrûm è semine cretus
Composito HENRICVS *belli patriæque tumultu,*
Trans Ararim inuictas inimica per arua cohortes
Explicat & latè sua quà Vesontio tollit
Mœnia, quà pandit se fertilis ora Salini
Cuncta graui ditione premit, longúmque quietos
Sollicitat populos, & partæ præmia palmæ
Ducit, & innumeris interlita signa tropæis.
Interea placido me flumine Sequana fouit,
Nonnunquàm in medio facientem verba Senatu.
Vix bene cùm primi floreret temporis ætas,
Nam dubiæ sortis memor, & securus honorum
Sæpe togæ titulos, & sacræ munera gazæ
Neglexi, mihi sat misero prodesse clienti,

Et mea plebeio ſubducere nomina vulgo.
Hinc ſacra diuinæ Themidis dum publica ceſſant,
Nunc ſtudia intermiſſa, lyræ nunc fila retento,
Et tacitos inter colles nemorúmque receſſus,
Quâ mea ſe lepido tollit Verreria cultu
Innuba perpetuos vbi Laurea fundit odores,
Exigo tranquillam ſecura per otia vitam.

ILLVSRTISS. VIRO
M. MARILLACO
SACRI SIGILLI
CVSTODI.

HOc qualecumque obseruantiæ erga te meæ testimonium exhibere tibi non dubitaui, Vir Illustrissimè quem ob insignia merita summo omnium applausu & communium votorum alacritate ad supremam sacri Sigilli dignitatem honorum apicem & solstitium L. IVSTVS Rex Christianissimus & potentissimus extulit. Neque abi re me facturum quicquam sum ratus, si tibi dignissimo Themidis autistiti & sanctissimo legum custodi, legem Salicam Iustitiæ vindicem & Gallici custodem imperij consecrarem vale.

ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ F.

LEX SALICA.

QVALIS odorato se flore Cydonia malus
Pandit, & externam libri generosa figuram
Sola fugit, propria sed ab arbore mascula proles
Sumitur, & sensim natiuo semine surgit:
Sic vetus vnanimi viguit lex publica cultu
Sola sibi diuûm auspicijs quam Gallia fixit,
Regia dum eternis transcribere sceptra Tyrannis,
Altáque fœmineæ submittere pectora dextræ
Nos vetat, hinc proprior veteri de sanguine Regum
Masculus in regnum Gallorum assumitur hæres.
Fœmina ne ignota socios à gente profectos
Connubijs patrij vocet in moderamina regni:
Scilicet vt natam tectis amandet auitis,
Argentum pater atque ingentia munera doti
Dicit, & externas longè transmittit in ædes:
Et tamen accipiet dotales fœmina Gallos?
Hoc vetuit Deus omnipotens, qui numinis aura
Dum pius immensi primordia condidit orbis
Fœmineum genus atque viris animalia passim
Subiecit, Natura parens ne læsa maneret
Ordine peruerso. Quid enim si Cynthia Solem
Dirigat, insolitis fuerit si motibus aër
Excitus, an stabunt superi fulgentia cæli

Conuexa, & nostri communia fœdera mundi?
Nec verò externos in Gallica regna vocari,
Vel patrio ignotam admisceri sanguine stirpem
Fas & iura sinunt, quid enim infelicius orbi
Aduena quàm imperij nostri si flectat habenas?
Hinc passim noua iura daret, rerúmque tenorem
Verteret assuetum, & ritus aboleret auitos:
Hinc etiam hospitibus primos conferret honores,
Præmiáque, & cæco confunderet omnia motu.
Adde quòd indigenas longè pulcherrima rerum
Gallia non tantùm sibi Reges tempore ab omni
Suffecit, sed & Europam Libyámque per omnem,
Atque Asiam dominos, Regésque, & semina Regum,
Læta virûm partu sacro de visce fudit,
Qui totum implerunt factis illustribus orbem.
Sic etiam innati cor prima caloris origo,
Non modò vitalem generat sibi primitùs auram,
Sed viuo igne micans membris vtcunque ministrat
Vndique diffusam sensim per corpora vitam.
Gallica lex salue, qua domum sospite nunquam
Defecit Regum indigenùm pulcherrimus ordo:
Sic dum Palladium stetit alto in culmine templi,
Laomedonteæ felicia mœnia Troiæ
Non dubij sensere vices, aut vulnera fati.
Vnde nec Hispanæ fraudes, nec vota Britannûm,
Non procerum ambitio, non plebis iniqua furentis
Seditio, sanctam potuerunt vertere legem,
Et firmum imperij conuellere fundamentum.
Illa quidem à prima nascentis origine regni
Nomen habet, memorique olim seruabitur æuo.
Scilicet vt sacri Clodouæum copia roris
Abluit, & primas dětersit pectore sordes,
Ilicet ille Deo plenus, populósque ruentes,
Et Gotthum immanem crudeli strage repressit.
Interea dum fortè preces fundebat ad aras
Rex pius, oranti pura se in veste sacerdos
Obtulit, albentes circumdabat infula crines,
Lætáque cæsaries barbæ promissa nitebat.

Tum Regem senior manifesta in luce refulgens
Ocyus inuadit, verbísque affatur amicis.
Sorte tua lætare Dei castissima cura,
Primus enim ducis Christi de nomine nomen,
Et tua quæ meritis olim florebit & armis
Posteritas, tanti referet cognominis omen.
Quod superest, tib fatorum secreta resoluam,
Tu modò quæ dicam sacro sub pectore serua.
Qui prior imperij flexit Pharamundus habenas,
Conscripsit patriam communi fœdere legem,
Quam Salicam dixere Patres ab origine prima,
Seu Salia de gente, Sala seu flumine ductum,
Seu quocunque alio fluxit de nomine nomen.
Illa quidem tenuis paruæque simillima virgæ,
Quam bene si læta surgentem foueris vnda,
Crescet & aërias noua se feret arbor ad auras.
Tu quoque Rex legem Salicam tutare, potentis
Præsidium regníque decus columénque manebit.
En huius tandem auspicijs amplissima Regum
Nascetur series, pauidum qui vindice dextra
Firmabunt Tyberim atque oppressæ mœnia Romæ,
Purpureósque patres, & relligionis honorem
Seruitio eripient spolijs Orientis onusti.
Illi etiam monitis olim cælestibus acti,
Nunc quà Sol oritur, nunc quà se condit in vndas,
Protendent varias Gallûm vexilla per oras:
Non illos pater Oceanus, non Syrius ardens,
Non Aquilo, non bruma rigens tardabit euntes.
Nec minus interea pro libertate suorum,
Pro patria noua bella gerent, & sanguine fuso
Seruabunt Salicam per mille pericula legem.
Fœmina vel fuat externus, discrimine nullo
Pellentur sceptris. neque enim dignabitur vnquam
Iussa aliena pati, sed erit dum Gallia, liber
Sequana labetur patrio sub numine Regum,
Quos inter veteri deductus sanguine surget
LOÏSIVS, *qui te referet pietate vel armis*
Insignem: supero nam pectora flamine plenus

Cultum instaurabit Christi & pietatis amorem:
Dúmque olim Europam sceleratis proteret armis
Maometes, gelidáque ruens immanis ab Arcto
Gens effrena virûm complebit milite campos,
Tunc se LOÏSIVS *violento conferet hosti*
Magnanimum, & meritò tanti noua pondera belli
Suscipiet, versísque Asiæ dabit otia rebus.
Nec mora terga fugæ attonitus cum milite fuso,
Maometes dabit, & latebras, & inhospita tesqua,
Caucaseósque petet sinuoso tramite saltus,
Et victum extremis Scythiæ se occludet in antris.
O castam IVSTI *quæ tangent gaudia mentem!*
Dum nunc depressa pius in conualle Damasci
Victricem auellet palmarum è fronde coronam,
Dúmque salutiferi venerans augusta sepulchri
Marmora, secreto loca numine plena reuoluet.
LOÏSIVM *Syriæ resonanti murmure syluæ,*
Altáque Carmeli rupes atque antra sonabunt.
LOÏSIVM *placido assultans sub fluminis alueo*
Iordanes referet pater, ingentésque ciebit
Fluctus, & superis caput altum interseret astris.
Vix ea veridico Dionysius ore locutus,
Cùm procul in tenuem ex oculis euanuit auram:
Tum pius insolita lætatus imagine rerum,
Vota Deûm Regi duplicat Clodouæus, & alto
Consilia atque nouas agitat sub pectore curas.

ABELII

ABELLII SAMMARTHANI SCAEVOLAE FILII

HYMNORVM LIBER.

ILLVTRISSIMO VIRO

CAR. ALBASPINAEO

CASTRINOVI MARCHIONI

ET SVMMO SACRI SIGILLI CVSTODI.

NVLLVM dignius, neque tibi, (VIR ILLVSTRISSIME) gratius deuoti animi testimonium fore existimaui, quam si quæ Regem & Pietatem spectarent, tibi consecrarem. Siquidem temerarium iudicabam nomini tuo quicquam inscribere quod excelsæ nobilitatis & dignitatis tuæ lucem perferre non posset. Etenim splendida veterique familia, longa serrè, pluribusque & magnis cognationibus illustri progenitus, & in suprema Regni Curia Senator vix adolescentiam egressus singulare virtutis & doctrinæ specimem exhibuisti: Teque postmodùm Rex Christianiss. nobilem & generosam indolem admiratus ad summam sacri Consistorii dignitatem euexit; Deinde Oratorem ad Germanos Belgas & Anglos & alios Principes legauit, in quibus celeberrimis & maximi momenti legationibus, incomparabilis tua rerum agendarum peritia & industria feliciter enituit, tantòque præclariùs & maiore cum dignitate perfunctus es, quod omnia secundum Regis voluntatem regnique gloriam transacta fuere. Tu quoque, VIR AMPLISSIME, Regis equestrum Ordinum Cancellarius extitisti, qui honos ad maiorem tibi viam aperuit, & velut Hesperi nitentis stella prænuntia diem serenissimum signans, sacri Sigilli custodiam significauit. Emicant in te innumeræ & hoc tāto grauissimi muneris apice dignæ corporis animique dotes, iudicium, expedita solertia, sanguis excelsus

augusta species, in regem & patriam indefessus amor ac pietatis & iustitiæ tenor cõstans & inuiolabilis. Te Deus in hoc fortunæ splendore conspicum longissimè seruet & sospitet incolumem, vt ad Regis Gallicique nominis dignitatem, in hoc perpetuo felicitatis tenore diu permanea.

AD EVNDEM ILLVSTRISS. SACRI SIGILLI CVSTODEM.

Maxime vir, sacri tibi credita cura Sigilli,
Et tibi depositum sacrarum nobile legum,
Creduntur que sacri veneranda oracula Regis,
Ergo tibi sacri debentur iustiùs Hymni,
Queis IVSTI pietas, diuis gratissima, causam
Præbuit, impositi officij dum iussa peregi.
Si pietas, si Regis amor, si gloria tangit
Te Fidei, si Pieridium pia cura sororum,
Hinc minor æternis non te noua gloria pennis
Attollet, quam nobilium generosus auorum
Sanguis & illa tuæ veteris decora inclyta gentis.
Hoc petit ingenitæ stimulus pietatis, & alto
Pectore fixa tuo quæ tendit in ardua virtus,
Felicemque tibi studiorum inspirat amorem,
Spondet & illæsum mansuræ laudis honorem.

ABELLII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ FILII, HYMNORVM LIBER.

HYMNVS LVDOVICI IVSTI Regis Christianissimi & Potentissimi

In sacram EVCHARISTIAM.

DVM morbus furit, aurea
Cœli sydera cogito,
Sumptâ protinus Hostiâ,
Cedit corpore languor.
O vis Numinis efficax,
O Sanctæ Fidei & Spei
Virtus, in quibus vnica
Fulget aura Salutis.
Quod non lumina, non valet
Sensus prendere, concipit
Ipsa vis animi, Fides,
Et mens altior astris.
Felix, qui Dominum pia
Credit esse sub Hostia,
Miser, qui Dominum negat
Viuo pane latentem.
Felix Hostia, quæ pijs
Sola vita, quies, salus,
Te nostris animis ducem
Vero corpore misces.
Hinc, tedante subit nouus

In præcordia viuidus
Mutata specie vigor
Firmo robore pollens.
Me, dum luce frui licet,
Cælesti dape refice,
Et tandem supera foue
Sacri Numinis aura.

In eandem sacram EVCHARISTIAM.

H*Ostia sacra*, DEI, *Patris inuiolabile donum,*
Quam bene vita bonis, exitiumque malis
Scilicet hac sumptà, mortis formidine pulsa,
Sancta mori IVSTVM *Numinis aura vetat.*

DEO OPT. MAX.

S*Vpremi artheris arbiter,*
Et rerum sator & salus,
Quo te carmine, te quibus,
Pater laudibus ornem.
Nempè vox hominis Deum,
Et mortalis homo Patris
Immortale Dei decus,
Cantu num bene tollet?
Sensus corporeos fugit
Dei summa potentia,
Humanas renuens vices
Vitæ & funeris expers.
Tu non vllius indiges
Præsenti auxilio, potens
Gignis omnia & vndique
Moues omnia primus.
In te iugiter omnia
Vertunt, protinus & ruunt,
Eunt & redeunt simul,
Contenduntque vicissim.

Quicquid terra parens ſuo
Sinu amplectitur, & leui
Vnda continet æquoris,
Tibi ſubijcis ipſi.
Atquè hinc quicquid adeſt, viget
Quodcumque, atque vbicumque ſit
Ipſe idem Deus vndique &
Viuis quicquid vbique es.
Rerum contigit omnium
A tè ſumpta tibi hactenus
Cura, & Imperij tibi
Cedit tota poteſtas.
Tu latè excipis omnia,
Omnemquè exuperas modum,
Tequè rebus, & omnibus
Addu mentibus vnum.
Dum te præcipuè vides,
Latè proſpicis omnia,
Quæ totum mare, quæ polus,
Et quæ continet orbis.
Totum es quod pede lubrico
Conſpexit fugiens dies,
Quod præſens hodie videt,
Aut ventura videbit.
Hinc & ſingula ſingulis
Præſtas diuite dextera,
Atque hinc omnibus omnia
Largè ſufficis vnus.
Aſtra tu rutilantia
Suſpendis nitido polo,
Telluremque ſub æthere
Suo pondere firmas
Tu ſecernis aquas aquis,
Et potens ſua cærulo
Ponis littora Nereo,
Quæ non porrigit vltrà.
Lunam noctibus, Heſpero
Præponis rutilo aureum

Solem lumine ſplendidum,
Orbis cuncta regentem.
Dein certà vice temperas
Cœli lucida ſidera,
Terræ maxima pondera
Et vaſti æquora Ponti.
Sed hæc hactenus, ô ſua
Nam quis mente ſatis colat,
Quem mens nulla ſatis queat
Digno tollere cantu.
Et quis pectore te ſuo
Summum concipiat Deum,
Quem non continet & capit
Terra Pontus & Aer.
In te ſpem poſui meam,
Salutis pater Optime,
Ergo rebus in aſperis
Audi ſæpe vocantem.

CHRISTO DEI FILIO.

SAnctæ Virginis vnica
Proles, deque Deo Deus,
Fine & principio carens,
Summi conditor orbis.
Quique flamine Spiritûs
Sancti, verus homo ſubis
Caſta è matre Deus,
Noſtri in luminis auras.
Supremi ſolio Patris
Olim miſſus ab aureo,
Deus verum hominem induis
Noſtræ tegmine formæ,
Duri funeris vt potens
Victor, morte vicaria,
Pius turpia diluas
Noſtræ crimina culpæ.

Circum

Mox ad patris Olympici,
Circum stantibus Angelis
Remigras solium, illius'
Iram pectore pellens.
Illic cœlituum choro
Cinctus, progenies Dei
Ad dextram patris assidens,
Atrum vincis Auernum.
Et patrocinio tuo
Reos protegis, alleuans
Lapsos & placida caps
Nostras aure querelas.
Ortu, CHRISTE *parens tuo,*
Occasum generis fugans
Humani, tenebras tuo
Vultûs lumine pellis.
Orcoque Elysias plagas,
Terris lucida sidera,
Lætos & nebulis dies
Æterna vice mutas.
Paterni imperij Deus
Consors, vis sapientiæ
Æternæ, colimus tuum
Flexo poplite nomen.
Præsenti tua robore
Tutos dextera protegat,
Hostili eripiens manu,
Tuo numine salu os.

SPIRITVI SANCTO.

D*Eo maxime maximo*
Et nato similis Deus,
Sanctæ viscera virginis
Casto flamine complens
Vlla vi sine, sordibus
Sine vllis, vtero potens

Te sensim insinuans fluis
In terram actus Olympo.
Vnde sydereo subit
E partu soboles pia
Quæ mundi veterem suo
Culpam sanguine tollat.
Surgit pneumate de tuo
Ventus, æthere qui ruens
Mentes permeat vndique
Sacri numinis aura.
Lux de Sole tuo micat,
Sancto numine quæ potens,
Humanos supero ignea
Lustrat lumine sensus.
Viuo è fonte tuo fluit
Abundè æthereus liquor,
Nostra qui rigat vndique
Sacris pectora lymphis
Ignis fomite de tuo
Fulget, qui vigilem inijcit
Æstum cordibus intimis
Viua incendia miscens.
Durum flecte animum illius,
Qui vel munifica manu
Cum possit, miserus negat
Largiri benefacta.
Mentes igne tuo foue
Gelu frigida pectora,
Vt sui pia proximi
Incendantur amore.
Pendet numine de tuo
Mundi vera salus, viam
Pande, quæ facilis pia
Cæli tollat ad astra.

D. MARIÆ virgini.

V*Irgo maxima virginum*
Sæcli vatibus aureis

Præscita & nitido sacri
Dicta pectine Regis.
O virgo sata filio,
Et tui patris inclyta
Mater, atque puerpera
Tanto pignore felix.
Mater optima Filium
Quæ mundo paris optimum,
Tetra qui populi sui
Bonus crimina soluat.
Patris optima Filia,
Piam quam genuit Deus,
Se cuius Superûm pater
Casta conderet aluo.
Homo, quæ licet abdita
Nostro corpore, non tamen
Fœdaris pia turpibus
Sacli sordibus vllis.
Heroina, poli Decus
Et augustior omnium
Quæ sacro diademate
Cinctæ tempora Fulgent.
Diua, quæ reliquas poli
Maior exuperas Deas,
Omnis vndique nobili
Maiestate refulgens.
Sponsa Principis optimi,
Ore quæ roseo decens,
Et præstans niueo nites
Læti lumine vultûs.
Amica ætherei Patris,
Quæ mentem illius vnicam
Incendis, pia contrahens
Castas pectore flammas.
Serua, quæ Domini tui
Nutus mẽte piâ fouens
Obseruas, & amabili
Cultu iussa facessis

Augusti Domina ætheris
Quæ Solis iubar induis,
Et Lunam pedibus premens
Cæli sydera calcas.
Campi nobile lilium,
Et horti Rosa mystica,
Quæ suauem vndique in aëra
Latè fundis odorem.
Poli ianua quæ pates,
Stella candida quæ micas,
Ad cælum via lactea
Leni tramite tendens.
Astrorum solio sedens,
Meas ad Dominum preces
Defer, vt miserum sua
Bonus protegat vmbra.

D. MARTHÆ virgini.

ECquis tunc animus,
Ecquis lætitiæ fuit
Sensus, denique quæ tibi,
Casto in corde voluptas?
Quùm te Cælicolûm pater
Inuisit, tua eum subit
Tecta & sydereo beat
Sacri lumine vultûs.
Pascis ædibus in tuis
Humanis dapibus Deum,
Te contra ætherei poli
Blando nectare pascit.
Æternum ædibus in tuis
CHRISTVM *suscipis hospitem,*
Te sancti quoque suscipit
Alto in vertice cæli.
Primæ, post Domini piam
Parentem, placuit tibi

Illæsi studium & decus
Immortale pudoris.
Hinc te supplicibus colit
Turba cælica virginum
Votis, atque adolet tua
Sancta altaria flammis.
Dumque finitiuos locos
Infestat fera bellua.
Compescis precibus pijs
Illætabile monstrum.
Hinc te cantibus annuis,
Tanto munere sospites
Fælices Rhodaui incolæ
Celsa ad sydera tollunt.
Votis propitium tuis
Nobis tu quoque maximum
Blandè concilia Deum
Longa in sæcula vitæ
Firmum vt præsidium in Deo
Locantes, iuuet vndiquè
Procul cordibus intimis
Cæcos pellere motus.

D. GENOVEFVÆ.

Genouefua tui decus
Et laus Parisij soli,
Quas culto meritas tibi
Canam pollice laudes?
Seu dum vallibus inuiæ
Nanterræ, teneras oues
Pascis pruta per herbida
Letis alba pruinis.
Seu dum montibus arduis,
Seu dum fluminei sedes
Iuxta littora Sequanæ
Laudans ore Tonantem.

Seu dum pectore candido
Diuum perpetua fide
Germanum teneri colis
Primo flore sub æui.
De te plurima qui pius
Vates omine præscio
Dixit maxima sæculis
Olim mira futuris.
Vrbem tu quoquè patriam
Hostis dùm fremit impotens
Nostrisque arcibus imminet,
Dextro numine seruas
Hinc te dum rabies furit
Belli, dum fera siccitas,
Atque imber nimius premit
Puro corde vocamus.
Castam tu quoque coniugem
Dictam nomine de tuo,
Et natos geminos dea
Audi sæpè vocantes.

DIVIS COELITIBVS.

FElix, Cœlituûm cohors,
Et cœli decus aureum,
Inter Angelicos choros
Viuo lumine fulgens.
Cum rerum Domino tibi
Consors vita Deo fluit,
Consors & requies manet
Nullis obruta curis.
Hinc cultu pietas nitens,
Illinc religio & fides,
Te pernicibus extulit
Super sydera pennis.
Humani generis preces
Defers ad Superûm patrem,
Nec finis precibus tuis

Euanescere in auras.
Tu lætis oculis iubar
Solis conspicis aureum,
Cuius lumine splendido
Passim cuncta beantur.
Felices animæ poli,
Adscriptæ numero Deûm,
Nobis rebus in asperis
Omni luce canendæ.
Sanctus vestra suo pat er
Lustrat pectora Spiritû,
Et vos perpetua fouet
Sacri flaminis aura.
Summi delitiæ Dei
Floretis Superuûm in domo,
Idumæa velut nouo
Palma colle virescit.

PARAPHRASE DE L'HYMNE DV ROY A LA SAINCTE EVCHARISTIE.

Du Latin du Sieur De Saincte-Marthe.

COMME le mal me va pressant
Au Ciel tous mes vœux addressant,
Ie pense en Dieu qui me recrée
Et soudain par puissans ressorts,
Ayant pris l'Hostie sacrée,
La langueur s'enfuit de mon corps.
O! que mes Esprits abbatus
Sentent bien l'effect des vertus
De la Foy & de l'Esperance
Qui me soustiennent iour & nuict!
Et en qui l'vnique asseurance
Du Salut eternel reluit.

Dans le ſecours que ie reſſens
Ce que la foibleſſe des ſens
Et les yeux ne peuuent comprendre,
La Foy viue le conçoit mieux.
Et par elle peuuent l'apprendre
Les Eſprits plus hauts que les Cieux.

Heureux qui croit aſſeurément,
Ne le voyant pas clairement
Son Sauueur dans l'Hoſtie Sainćte!
Mal-heureux qui d'erreur taché,
Ne l'adore remply de crainte,
Deſſous ce pain viuant caché.

Heureuſe Hoſtie, des Pieux
La vie & repos gracieux
Par tant de graces reconnuë:
C'eſt bien par ta ſeule faueur
Que mon Ame eſt entretenuë
Du vray Corps de mon doux Sauueur.

De la tout transformé en toy
Par l'effećt d'vne Sainćte Foy
Tu me fais changer de viſage
Et ſans plus ſouffrir de rigueur,
Me rends de mes forces l'vſage
Dans vne nouuelle vigueur.

Pendant que ie iouis du iour,
Repais moy en ce bas ſejour
De cette viande Celeſte,
Et en fin dans l'eternité
Rends à mon Ame manifeſte
L'eclat de la Diuinité.

L. FOVQVETEAV Adu.

ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ F. SYLVARVM LIBER.

AD IOANNEM SANBONETVM TOIRASSIVM ILLVSTRISSIMVM & generosiss. Equitum Tribunum.

DVM cædes victor cumulas, pressúmque furenti
Obsidione Reæ castrum deffendis, & inter
Mille neces & mille feri discrimina belli
Infesta Anglorum contra molimina seruas,
Confusas equitum fundens, peditumque cateruas,
Tristia dum Gallis & barbara iussa minantur,
Dum quoque Casalium Imperij, Hesperiæque potentis,
Viribus oppressum iunctis tutaris, & ipsum
Non renuis tantis caput objectare periclis;
Sis licet inclusus, tamen extra moenia tendens
Per medios enses victor, densósque maniplos
Irruis & stragem fundis sparsúmque cruorem:
Auspicibus Superis latè timor occupat hostes,

C

Turbatique fremunt, & longè turpia vertunt
Terga fugæ, terror, vis horrida, feruidus vrgent
Hinc furor, hinc vindicta fremens & mortis imago.
Sic Leo magnanimus quem plurima continet antro
Turba venatorum, simul & circumsona cingit
Turba canum, furijs extemplo incensus & irâ
Exilit, inuaditque viros, letumque minatus
Dissipat vngue canes, hominesque & dente feroci
Victor humi passim fugientia corpora sternit.
Macte agedum, TOIRASSE, *decus memorabile Martis.*
Et dubiâ occulti fati sublimior aurâ,
Te noua longinquum virtus diffusa per æuum
Orbis & Oceani per tot confinia tollet
Splendida victuris præcinctum tempora palmis.
Hanc tibi nostra canunt venturam carmina sortem:
Non quod me affectu immeritum dignaris amico:
Sed quia parta tibi rarissimâ gloria dextra
Spondet inextinctam meritis post funera vitam.

AD IOAN. GVLARDVM BENEARNVM BRASSACVM Regis ad summum Pontificem Oratorem Illustriss.

QVALIS *gemma nitens dignum quæ lucida nomen*
Puro a Sole trahit viuo splendore refulgens,
Sideris ad speciem rutilantis spargit in orbem
Albentes radios & candida lumina flammæ
BRASSACE, *nobilium decorat quem sanguis auorum*
Arbiter armorum Deus & Cyrrhæus Apollo,
Et Pietas & rara Fides & conscia virtus;
Talis vbique micas Romanâ illustris in aulâ,
Præcipuus Regis Legatus, ab illius alto
Numine splendorem ducens & robore forti
Principis ad nutum IVSTI *generosa per Orbem*

Innumeris edis monumenta insignia factis.
Hæc Tiberis videt & miratur in æquoris vndam
Illabens, variasque vehis telluris in oras,
Et quà Sol Ponti caput imo è gurgite tollit,
Oceani Hesperijs & quà Sol tingitur vndis.
Viue diu & Franciæ decus immortale Coronæ
Tutare & tanti victricia Lilia sceptri
Principe sub tanto, Regis fidóque ministro
RICHELIO, *queis nulla pares vel protulit æuum*
Præteritis seclis, vel postera profert ætas.

ILLVSTRISS. VIRO

I. SERVIENTIO SACRI CONSISTORII CONSILIARIO & à sacris mandatis & iussis.

SIM *licet ignotus tibi, me notissima virtus*
Et tua tot dubijs prudentia cognita rebus
Impulit vt vires animi solertis, acumen
Ingenijque tui celebrem, dum lucis in auras
Edisti varias generoso in pectore dotes,
RICHELIVM *Heroem belli cui summa potestas*
Italici concessa fuit, per bella, per enses
Dum sequeris, durique ferens incommoda Martis
Officij & fidei IVSTO *pia munia præstas.*
Tu quoque TOIRASSO *forti comes additus vnà,*
RICHELII *instructus monitis, oracula tanti*
Prouidus obseruas Heroïs & ardua prudens
Exequeris commissa tibi tot pondera rerum,
Alpinique niues superans atque auia saltûs
Italiæ proceres inter sub numine IVSTI,
Certa salutiferi componis fœdera pacti.
Atque hinc Alpinæ celsissima deuia rupes
Marmoreis incisa iugis tua nomina seruant,

Ipsáque vicinum iuga pertingentia Cælum
Attollunt superos tua tot monumenta per axes.

ILLVSTRISS. & REVERENDISS.

GABRIELI BELVALLIO

IVRIENSI ABBATI.

HÆc cape perpetui certissima pignora nostri
Obsequij; leuis vt vanescit in aëra ventus,
Lanugo vt volitans tenui dispargitur aurâ,
Spuma tumens vt præcipiti fluit acta procella,
Sic astus ficti fluit insidiosus amici;
Sic fucus perit, & vani leuis ardor amici.
At contra nullis technis, non fraudibus vllis,
Vt tua solliciti mens oppugnatur amici.
Illa mari vt medio rupes immobilis hæret;
Sit licet & ventis & tristibus icta procellis.
Hoc facit ingenitus fidei tibi candor, honesti
Vis animi, pietas & sancti vera cupido,
Infixusque tibi stimulus virtutis, & alto
Sanguine summorum splendor spectatus auorum.

ILLVSTRISS. VIRO

IO. FR. THEODORO NESMONDO

SACRI CONSISTORII ASSESSORI,
& supplicum Libellorum Magistro.

VT rosa purpureos inter nitidissima flores
Lætum nacta solum terræ, cælique beatam
Temperiem, longè maiorem effundit odorem,
Viuidiórque micat generosis insita campis:
Maxime vir, nostri decus inuiolabile secli:
Sic Astræa tuo certam sub pectore sedem

Constituens sancti monumenta illustria Iuris
Exhibet & populis diuina oracula pandit.
Nam pudor illæsus, doctas cultumque per artes
Ingenium, & pietas, placidæque modestia mentis
Téque tuúmque vehunt nitidum super æthera nomen;
Totque tuis meritis insignia præmia soluunt.
Sanguinis hoc agit alta tuæ vis insita menti;
Dum patris & matris generoso stemmate florens
Fulsit Aquitanis regionibus aurea condens
Secula & insani contagia turpia secli
Expulit, & Themidi sacrum instaurauit honorem.
Felix ergo agedum felix, quem plurima virtus,
Nobiliumque vetus commendat sanguis auorum,
Et varijs meritum titulis illustribus ornant.

AD
I. MARTINIVM
SACRI CONSISTORII
Assessorem.

MARTINI, *quem Richelij memorabile tangit*
Herois decus & varias noua gesta per oras;
Cerne quid ingenium, quid possit viuida virtus,
Et pietas & honos & puro in pectore candor.
Dum IVSTI *auspicio Richelius imperat vndis,*
Ingenio atque animis pollens, genióque potenti
Dissipat hostilem turbata per æquora classem.
Dum IVSTI *auspicio Richelius imperat armis,*
Gallorum titulis Europam illustribus implet,
Et pedibus colla impositis hostilia calcat,
Dum precibus superis Richelius imperat astris,
Propitium cæli trahit ad sua vota Parentem.
Richelij sic arbitrio & victricibus armis
Auspicijsque cadunt IVSTI *felicibus hostes.*

EXCERPTA EX PSALMIS.

EN rapidis ventis mare sum prouectus in altum,
Horridáque & cæcis tempestas atra procellis
Ecce ruens fundo ferè me demersit in imo.
En fluida velut humor aquæ voluentibus vndis
Sum sensim effusus, fluitant dispersáque passim
Ossa mea internis dudum liquefacta medullis.
Denique facta mei tandem pars optima cordis
Ventre velut medio mollissima cera liquescens
Scilicet ærumnas & acerbi tædia luctus
Inueni & diri monumenta æterna doloris.
Ergo sub extrema venientia lustra senectæ
Ne me tot curas inter, tot tædia rerum
Desere, sed Deus omnipotens pater, atque hominum Rex,
Contemptus atque opprobrij fastidia tandem
A me tolle procul, dextram reserare potentem
Si lubet omnigenis tunc vndique fructibus imples,
Omnia diuersisque beas animantia donis.
Certè ego pubentis primæuo flore sub æui,
Et postquam infecere seni sua tempora cani,
Non iustum rejectum, inopes, iustique nepotes
Non vidi lucem in tenebris luctúque trahentes.
Hinc si forte mihi video consurgere bellum,
Spes erit in Domino, si totum Marte superbo
Feruere & instructum bellis furialibus Orbem
In me conspicio, rabies atque impius horror
Non mihi frigenti pectus formidine soluet.
Nempe Dei nomen supplex in vota vocaui
Ætherei attollens oculos ad culmina montis:
Vnde mihi spes auxilij blandissima surget,
Et bona munifici fluet indulgentia Cæli.

AD ERVDITISS. VIRVM
FR. CITESIVM REGIS MEDICVM.
Epistola.

SALVE *Phœbei laus & noua gloria cœtûs.*
Quid mirum si te, CITESI *dignissime, summo*

Prosequar affectu, meritos & amicus honores
Gratulor ac concessa tibi tot signa fauoris?
Postulat hoc Genius fœlix, nostrique parentis
Prouida mens, qui te primis dilexit ab annis,
Pictanicæque iubar decus & memorabile gentis
Carmine præsago venturi Scæuola dixit.
Postulat hoc patriæ ratio iuuenilibus annis,
Quæ non decores sibi nos produxit alumnos
Et similes animos concordi fœdere iunxit.
Idque iubent placidæ castissima numina Musæ,
Astu quæ nullo vel fraudis tegmine fallunt;
Sed nos ambrosiæ succis & nectare dulci
Parnassi medio pauere in vertice montis.
Tu quoque dexter ades, bonus applaudisque canenti,
Dum mea quæ Superûm resonant pia carmina laudes,
Nonnihil augustas demulcent Principis aures:
Digna tuis meritis benefacta rependere nostræ
Non opis est, dignas tibi vel persoluere laudes.
Donarem insignes gemmas, aurique talenta:
Respuis, argenti nec te capit vlla cupido:
Vel potius blandæ cytharæ te pectine dulci
Forsitan æterno veherem super æthera cantu.
Sed quis te melior culti resonantia plectri
Fila mouere potest, tibi non quoque Cinthius author
Nec desunt faciles Diuæ, te proluit amne
Castalis vnda suo, potes vnus carmine culto
Texere perpetuam tibi longa in sæcula famam.
Sic fortunatæ viuax regionis alumnus
Natiuo cineri incumbens, noua munera vitæ
Restituit sibi purpureis Orientis in oris,
Non operâ vllius sibimet reparabilis ales.
Sed satis hæc, nostræ longos producere in annos
Fœdus amicitiæ concedant Numina Diuûm.

CLAR. VIR.
I. CARPENTARIO ILLVSTRISS. CARDINALIS
DVCIS RICHELII à Consilijs & mandatis.

CVM tot RICHELIVS *numerosa negotia regni*
Sustineat, decus & victricia Lilia IVSTI

Principis ad Cœli sublimia sydera tollat,
Nil mirum sibi te si legerit ille ministrum.
Hinc tu nobilior longis memorabile seclis
Quod te secreti, puræ fideique tenacem
Nouerit, augustæ cui sancta oracula mentis
Credat, & ingenio vtatur dextráque fideli,
Per tot difficiles rerum bellique procellas,
Indomitos per tot fluctus, queis Gallica nauis
Concutitur magni vesana per æquora Ponti,
Quæ tandem impulsu Zephiri recreata tepentis,
Plessiáque aurâ, Cælo, pelagóque fauenti
Fluctibus è medijs præstantior ecce resurgit.

AD
SACRAM D. VIRGINIS ÆDEM
& fontem Ardilleriæ in Andibus.

SANCTA *domus*, MARIÆ *dignissima Virginis ædes*,
Cuius in augusto venerandi fornice Templi
Innumera eduntur superæ miracula dextræ.
Fons Ardeleriæ, qui nectare dulcior omni
Proluis humanæ deuota tot agmina turbæ,
Quique potens lymphâ & medicamine fortior omni,
Vulneráque & morbos, culpásque & crimina sanas,
Tollis & infestos animique & corporis æstus,
Vt veneror vos ipse lubens & pectore toto
Diligo & ardenti studio complector in æuum.
Nec tantùm mihi vestra placent pia templa, vel ædes,
Vel tecta & vario constructa palatia sumptu,
Nec tantùm viuæ liquidis è collibus vndæ
Surgentes, vel saxa placent, vel deuia montis,
Vel nitidi varijs herbis & floribus horti,
Cernitur vnde fluens Ligeris dum currit in æquor,
Quantùm vestra placet pietas, cultusque potentis
Numinis & sancti venerandæ Matris IESV,
Qui post exacti purissima tempora cursus
Spondet inoffensum vitæ melioris honorem.

ABELII

ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ F. MISCELLANEORVM LIBER I.

AD RENATVM SAMMARTHANVM MARINII, CHESALII ET VALLIS aureæ dominum.

PATRVE, quem pietas decorat, vitæque fluentis
Innocuus sine labe tenor, doctrinæ per artes
Exculta ingenuas, puræ fideique modestus
Candor & illæsæ prudens solertia mentis,
Quid mirum si te laudis decora inclita tollant?
Scilicet eximijs nomen virtutibus ornas,
Seu gentem insigni materno è semine ductam,
Spectemus, generis seu clarum stemma paterni
Nobile quod viget & viguit, seu pectore casto
Nostra lapsa polo placuit Themis aurea genti,
Numinis ætherei placuit vel cura, vel vrbis
Pictonicæ commissa salus, vel bellicus ardor,
Regia vel sacræ custodia credita gazæ.

Hæc autem obsequij cape debita pignora nostri:
Viue diu placida tranquilla per otia vita,
Præsidium, nostræque caput memorabile gentis.
Patribus è nostris superas felicior vnus,
In quo fortunata domûs tutela recumbit,
Prospera qua longos tecum mansura per annos
Auspice te licet inuidiâ renuente vigebit.
Qualis præsidio suggesta columna potenti
Sustinet annosi sublimia culmina tecti,
Quam non præcipiti concussus turbine ventus
Deijcit, aût rigidi quatit inclementia Cæli:
Pondere sed firmata suo sublimis in altum
Tendens longinquum manet inconcussa per æuum.

IN EIVSDEM EFFIGIEM.

VT viua effigies natiui lumina vultus
Et doctæ præstans exprimit artis opus!
Sic index animi facies tua, mentis acumen
Et viuum illustri spirat ab ore decus.

HYMNVS SANCTISSIMÆ TRINITATI.

PINE & principio carens
Beatissima Trinitas;
Nullo peruia pectore,
Nullo peruia sensu.
Tu cum Patre tuo viges,
Tu cum Prole tuâ manes,
Túque Flamine cum tuo
Fælix æthere fulges.
Tu Natus, Pater & simul

Sanctus Spiritus omnium
Vna copula & vinens
Veri nexus amoris.
Tu sanctissima Trinitas,
Personis varijs Deus
Distinctus, proprijs tamen
Polles viribus vnus.
Patre nil sine maximo;
Nato nil sine maximo
Pari nil sine Spiritu
Mente concipis altâ.
Æqualis sibi Trinitas,
Æqualis manet Vnitas.
Non discreta potentiâ,
Vel maiestate perenni.
Nempè tres numero licet
Persona, tamen vnicus
Nobis excolitur Deus,
Rerumque vna potestas.
Ergo maxima Trinitas,
Dum flector posito genu,
Audi vota precantia,
Méque protege tutum.

VIRO ILLVSTRISS.

OLIVARIO DV SAVLT

IN SENATV BVRDEGALENSI REGIS
Aduocato, publicíque iuris vindici dignissimo.

M*AXIME in augusto vindex, fautórque Senatu*
Virginis Astraæ, virginis Aoniæ,
Quàm te doctrinæ cultus, candorque, fidésque
Commendétque vetus quàm probitatis honos,

Hinc liquet: ignoti sit quamuis nulla cupido,
Me tamen haud visum latus amore foues.
Et mihi nulla licet meritorum præmia subsint,
Me quoque diuinis versibus ecce beas.
Versibus æternæ spondent quæ sæcula vitæ,
Contra cæca nigri fata, minásque Dei.

DE SPINVLA DVCE FORTISSIMO ET CELEBERRIMO.

QVI *retulit victo celebres tot ab hoste triumphos,*
Exuperans veterum tot decora alta ducum,
Spinula, Casalium viuus dum deperit arcem,
Casaliam iuxta mortuus ecce iacet.
Cernite quàm variè Sors & Mors omnia versant,
Quæ fugit, hæc tribuit, quæ negat illa, cupit.

P. SASILLIO EQVITI GENEROSO ET ILLVSTRI.

BELLICA *te virtus & honos è sanguine ductus*
Ornat & ingenij, indolisque vigor.
Quódque prius mirer, per tot noua crimina sæcli
Te niueâ decorat cum pietate fides.
Sic niuis hybernæ candor laudatur in æstu,
Inter & hybernam stat rosa blanda niuem.

DEO.

SVPREME *arbiter Orbis vniuersi*
Cernis quàm varijs agor procellis.

A portu procul, infidelis auræ
Spe tactor dubiâ, vel æstuantis
Irâ gurgitis æstuante cogor
Pene naufragium pati sub vndis.
Sed versis oculis ad astra supplex
Te solum, Pater, inuocare pergo:
Nostram littore tutiore nauem
Siste, ne pluuio madescat, Austro,
Et furentibus obruatur vndis.

DE SCÆVOLA SAMMARTHANO
FR. CITESIVS Medicus Regius.

CLAVDITVR *hoc tumulo non omnis Scæuola magnus,*
Mens est in cælis, vis animi inque libris.
Transijt in natos tantarum gloria rerum,
Quas iuuenis scripsit, quasque senex cecinit.
Fortunate senex, cuius post facta superstes
Est vita in natis, in tumulo, inque libris.

AD EVNDEM ABELII
RESPONSIO.

T*V quoque dum valido pellis medicamine morbos,*
Pangis & Aoniâ carmina culta lyrâ:
Et Phœbi & Phœbo nymphâque Coronide nati
Corpus vtramque tuum mentem habitare ferunt.

DE CHRISTO.

SOL *aberat* CHRISTVS *noctu dum nascitur Orbi,*
Splendidior pulso ter tis vt Sole niteret.

AD I. BAPT. BALTAZARVM V. CL.

QVi floriferi statuat me culmine Pindi,
Hic vbi odoriferis vernantia serta ligustris
Lilia, florentésque rosas, mollésque amaranthos,
Et varios nectam flores, quibus vndique dignam
Tam charo capiti iuuet implicuisse coronam.
Hic vbi iucunde felicia gaudia lucis
Concelebrem, nostris quæ tandem reddidit oris
Te saluum per tot casus, bellique labores,
Totque per externæ superata incommoda terræ.
Quod mihi si liceat tua lumina læta tueri,
Turbida discuties blando mea nubila vultu.
Tu nempe assidui tot tædia longa laboris
Et nostram meritis mentémque fidelibus ægram
Officijs, lenéque iuuas mulcedine vocis.
Credo equidem, tua non pietas è sensibus imis
Excidet, & capient te nusquam obliuia nostri.
Quo res cunque cadent, seu me fortuna procellis
Obruere & tumidè vexare per æquora tentet:
Seu bona Sors medijs me saluum attollat ab vndis:
Te quoque nulla tui capient me obliuia, noster
Et prius aërias olim vanescet in auras
Spiritus, officij quàm gratia pectore nostro
Concidat ipsa tui, sic me tibi iunxit amico
Fœdere sancta fides, niuei sine crimine mores,
Innocuus pudor, atque anni sine labe fluentes.
Nec mirùm tibi si grati tot signa fauoris
Flos aui ostendat merito Schonbergius Heros,
Arcanaque tibi committat seria curæ.
Agnouit fidam mentem, atque capacia rerum
Pectora, & illæsum vitæ sub corde tenorem,
Innumeris dum te cumulatum dotibus ornant.

Nulla tamen reliquas superat qua candida dotes
Vincit amicitiam, quâ non fœlicior vllâ
Rebus in humanis orbi, neque dignior extat,
Exornet mentem nostram licet vndique virtus.
Sic noua stellarum miramur lumina, Cœlo
Si tamen exurgat nitidi noua Solis imago,
Stellæ diffugiunt, aliasque subinde nitenti
Luce micatura semper sua lumina seruant.

R. P. ARRIVÆO THEOLOGO.

QVID mirum *sancto si pectore percitus æstro*
Tot lepido argutos concinis ore modos?
Æthereos auidus pleno bibis ore liquores
Fontis & Ardelij, fontis & Aonij.

G. MERALDÆ
VXORI DILECTISS. ABELIO ET CATHARINÆ suauiss. fil.

CHARA, *dulce mihi, Meralda, nomen,*
Abelli quoque, túque Catharina,
Ambo conspicui ore liberali,
Solerti eximiæ parentis ambo
Cultu & sanguine nobiles vetusto,
Vt vos aspicio lubens & ora
Vestra suauior, impotente nostram
Mentem dum dolor inquietat æstu.
Occursus tuus, ô Meralda, plenus
Mansuetudine, candidóque vultu,
Vel duros silices mouere dignus,
Abelli quoque, túque Catharina,
Vestra garrulitas faceta, vestri

Lusus, deliciæque, merique amores,
Argutatio vestra, tot lepores,
Ærumnis animi piam medelam
Et solatioli ferunt leuamen.
Vestras ad Dominum preces referte,
Preces ingenuo pudore plenas,
Illas audiet, & fauore blando
Mentis tædia turbulenta soluet.
Nempe coniugis optimæ & modestæ,
Infantúmque preces & innocentum
Aure suscipiet benigniori.

R. P. ROGATIONO.

TV quoque supremo tua concipe vota Parenti,
Méque iuua precibus tempus in omne tuis.
Plus poterunt tua vota, preces, & verba Rogantis,
Quàm mea inutilibus tot data scripta notis.

IN NATALI CHRISTI.

CVR Deus humanâ voluit de Virgine nasci?
Vt Cælum & terras æterno fœdere nectat:
Cur nasci voluit mediæ inter tædia brumæ?
Igne suo vt nostro de pectore frigora pellat.
Et cur nocte oritur CHRISTVS? *quia luminis author*
Cælumque & terras illustrat & æquorũ vndam.

IN TVMVLVM R. P. AMBROSII.

AMbrosiâ in terris viuus nos pauit, in astris
Cælesti extinctus pascitur ambrosiâ.

AD

AD ANGEL. GABRIELEM.

FOelicißime Præpetum, beati
Cœli delitium, minister alti
Parentis, pia qui celer pudicæ
Defers nuntia Virgini supremo
Labens æthere, fulgidísque pennis,
Terras exhilarans polumque & æquor,
Ad nos tu quoque latiore pennâ
Isthuc candidus aduola, secunda
Rerum nuntia deferens mearum.
Nostras præterea preces ad ipsa
Cœli culmina tolle, me, meámque
Vxorem & geminos subinde natos
Commenda supero Deûm Parenti,
Et patrocinio tuere saluos.

V. CL.

PETRI MERALDI

EPITAPHIVM.

DVM superas nostri duxisti luminis auras,
Immortale tuum fulsit in ore decus.
At nunc dilapsum meritis te Curia verbis
Laudat & hinc celsum nomen ad astra vehit.
Fœlix ô nimium ventura in secula fœlix,
Crescit ab exequijs dum tibi maior honos.

R. P. HVBERTO.

DIC mihi, sancte pater, tenui tam corpore tectus,
Vt tot muneribus sufficis arte pari?
Spiritus hoc agit, æternâ qui missus ab arce
Non patitur spatio se breuiore premi.
Vincula nec patitur, sed laxis fertur habenis
Diuina ingenij quo rapit aura tui.

AD LYRAM.

HACTENVS *ardorem, tenerique Cupidinis arcum,*
Summorum aut cecini parta tropæa Ducum.
Ite leues flammæ, vani procul ite triumphi;
Rustica nam tantùm vel sacra Musa placet.
Illa trahit duplici nos munere, & altera ducit
Simplicitate suâ, vel pietate suâ.

V. CL. PETRO MERALDO REGINÆ MATRIS Oeconomo.

QVAM bene præstantem meritis, genióque parentem
Moribus & cultu, indicióque refers.
Nil nisi deest natus, tibi quem pia Numina donent,
Fælicique beent conditione domum.
Patria nam gliscit virtus, animúsque nepotum
Illabens sensim pectora nostra subit.

IVLIANO BRODÆO IVLIANI F.

MELLITISSIME *Iuliane, vultu*
In cuius patrium iubar, decúsque
Matris & genium vtriúsque miror.
Sic soror tua te Maria pollens
Castis moribus & decore forma,
Sic soror tua Catharina blandi
Vultûs ingenuo pudore præstans
Impendant tibi debitos amores.
Sic te Phœbus amet, Themisque semper
Te sinu foueat benigniori.
Meo numine, Iuliane, grates
Blandas solue tuo velim parenti.
Nempe omni genere eruditionis,
Et cultu nitet elocutionis.
Illum præterea fides & ornat,
Vsus rerum, animi vigor, sagaxque
Naris, innocuæ tenorque vitæ.
Quid maius tibi, Iuliane, possim
Vouere, aut melius, decentiusue?

DE STELLA QVÆ MAGIS APPARVIT.

CVLTVRIS *Dominum non ad præsepia tantùm*
Stella viam Cæli signat, sed ad æthera pandit.

R. P. CHERVBINO.

NON pater tibi, Cherubine, frustra
Nomen contigit esse tam beatum.
Nam cælesti animo & pio capessis
Dei maxima iussa præpotentis,
Quæ scripto, eloquióque præpotenti
Pandis omnibus vndiquáque terris.

I. MALBRANCHIO
MEDICO PERITISS.

CIVICA seruanti ciuilem contexta corona
Dicitur insignes implicuisse comas.
At tibi Schonbergi Herois per bella, per enses
Dum graditur victor cui data chara salus;
Ciuica non tantùm, sed lauri & fronde virentis
Cinget honorandum texta corona caput.

R. P. RENATO.

INTERMISSA lyræ sine libris fila retentas,
Inter claustra tamen continuásque preces.
Non mirùm, ingenij fluit hoc è diuite venâ,
Quæ non suppresso turgida fonte ruit.

AD GALLIAM DE DVNCANO MEDICO DOCTISS.

DVNCANVS *patriæ nostras accessit ad oras,*
Deseruitque sui prædia auita soli.
Hunc cole, nam longam vitam traduxit in æuum
Nunc ope Pæoniâ, nunc ope Pieriâ.
Et natum eximium eduxit, venientibus annis
Officij similem qui tibi reddat opem.

VOTVM.

IRREPAT *tacito licet senectus*
Appulsu, tamen ingenî nec ardor
Mentis non acies retusa torpet,
Aut vis iudicij mei fatiscit.
Ergo quàm prius exigam peracta
Vitæ munia, patrijque cæli
Sensus in superam remigret aulam,
Sacrum Iessiadæ poëma Regis,
Quo nil sanctius, elegantiusve,
Heroïs numeris, pióque cantu
Donatum, & Latiâ subinde linguâ
Conuersum tibi consecrare mens est.
Aspires modò si mihi canenti,
Cæli maxime conditor, tibique
Tam cælestia vota nuncupanti,

Méque turbine tot negotiorum,
Insultúque graui periculorum
Bonus, quod precor, eximas, & aui
Sinas pacificâ frui quiete;
Vt tibi obsequij memor, reusque
Voti debita luculenta soluam.

ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ F. ELEGORVM LIBER I.

IN DIE ANNVNTIATIONIS B. VIRGINIS.

ANGELVS ecce ruit Cælo sublimis ab alto,
Prætendens roseâ lilia sacra manu.
Virginis intactæ, Iessæi è sanguine Regis
Progenitæ, lætus tecta verenda subit.
Nec mora cælesti niueáque in luce refulgens,
Æterni defert nuntia verba Dei;
Verba salutiferam nobis testantia vitam,
Digna Deo, & lectâ Virgine, digna loco.
Ante alias meritis excelsam illustribus illam
Asserit æterno complacuisse Deo.
Obstupuit Virgo, subitus tremor occupat artus,
Et pia purpureus venit in ora pudor.
Quale rosæ fulgent inter noua lilia, vidit
Angelus ingenuas erubuisse genas.

Scilicet illæsi decus inclita Virgo pudoris
Vouerat æthereo digna reperta thoro.
Virginis ille metum mox comprimit, ora resoluens
Iussa Deo blandè talia verba refert.
Sollicitos agè pone metus, sanctissima Virgo,
Tecum habitat magni Gratia plena Dei.
Te penes immensi viget indulgentia Cæli,
Et tua vota potens ore micante fouet.
Tu quoque virgineas inter castissima Nymphas
Illæso fulges conspicienda sinu.
Spiritus implebit tua sanctus viscera, tandem
Et Natum & Patrem, concipiésque Deum.
CHRISTVS *erit Cæli partus, qui sanguine fuso*
Promissa humanæ causa salutis erit.
Terrore expulso, sic ore locuta modesto est;
Vt motus animi conualuere sui.
Ecce ancilla Dei, vigeant oracula Cæli,
Fiant immenso quæ placuere Deo.
O quàm grata tuam pertentant gaudia mentem,
Lætitia mirus quàm sibi sensus inest?
Fac precibus quoque Diua, meos vt Numine dextro
Felices subeant nuntia læta lares.
Méque, meósque iuua, ne gens inimica nefandam
Vel dextrâ cumulet, mente, vel ore scelus.

AD
I. GALLVM REGIS
A SECRETIS.

GALLE, *tui veteris qui nondum oblitus amici,*
Me cupis officio demeruisse tuo.
Quemque meæ tangit memorem pia cura salutis,
Dum sors ancipiti conditione premit.
Blandísque officijs solamina dulcia tentas

Fortunæ

Fortunæ & rebus te dare posse meis.
Quæ tibi pro tali, quæ præmia pectore pendam,
Totque tuis meritis quæ pia dona feram?
Si mihi suppeterent varijs noua signa figuris,
Candida vel Parijs marmora cæsa iugis,
Eoique maris collectæ in gurgite gemmæ,
Iliacæ vestes, purpureique sinus:
Hæc tibi donarem, sed te non talia tangunt,
Soláque grata animi te monumenta iuuant.
Hæc cape, & affectus documenta insignia nostri,
Quæ tibi gratanti pectine soluo lubens
Æternum illa tibi Deus immortale laboris
Officijsque feret munera digna tuis.
Nomen & illa tuum per tot confinia Mundi
Proferet & refluí per vada longa freti.
Hæc satis interea; multam tibi dico salutem,
Baltazarique meo, cui quoque grata fides.
Sit licet exactis ætas vitiosior annis,
Hæc tamen officijs non mihi læua fuit;
Quòd mihi tam fidos & tales iunxit amicos,
Quos pietas ornat, candor, & alma fides.

P. HVGVETANIO
VIRO DOCTISS.

D*VM tollis supero præconia Gallica cælo,*
IVSTVMQVE *& proceres mascula corda viros:*
IVSTVM, *quem pontus, quem maximus Orbis adorat,*
Aurea quo Gallis Principe secla vigent.
Armáque dum IVSTI *& palmis celebranda per Orbem*
Gallica victuris lilia iuncta vehis:
Appares verè Gallus, veterisque superbâ
Romulidæ Planci diceris vrbe satus.

At dum Gustauum ingentem, dum Suecicalaudas
Littora, vbi æterno stat fera bruma gelu,
Quæ tamen Arctoi gelido sub sydere Cæli,
Viuida præstantes corda dedere viros.
Queis generosa placent sanctæ commercia Musæ,
Queis placet indomiti nobile Martis opus,
Suecicus appares meritò, sic culta beato
Qualibet ingenio florida vena fluit.

DE SACRA DOMO.

ERGONE *deuoti cœtùs gratissima sedes,*
Blanda mihi & facilem pandis amica sinum?
Vt te cerno lubens, casúmque amplector in omnem,
Vt sancti præsens me beat aura soli.
Hinc te floriferis opibus mirabilis hortus
Ornat & arbustis area fœta nouis,
Fructúsque innumeri gremio quos educat ipso
Fœtusque arborei copia vbique iuuat,
Et visum & gustum pascunt & odoribus implent
Omnia & omnigenâ commoda messe ferunt.
Hinc te purpureis distincta coloribus ornant
Prata & pampineâ vinea fronde virens.
Prospectusque alio longè formosior omni,
Quà Ligeris nitido molliter amne fluit.
Sed pia doctorum & congressio blanda virorum
Cælesti potius nectare fœta iuuat.
Et potius iuuat augusti reuerentia templi,
Diuini cultûs hic vbi cura viget.
Hic vbi munifici præsens clementia Cœli
Natos blanda patri conciliare solet.
Hic vbi dissolut commissæ piacula noxæ,
Et requies victo certa labore manet.
Hic vbi perpetuis succurrit amica periclis,
Soláque defessis prospera rebus adest.

IN DIE CONVERSIONIS D. PAVLI.

DVM spirans immane Deum infœlicibus armis
Cultoréſque Dei feruidus enſe petis;
Dum galeâ caput indutus contemptor Olympi,
Sæua in bella furens funera mille paras;
Dum ſtragem cumulas & fuſo ſanguine tandem
Tartareæ ſedes te loca nigra vocant;
Ad Superos diuina tua conuerſio mentis,
Paule, tibi reſerat limina ſacra poli.
O noſtrum ſimilis pectus conuerſio pungat
Fac Pater, hac eadem ſit mihi certa ſalus.
Téque ſuâ Deus à vitijs vt voce reduxit,
A culpâ monitis me quoque ſolue tuis.

AD MENTEM.

ITE procul vani falsâ ſub imagine ſenſus,
Ite procul nugæ, quiſquiliæque leues.
Credula ſpes, vanóque metu permixta faceſſat,
Raptáque veſanis irrita vota notis.
Et dubiæ valeat leuis inconſtantia vitæ;
Deſino in humanis ponere velle fidem.
Omnia ſunt infida, nihil ſub vertice Cœli
Perſtat & immotâ conditione viget.
Sors leuior ventis, leuiorque agitante procella
Huc illuc rapida mobilitate ruit.
Dum ſibi nulla fides celerique incertior aurâ
Mobilis ambigua ſede caduca fluit.

Sunt hominum cæcæ mentes, cur fidere sorti,
Non seruare solet quæ malesana fidem?
Fidere cur sorti, sine quæ discrimine nobis
Imperat, hincque suas voluit & inde vices.
Fidere cur sorti, quæ cladibus impia iustos
Conterit, iniustos quæ malesana fouet.
Collige te, mea mens, agedum tua lumina tolle
Ad superos axes hic vbi sola salus.
Hic vbi cælestem tranquilla per otia vitam
Spes Cœli ostendis pacis & alma quies.
Hic vbi munifici placidæ indulgentia Cœli
Spondet inoffensos & sine labe dies.

QVERELA IN FVNERE Soceri.

HEV *me quàm variæ circumstant vndique curæ,*
Hei mihi quàm ingenti tædia mole ruunt.
Hinc dolor exiliens soceri de funere nostri
Æternùm afflicta gaudia mente fugat.
Hinc furit ecce ruens & sæua cuspide morbus
Coniugis & natæ corpora pungit atrox.
Hinc leuis insano tot nostra negotia fluctu
Sors agit & cæco turbine pulsa ruit.
Hinc furit & tristi damnosa calumnia morsu
Tota fremens rabido me quoque dente petit.
Quocunque ingredior nihil est nisi luctus & angor,
Perque meos artus sudor vbique fluit.
Impleo quocunque incedo loca cuncta querelis,
Et resonant nostris nocte diéque malis.
Firma valetudo, morborum dulce leuamen,
Huc ades & nostros blanda reuise lares.
Dum bona succedis nostros miserata labores
Ilicet è tristi corpore pallor abit,

Vndique deffugiunt morbi, reficitque salubris
Tabentesque artus corporis aura fouet.
Tu, pater alme, tuo quid enim sine numine nobis
Vel sperasse licet, vel petiisse decet?
Tu potius miserans fer opem mihi rebus in arctis,
Tot mala dum infelix non toleranda fero.

VOTVM DEIPARÆ VIRGINI.

VIRGO *salutiferi sanctissima nata Parentis,*
Aetherei coniux Regis & alma Parens;
Ianua Virgo patens Cœli, sacra virgula Iessæ,
Atque procellosi candida stella freti.
Cui seruit tellus, atque aquoris vnda patentis,
Seruit & immensi machina tota poli:
Fac, Diua, aterni feruescat amore Parentis
Mens mea & ipsa tui seruiat igne pari.
Ad Cœlos miseri iam iam trahe verba precantis,
Cor, linguam, & dextram dedico Virgo meam.
Intus concipiet tua cor praconia, tollet
Lingua sono, scriptis dextera pandet ouans.

AD AB. SAMMARTHANVM SCÆVOLÆ F.

*P*VLCHER *vt Eoo qui gaudet lumine Phœnix,*
Quem lacryma & succo diuite nutrit Arabs,
Vnicus in syluis & charæ coniugis expers
Dicitur innumeros continuare dies.
Sic ego credideram magni diuina parentis
Carmina Pieridum viuere sola iugis.
SAMMARTHANE, *tamen patrio sine funere prodis,*
(Quod neque Phœnici sors malegrata dedit)
Et iuuenis simili stimulatus pectoris æstu,
Carmina victuro digna parente canis.
Ergo Arabum syluæ cedant cerealibus aruis,
Phœnices geminos Iulia terra fouet.

PETR. LÆTVS Med. Reg.

ANAGRAMATISMVS
ABELIVS SAMMARTHANVS,
MIRA LAVS MVSAS BEAT.

*T*ENE *lyræ modulos strepitu mutasse forensi,*
Auróque Laurum, atque Aonum lucos lucro?
Nec venit in mentem genitor quod SCÆVOLA *nomen*
Sibi politis versibus quæsiuerit?
Fallor? an ingenio Phœbumque, forumque capaci
Celebras, vtrinque par relaturus decus?
Macte animo, lætasque tui cape nominis omen
Præsagientis, MIRA LAVS MVSAS BEAT.

PAVLVS THOMAS apud Engolismenses Consiliarius Regius.

IN DAPHNEM

ABELII SAMMARTHANI

FRATRIS.

D ELIVS *Aonio toties quem perculit æstro*
Dum facili auratum pectine tangis ebur;
Nunc iterum blando celebras dum carmine Daphnem,
(Scilicet ardoris semina prima sui)
Sufficit auxilium atque nouas in carmina vires:
Nam vetus accenso pectore flamma subit.

SC. SAMMARTHANVS SCÆVOLÆ F.

IN EIVSDEM

SAMMARTHANI FRATRIS

LAVRVM ET LEGEM SALICAM.

D VM *Laurum & Salicam describis carmine Legem,*
Te Lauri & quercûs certa corona manet:
Illa boni ciuis caput implicat, ista Poëta
Tempora perpetuo frondis honore tegit.

LVD. SAMMARTHANVS SCÆV. F.

IN LAVRVM AB. SAMMARTHANI.

Q VAMVIS *honorum vel fugias gradus,*
Partam Latino carmine gloriam
Docti patris tu docte fili
Non Stygiâ cohibebis vndâ.
Formosa (Abelli vir probe) negligens
Sis vsque Laurûs: dum tamen ocyus
Curris virentem offerre ramum
Cæsareis manibus: reuulsam
Partem tibi dat Delius, & tuis
Aptans capillis; Hæc, ait, à domo
Manant paternâ; ne recuses
Quo satus es pater ipse mittit.

Hereditatis participem istius
Scripsisse Regem SCÆVOLA *maximus*
Dicetur; inuictos Poëtarum
Esse ratus socios Monarchas.

GILB. BANCHERELLVS.

ERRATA SIC CORRIGENDA.

PAgina 2 linea 21 beneolontia, *lege* beneolentia. Pag. 3 lin. 25 manis, manus pag. 9 l. 14 querere, quærere. *Ibidem* l. 31 colul ri, colubri. pag. 13 l. 11. eternis, externis. pag. 14 l. 14 visce, viscere. *Ibidem* l. 20 domum, demum. pag. 17 l. 19. Eato, Fato. pag. 19 l. 8 xcvrı. *lege* xcv. *Ibidem* pag 26 sancius, saucius. pag. 20 l. 10 veneris, Veneris. pag. 22 l. 21 incolumen, incolumem. pag. 26 l. 15 decerne resoli, decernere soli. pag. 27 l. 18 dominem, dominum. pag. 31 l. 17 deuiæ, deuia. *Ibidem* l. 21 farma, fama. pag. 33 l. 19 memota, nemora. pag. 37 l. 16 vrbis, verbis. *Ibidem* l 21 sentir, sentit. pag. 39 l. 21 æstuaute, æstuante. pag. 42 l. 4 Merturius, Mercurius. pag. 43 l. 20 poëta, poëtæ pag. 59 l. 21 nullo, nulla. pag. 185 dum, *lege* quoque. pag. 191 l. 9 prestinus, pristinus. *Ibidem* l. 12 cœrcita, coërcita. l. 18 herrida, horrida. pag. 197 l. 4 in census, incensus. *Ibidem* l. 30 chura, chara. pag. 218 l. 15 languet, languens. *Ibidem* 21. sanguiniusque, *lege* seguiniusque *Ibidem* l. 15 *dele* propitij. pag. 225. l. 3 so bole, *lege* sobole & pag. 228. l. 17 quæ, quid. pag. 23 . l. 11. *dele* leti. pag. 231 l. 19 princips, princeps. pag. 23 l. 1 mgentibus, ingentibus. pag. 246 l. 2 sm:a, Si mea. pag. 249. l. 14 moesto, isto. pag. 253 l 8 Præsidem, *lege* Principem. *ibidem* l. 22 Condidissime, Candidissime. pag. 255 l. 15 vndiquaque, vndique. pag. 256 versu 4 dira nec fetæ, *lege* diræ nec fera. pag. 263 l. 18 sperenantem, *lege* sperabam. pag. 264 l. 8 conuittet, conuitia. pag. 266 l. 17 namque, *lege* non. pag. 267 l. 10 humidi, humili. *Ibidem* l. 11. imploraus, implorans. l. 16 licet, *lege* locet.

IN HYMNIS ET OPERIBVS sequentibus.

PAgina 3 lin. 12 sertè, *lege* serie. *Ibidem* l. 23 equestium, equestrium. pag. 4. l. 5 permanea, permaneas. pag. 9 l. 11 caps, cape. *Ibidem* l. 28 saluo s, saluos. pag. 12 l. 1 iætheris, ætheris. pag. 13 l. 7 finitiuos, finitimos. *Ibidem* l. 30 pruta, prata. pag. 14 l. 19 dea, dia. pag. 35 l. 1 superuum, superum, pag. 27. l. 10. Pari Patris pag. 29. l. 26. ter ris terris, p. 30. l. 16. ieneq. lenique, pag. 36. l. 10. ciuilem, ciuem.

GILBERTO BANCHERELLO Pictoni.

BANCHERELLE, tibi, tuísque Musis
Lusisti satis hactenus, satísque
Ruris & nemorum Deos, Deásque
Mulsisti Aonij lepore cantûs
Ad lenta exigui fluenta Clani:
Tui nunc age floridi labores
Dextro numine prodeant in auras.
Nec verò metuas seueriorum
Cacas vngue fero notationes,
Vel conuitia, vel leues cachinnos,
Nempe maximus hinc & inde ACHILLES,
Quem legis meritò tibi patronum,
In te qualibet inuidi ruentis
Assultus clypeo suo retundet.

NIC. SAMMARTHANO patrueli LVDOVICI Prosenefchalli Pictauensis F.

DVM me iam à tenera calens iuuenta
Blando carmine prouocas, & ipsos
Miris dotibus anteuertis annos,
Næ lubens capio tuos lepores,
Amplectórque lubens tuos amores:
Nec me laudibus aut fauoris aura
Eludi patior, sed immerentem
Deuinctum tibi me decet fateri.
Quid verò tibi premij rependam,
Pro tanto tibi quid precer labore?
Dij faxint superi, bonæque Musæ,
Vt fias similis tuo parenti,
Quo nil doctius, elegantiúsve
Nostra aut postera prædicabit ætas.

Et certè mea vota non peribunt,
Nempe seminis hoc agit paterni
Vis immissa Polo, patrûmque sensim
Natis insinuans amica virtus.

Ad Candidum.

CANDIDE *sorte pari laus atque infamia perstant,*
Vtraque nam viuis cùm periisse putas.

DAN. & CAR. ROGERIIS fratribus.

SVNT *gemini fratres docti generosa parentis*
Progenies, Phœbo gens adamata Deo.
Hinc alter patrias calles non degener artes,
Hinc alter cithara fila canora mouet.
Hinc etiam sibi sorte pari pietatis honore
Felices vitæ mutua dona ferunt.
Nempe alter cithara, succísque potentibus alter
Implacidi tardant tristia iura Dei.

In Aulum.

TE *licet immeritum ad summos attollat honores*
Quæ Dea non certas fertque refértque vices:
Non tamen hinc tumeant vano tua pectora fastu,
Ludit, & inde sibi cuncta licere docet.

CAROLO QVERCETANO Medico Regio.

TE *Phœbus medicæ repertor artis,*
Et vatum Deus vndecunque fouit,
Hinc felix gemini fauoris aura
Corpus auxilio iuuas salubri,
Æternísque animum beas Camœnis,
Vtra dignior es futurus arte?
Illa fata moratur, hac repellit.

ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ F. POEMATVM

PARS SECVNDA.

PARTIS SECVNDÆ

Poëmatum Index.

SYLVARVM LIB. I.

ELEGIARVM LIB. I.

ODARVM LIB. I.

VARIORVM CARMINVM LIB. II.

EPIGRAMMATVM LIB. I.

HENDECASYLLABON LIB. I.

PSALMORVM LIB. I.

SACRORVM CARMINVM LIB. I.

ABELII SAMMARTHANI SYLVARVM LIBER.

AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM DVCEM RICHELIVM.

ROMANVS *Pater, immenso qui præsidet Orbi,*
Cuius ab aßiduis precibus nutantia pendent
Sydera, & ætherei reserantur limina Cæli;
Te Patribus sanctis, quos Purpura vestit & ostrum
Allegit: tua rara fides, sacrásque per artes
Excultum ingenium, casti sine crimine mores,
Et pudor & pietas, doctrina, & viuida virtus
Præmia poscebant meritis illustria tantis.
Te quoque Iustitiâ nostrum qui temperat orbem,
Præcipuum sibi consilÿ vult esse LOÏSVS
Participem, sacri mandans tibi pondera regni,
Miratus castas generoso in pectore dotes,
Iudicium præstans, natámque ad grandia mentem
Munera, RICHELIÆQ; *decus memorabile gentis.*
Hinc varÿ plausus, atque vndique publica surgunt
Gaudia, certatim vnanimi dum fœdere nostris
Leniter adspirant terrarum Numina votis.

Dum patriæ ſuccurris amans, regnoque ruenti,
Dum ſedas motos eluſo turbine fluctus,
Denique dum auſpicijs felicibus aurea tandem
Sæcula in æternum nobis te vindice ſurgunt.
Fors etiam potiora manent te præmia laudum,
Dum te, magne Heros, (neque enim ſine numine Diuûm)
Suſpicient populi ſuprema in ſede locatum,
Et ſubmiſſa tuis affigent oſcula plantis.
Sic tanti meritò tibi perſoluentur honores:
Nam veluti Tyrio tua murice purpura feruens
Perpetuum retinet fulgorem illæſa, nec vſquam
Turpibus inficitur maculis, neque ſordibus vllis:
Sic tua mens ſupera fulget quâ luminis aurâ,
Nullis ſordeſcit vitiorum obnoxia culpis:
Sed niueæ ſeruans decus inuiolabile vitæ,
Candorémque animi æternum, fugit impia noxæ
Crimina, & infeſta inſani contagia vulgi.

IN REDITVM LVDOVICI IVSTI REGIS CHRISTIANISSIMI ET INVICTISSIMI.

FLos *Regum, noua ſpes hominum, noua cura Deorum*
Dum petis illæſa venerandam Virginis ædem,
Fida prait rutilis volitans Victoria pennis,
Vrbéſque euerſas atque oppida capta recenſet,
Rupellæque canit victas cum mœnibus arces.
Ponè ſequens fulget titulis operoſa ſuperbis
Æternos cumulans tibi Gloria parta triumphos:
Aſſidet hinc lateri Pallas, Themis aſſidet illinc:
Illa manu populos cogit ſub fræna rebelles;
Hæc merita & vitas populorum & crimina pendit.
Parte alia feſtos populoſa Lutetia plauſus
Edit, & argenti fulgore micantibus armis,
Et nitidis gemmis, oſtróque inſignis & auro,
Fœlicem tibi perpetuo clamore ſalutem
Optat; & ereptum celebrans ex hoſte trophæum,

Et spolia & lauros; tibi sacri thuris honorem
Proque tuo reditu voti pia debita soluit.
Nempe aberas nostris dum longiùs actus ab oris,
Vere licèt medio, piceum vaga nubila Cælum
Fœdabant, riguìsque effusi nubibus imbres:
Dum remeas, gelidæ per tristia tempora brumæ
Mitescit Cælum, & solito fit blandior æther;
Dûmque aberas, populi lachrymarum flumina passim
Fundebant, certa ingentis monumenta doloris;
Dum remeas, oculis cadit vndique defluus imber,
Lætitiæ, gratíque animi memorabile signum.
Sol quoque, dum tu aberas, matura æstate tepebat,
Vdáque surgebant frigente crepuscula Phœbo:
Dum redis, augusti iubar admirabile vultûs
Ostendis, placidúmque tuis generosus amorem
Omnibus inspiras, specie præsentis inardent
Principis, & flamma iam iam propiore calescunt.
Sic vbi cælesti Sol omnia lumine lustrans,
Quò propiùs radios vel longiùs exerit Orbi,
Naturæ, Mundique vices & fœdera mutat,
Vt lubet, & Cæli motus variabilis omnes;
Et pelago ac terris dominatur & imperat astris.
Sic leges anni varias ac tempora vertis,
Sic ad vota Deos, homines, elementáque flectis
Victor, & à nutu pendentem conspicis Orbem.

ILLVSTRISSIMO HENRICO TREMOLII DVCI ET FRANCIÆ PATRITIO.

SANGVINIS *egregij nusquam generosa fatiscit*
Insita vis, sed præcipuas in pectore dotes
Explicas: & Cæli quæ tendit in ardua virtus
Perpetuis edit monumenta insignia seclis.
Hoc tua gens docet illustris, quæ numine Diuûm
Non solùm armipotens quo sese Gallia tractu
Felici pandit, pulchra sed prodiga vitæ

Ausoniæ impleuit factis præstantibus oras.
Tu quoque auos, atauósque tuos non passibus æquis
Assequeris tantùm, sed vi, sed robore maior
Ardua tantorum procerum vestigia longè
Exuperas foris atque domi: testabitur ipsa
Gallia, venturis testabitur Itala sæclis
Ora tuos nusquam perituræ laudis honores.
Te per inaccessas rupes & inhospita euntem
Saxa, præit nitidis & ouans noua gloria pennis,
Ostendit loca queis IVSTI *vexilla potentis*
Attollas, vbi bella feras, vbi corpore forti
Effusus cruor æthereis te misceat astris.
At tibi non graue sit nostri partem esse laboris,
Interea dum vota memor tibi debita soluam,
Te, natumque patris vestigia digna prementem,
Et memoranda tuæ celebrabo nomina gentis;
Si modo sors tranquilla meis dabit otia Musis.

BERNIA.

Ad Illustrissimum virum

NICOLAVM BRVLARTVM SILLERIVM

GALLIÆ ET NAVARRÆ CANCELLARIVM.

FORTVNATA *domus, Phœbo gratissima sedes,*
Quo satis illustri te possim attollere versu,
Tot fœtam Naturæ opibus, tot ruris amœni
Delicijs mulcentem animos, oculósque placentem?
Nam quæcumque iuuant humanos gaudia sensus
Omnia concurrunt & te cumulantur in vna.
Hinc tibi populeas placidum nemus explicat vmbras,
Leniter effusis illinc se lucidus vndis
Riuus agit sensim, & multo se diuidit alueo,
Sequanicum facili dum tramite currat in æquor.
Quid loquar, vt varios vernantia prata colores
Vndique sufficiant, fulgórque & copia vincat
Lumina, quæ tremulum nec possunt ferre nitorem?

Parte

Parte alia ſubit irriguis cultiſsimus herbis
Hortus, amor Zephyri & formoſæ gloria Floræ,
Hîc vbi Dædaleis iacet intertexta figuris
Area, quæ picto latè nitet æmula Cælo,
Dum nempe innumeros viuo de ceſpite flores
Educit, nitidos flores rutilantia terræ
Sidera, quæ ipſa ſuis radijs ac luce coruſcant,
Et paſcunt oculos, & odoribus omnia complent.
Nec minus hinc ſurgit murorum maxima moles,
Quæ circùm ſeptis ingentibus omnia cingit,
Prǽcludítque aditus, liceat ne forte profanis
Sacratum Themidi & Muſis inſiſtere limen.
Quid quòd & in medias lympha ſaliente per artem
Senſim è rupe caua properat fons lubricus ædes,
Qui tacitus terramque meanti flumine ſubter
Arbuſta & fœtus, viridantéſque irrigat herbas?
Hæc inter domus haud modico pulcherrima ſumptu
Aſſurgens ſuperis altum caput inſerit aſtris:
Vndique ruris opes & commoda, & vndique ſpectat.
Delicias, ſibi quas tellus fœcunda parauit,
Et bona munifici dedit indulgentia Cœli.
Salue magna domus, Genij ſaluete beati,
Cuſtodéſque loci Nymphæ, lætiſsima ruris
Numina ſaluete, & grauium poſt longa laborum
Tædia, tranquillos Domino præſtate receſſus.
Qualis enim ſuperos Titan ſine fine per orbes
Voluitur, emenſóque ſubit labor vſque laboris
Haud ſecus hic noſtri verè Sol aureus æui
Publica decurrens per munera, ſiue maneret
Finibus in patrijs, ſeu regna externa ſubiret,
Nullum pro patria, nullum pro Rege laborem
Pertimuit, nullos animi vel corporis æſtus.
Ille Patrum auguſto conſcriptus in Ordine Præſes
Reddidit obſcuris iampridem oracula rebus.
Ille per Heluetias rupes, & confraga ſaxa
Iuit, & inuictæ Mauortia pectora gentis
Sedulus ad priſcum in Gallos reuocauit amorem.
Ille ſacras doctis tenuit ſermonibus aures

Diuini Heroïs, cui parent mœnia Romæ,
Cuique Dei cultûs summa est concessa potestas.
Denique magnanimi iunxerunt pectora Reges
Hoc duce, pacatis fundentes otia regnis,
Sequana quæ, rapidisque Tagus pater alluit vndis.
Quinetiam HENRICO *primus,* MEDICÆ*que futuri*
Spem thalami dedit, & votum fortuna secuta est.
Quodque nouus nostro nunc ludit in æquore DELPHIN,
Sydereus DELPHIN, *solidæ spes optima pacis,*
Hæc quoque Brularto debetur gloria, cuius
Pectore sub vigili solers Prudentia regnat.
Prouidus hinc Princeps meritis pro talibus illum
Supremo sacræ Themidis præfecit honori,
Vt tanti secum ferat ardua pondera regni.
Dij patrij, quorum sub numine Gallia tuta est,
Hunc Regi seruate virum, seruate beatis
Gallorum populis, tanto qui vindice freti
Paulatim sese recreant, animósque resumunt.
Illum ego, si qua mihi concedant carmina Musæ,
Mentémque à strepitu liceat reuocare forensi,
Vsque colam, cœlique memor sub sydera tollam.
Tuque simul tanto domino quæ læta superbis,
BERNIA, *tu nostro semper celebrabere cantu.*

AD ILLVSTRISS. VIRVM NICOLAVM BELLEVRÆVM SENATVS PRÆSIDEM IN OBITVM CLAVDIAE BRVLARTIAE VXORIS NOBILISSISIMÆ.

TV qui vel Themidis solio sublimis in alto,
Concipis humanis animo maiora capaci
Prouidus, & populis diuina oracula pandis,
Vel Sophiæ virides latè digressus in hortos,
Despicis insanas Fortunæ mobilis auras,
Vulneráque & sæui ludibria tristia fati;
Pone modum lachrymis, licet atræ cuspidis ictu
Ante diem, heu nimiùm iustis contraria votis
Atropos, illustri Heroum de sanguine cretam,
Merserit vxorem, qua nil augustius vsquam,
Nil melius terris, nil dignius extulit ætas,
Vel feret extento sæclis redeuntibus æuo:
Chara tamen soboles superat, quæ lucis in auras
Edita, & à teneris dudum feliciter annis
Exculta, extinctæ lugubria damna rependit.
Sed quid ego, magni decus immortale Senatus
Hortor, & extremos rerum solantia casus
Verba fero? tibi præcipuè cui pectore forti
Infixúmque animo sedet impenetrabile robur,
Et qui perpetuum nullo sine labe tenorem
Decurrens, vitam degis cœlestibus æquam.
Interea nobis te mitia numina Diuûm
Seruent: & Pylijs canescas longiùs annis,
Phœbo adstante, viden' micet vt noua luminis aura,
Splendórque & rerum facies nitidissima surgat?

Dúmque affixa polo fulgebit Solis imago,
Æternùm implebit flammis radiantibus orbem.
Te quoque stante Fides nostris nondum exul ab oris,
Et Pudor & Pietas, atque alto candida cœlo
Lapsa Themis, Legesque, diu Musæque valebunt.
Dùmque sacro summus fulgebis in ordine Præses,
Longinquum Virtutis honos florebit in æuum.

In effigiem IANÆ DARCIÆ Virginis Aurelianensis.

QVISQVIS *es, armatam intrepida qui fronte Puellam*
Conspicis, & sacro solemnes ordine pompas;
Ne mirare, fero si Virgo accingitur ense,
Pectore si forti primæ crudelia pugnæ
Funera committit, si mœnia diruit, hostes
Fundit, & augustum victricibus asserit armis
Imperium; fatis fuit olim debita Virgo
Et Regi & Patriæ, dum publicus irruit hostis,
In sua conuertit dum Gallia viscera ferrum:
Ac licet insonti conuicia finxerit Anglus,
Et rapidæ teneros flammæ subiecerit artus
Virginis, & cinerem in tenues disperserit auras;
Non tamen absumpta est, viuo sed ab igne resurgens,
Ætherias Virgo fœlicior incolit arces.
Fortunate cinis, te, dum per inania pendes,
Leniter excipiunt, & amico flamine, sensim
Aurarum suaues animæ super aëra tollunt.
Sancta anima è Cœlo diuinitus acta, beatis
Concipis æternum dum casta sub ossibus ignem,
Despicis humanæ peritura incendia flammæ.

De CAROLO LILIO eiusdem Heroinæ Gentili.

QVÆ prius horrenti squallebant marcida cultu
Numine fœlici Lilia Virgo fouet.
Cernis vt extinctam cognata è gente Puellam
LILIVS à tenebris victor ad Astra vehit?
Hinc meritò simili signatur honore Puella,
Pro patrio insigni Lilia bina gerens.

AD ILLVSTRISS. VIRVM STEPHANVM HALIGREVM SACRI SIGILLI CVSTODEM, postea Cancellarium.

RECTORA conciliat Virtus & in ardua semper
Tendit, & exornat titulis florentibus æuum,
Et meritis tandem dignißima præmia soluit.
Hinc tibi Rex sacri decus immortale Sigilli
Contulit, illustrésque Togæ sublimis honores,
Miratus niueos mores & mellea linguæ
Flumina, iudiciique nouum solertis acumen,
Ingenium, atque annos vlla sine labe fluentes.
Fœlix, qui populi applausu tot iusta fauoris
Signa refers: vigeant ergò te vindice Leges,
Et Themis & castæ, præsentia numina, Musæ.
Hæc sperare tuus candor, pietasque, pudórque,
Doctrina atque fides & blandi gratia vultûs
Nos iubet, & probitas, & recti vera cupido.
Fortunate, subis patriæ dum pondera molis
Impiger ætherei tibi cœli cura, beatæ

Tranquillum vitæ seruabit amica tenorem,
Ne dubita, neque enim dextro sine numine Diuûm.
Ceræ summus honos tibi summaque gloria cessit.
En medios inter fluctus rerúmque procellas,
Et casus inter varios, lux præuia magni
Principis affulget, IVSTI *Geniúsque* LOÏSI,
Post longos animi, longos & corporis æstus,
Quos Regi spectata fides tolerare coëgit,
Spondet inoffensi lætissima tempora cursus.
Turbida sic mediæ per nubila noctis eunti,
Præuius Eois micat Hesperus ortus ab vndis,
Móxque superueniens nitidi iubar æthere Solis,
Certa regit gressus vestigia gurgite in alto,
Mulcet aquas, tumidis agitatum fluctibus æquor
Temperat, illæsámque viæ dat currere metam.
O vir magne, tui decus & noua gloria sæcli,
Cuius in ore meus nonnunquam est SCÆVOLA, *dignas*
Quas tibi pro tali persoluam pectore grates?
Nostra tibi & dignæ soboli testantia mentem
Dona cape, obsequij monimenta æterna futuri.

IO. BOCHARDO CAMPINIO V. CL. supremo Ærarij Præfecto.

INTER *tot grauium tibi credita pondera rerum,*
Tam lepidè argutos dum condis pectine versus,
O quæ magna dares culti monimenta laboris,
Otia tranquillam sinerent si ducere vitam.
Aurea nec mirum plectro si carmina pangis,
Supremus cùm sis moderator & arbiter Auri:
Nec mirum cytharam puro si pollice tangis,
Aurato cum pura tibi sit dextra metallo:
Nec mirum numeri tibi si placuere sonori,
Aureus officio numerus dum pendet ab ipso:
Hinc etiam Aonius tuus & sonus Aureus illinc,
Dulce canit, placidasque fauens modulatur ad aures:

Vtque auri decor ignescens & vena perennis
Candore æternùm radiante in sæcula fulget;
Sic, vir magne, nouo æternùm splendore micabit
Flos, nitor, atque tuæ decus immortale Camœnæ.

De SCÆVOLA SAMMARTHANO V. clarissimo.

TROIVS *Æneas cineri dum ritè paterno*
Tristes exequias Siculis instaurat in oris
Dardanidas magnos, qui sacra extrema parentis,
Et sanctum celebrant pompæ feralis honorem
Muneribus donat variis, opibusque superbos
Ornat & argenti defert aurique talenta
Vestesque, & nitidis interlita signa coronis.
Vos quoque dum patris lugubria funera mecum
Plangitis, & Pario solemnia dona sepulchro
Funditis ingratos fati solantia casus,
Illustres adimæ nostri decora inclita secli
Vobis gratus ego simili pro munere mentem
Deuoueo; meritis spondere ingentia vestris
Non licet, hæc memori constans in pectore seruo.
Scilicet haud aliter tanti lamenta doloris
Finiri & potuit minui lachrymabile vulnus.
Iamque adeo noster sublimia culmina calcat
SCÆVOLA, *& insuetos auidus circumspicit ignes;*
Dumque noua penitus animum dulcedine complet
Hîc illi occurrunt fidi longo ordine ciues,
Quos olim diro seruauit ab ense, furentis
Dum fremit ira Ducis, sæuo eripuitque periclo:
Et quos immensi celebres sub sydera cœli
Elogijs, miraque tulit mulcedine versus.
Vtque, noua exacti post tempora veris Aëdon
Emensi liquidam dum transilit æquoris vndam,
Digressu mœstæ volucres comitantur ad oram
Oceani, & querulo resonant caua littora planctu:

Hic Regem, ærumnas, & tædia longa laborum
Conspicis & fessi miserantem incommoda regni,
Hoc IVSTI *Genius facit, hoc tua vota, precesque,*
Hoc pia munifici facit indulgentia Cœli,
Quæ fidei, quæ Iustitiæ sub principe tanto
Aurea tranquillis promittit sæcula terris.

IN NOTAS IVLIANI BRODÆI ad librum Placitorum V. C. GEORGII LOETII Senatoris Parisiens.

DVM *mediâ augusti felix in luce Senatûs*
Ingenti populi circum applaudente Corona,
Hellados & Latij spoliis indutus opimis,
Dulcia mellifluæ fundis miracula linguæ;
Doctrinæ atque animi dotes, fandique leporem
Miror, & ingenuas tua pectora culta per artes.
Dum tamen artifici generosæ munere dextræ
Supremi referas Decreta augusta Senatûs,
Soluisque implicito diuersa negotia nexu,
Condis & æternis mansura volumina chartis.
Hinc tibi maior honos, nam melle madentia multo
Verba licet blandis teneant concentibus aures,
Ilicet in tenues abeunt emissa per auras:
Scripta sed Aonio passim condita liquore,
Rerumque vtilium florentia diuite cultu,
Longinquum viuunt verbis potiora per æuum.
Sic vaga scintillis volitantibus astra per Orbem
Lapsa cadunt, nitido fundant licet æthere lucem;
Sed quæ fixa polo rutilanti sidera fulgent,
Dum stabit æthereus vertex, immota manebunt,
Splendidáque immensis præbebunt lumina Terris.
At tu finem operi nullum, metámque labori
Constituis, macte ingenij virtute beatus:

Hoc agit ipsa fluens annis redeuntibus ætas,
Prouentu ut vario sinuosa negotia crescant.
Sic tua multiplici quoque didita gloria cultu,
Nobilior longè repetito lumine crescit.

In Pastoralia REN. BOCHETI AMBILLOVII.

DVM celebrare iuuat nostro tua Carmina versu,
Carmina Pierio passim condita lepore,
Plectra mouere negant digiti, vox rauca fatiscit,
Nec mihi fas vllos Musarum expromere fœtus,
Sic me casta Themis totum sibi vendicat vni,
Et motus natura suos pro tempore mutat.
At nitidis errans per prata virentia gemmis,
Annosas inter quercus, laurósque virenteis,
Quà mea se exiguo tollit Verreria cultu,
Dum lego Sidereos ignes, notumque furorem
Pasitheæ & teneros fidi Pastoris amores,
Concipio Musæ veteres sub pectore flammas,
Hoc tamen incassum: toruo nam lumine Phœbus
Aonijs procul auersum me submonet vndis.
Quid faciam? memori nisi mente reuoluere mecum
Hinc varios lusus iuncto pede, siue soluto
Mulcenteis animos, hinc cultum carminis vsum,
Ingenij viresque tui, floresque beatos
Eloquij, & magnum generosæ mentis acumen,
Et colere æterni monumenta futura laboris.

ABELII SAMMARTHANI ELEGIARVM LIBER.

AD ILLVSTRISSIMVM CARDINALEM RICHELIVM ANN. CIↃ. IↃC. XXV.

EN Panacem, & gratis redolentia Cinnama campis,
Natáque Phœbeis gramina lecta iugis:
Et suaues Arabum florentia munera succos,
Albáque purpureis lilia mixta rosis:
Gratáque diuinæ felicia dona SALVTI
Ponimus, & myrrhæ germina sacra damus:
Vt placata tui vanescant tædia morbi,
Æternúmque tibi sit comes alma SALVS.
Postulat hoc nostræ decus immortale Coronæ,
Et patriæ & Regis nomine partus honos.
Hoc pia Relligio petit; imperiíque potentis
Majestas, tanti Præsulis optat opem.
Nec minùs hoc animus votísque ardentibus opto,
Magne sacri Antistes gloria prima chori.
Scilicet hoc æuo ingenuas non degener artes

Vnus amore pio, præsidióque foues.
Tu quoque me placido dignaris lumine vultûs,
Nec vacuum officio tempus abire finis.
Denique tu IVSTVM *Regem, mihi sponte fauentem*
Nonnihil, exstimulans conciliare soles.
Quæ tibi, quæ tali pro pectore præmia soluam?
Sunt mea tot meritis corda minora tuis.
Fata licèt gelido sistant me littore Ponti,
Non tua feruenti pectore cura cadet.
Trans mare diuersas fuerim delatus in oras,
Trans mare mecum ibit gratia tanta comes.
Denique nostra solo tumuli licèt ossa tegantur,
Non meritum tellus obruet vlla tuum.
Sic nempe illustri laudem pietate mereris,
Sic pretium officio reddère vbique iuuat.
Nec tibi si fidei testem vitam ipse refundo,
Me non digna satis persoluisse putem.
Interea ecce tuas in publica commoda vires,
Ingeniique canam, iudiciique decus;
Candorémque animi & generosæ mentis acumen,
Illæsámque tuâ cum pietate fidem:
Denique per varias tua tot præconia gentes,
RICHELIVM*que genus celsa sub astra veham.*
Et quâ purpureum profert Sol aureus orbem,
Quâque iubar liquidis tingere sueuit aquis:
Et quâ Sol medium lustrat circumuagus orbem,
Quáque fremens Aquilo flamina cæca ciet.
Tu modò constanti serua sub pectore nostrum
Nomen, & obsequij pignora certa mei.
Te sine nil altum mens inchoat, ardua tecum.
Inque tuo foueo credula vota sinu.
Non alias quæro, cœlestia numina, Diuas:
Non alium quæro, numen inane, Deum.
Me tua dum placidæ beat indulgentia mentis,
Assuetóque tuus me fouet igne fauor;
Omnia succedunt meritis potiora, vicissim
Entheus accendit pectora nostra calor.

At si fortè aberit (procul hinc procul omen abesto,)
Constrictum gelido frigore pectus erit.
Sic apud Ammoniæ siccas ardentis arenas
Fons fluit à nitido nomina Sole trahens.
Puniceum iubar æthereas dum tollit in auras,
Crescit, & illimes limpidus auget aquas.
At dum deficiens pronum caput æquore condit,
Hæret, & immotis vndique torpet aquis.

REGVM CHRISTIANISS. HENRICI III. ET HENRICI IV. COMPARATIO.

NOMEN *idem fuit ambobus, nec dispare fato*
Progeniem, atque atauos iactat vterque pares:
Alter VALESIÆ *decus, alter nobile gentis*
BORBONIAE *columen, præsidiumque fuit;*
Augusto capiti geminæ diadema Coronæ,
Bináque Sceptra suâ gessit vterque manu.
Victor vterque suis Orbem conterruit armis,
Partáque felici marte tropæa tulit.
Pestis & ira Deûm dictu exitiabile monstrum
Naturam humano Dæmonis ore ferens,
Regia funesto traiecit viscera cultro,
Et Regem Elysias misit vtrumque domos,
Armorum strepitus inter galeasque micantes
Ille pio inficiens sanguine castra ruit;
Hic varios inter plausus, turbamque frequentem
Heroum, media cæsus in vrbe cadit.
Obuia cuique sui fiducia, criminis expers,
Et nusquam in niueo pectore læsa fides,
Candor labe carens, nimia & clementia tantis
Regibus indignæ causa fuere necis:
Denique vt ambobus communia facta supersunt,
Hos eadem vrna tegit, sors quibus vna fuit.

SALVTAT LVTETIAM.

NON semper pluuios inamœnus Iuppiter imbres
Fundit, & erepto fœdat honore solum:
Quondam etiam suus & nitor est fœlicibus auris,
Et formosa suo gramine terra viret.
Nec semper grauibus vexantur corpora morbis,
Buxeus aut mæsto pallor in ore sedet.
Sæpe etiam illa Salus longè pulcherrima rerum
A superâ grati labitur arce poli,
Quæ solidat fessos reparatis viribus artus,
Duráque sollicitâ tædia mente fugat.
En ego tot menses tenuit quem lurida febris
Absentem à ripis, Sequana magne, tuis;
Et patriâ inuitum cogens residere sub vmbrâ
Assuetæ vetuit munus obire togæ;
Post longa exilia & superatos mille dolores,
Compedibus liber queis malè vinctus eram,
Te tandem positis optata Lutetia curis
Nunc repeto, & repetens me quoque reddo mihi.
Salue magna parens populorum, amplissima regni
Maiestas, reliquis anteferenda locis:
Pande mihi bona pande sinum, & concede petenti
Pars decoris fiam quantulacunque tui.
Nec minus & studium quos par mihi fecit amicos
Saluete ô clari sidera nota fori.
Et quoscunque mihi propior coniunxerat ætas,
Fidusque à simili munere natus amor.
Saluete & nostri nisi vos obliuio cepit,
Me socium vestris ne prohibete sacris.
Nam fuit & tempus cum noto in puluere pulcrum
Vobiscum inciperem currere laudis iter.
Sed iam progressum subiti vis inuida morbi
In medio fecit me titubare solo.
Sic puer Hirtacides ludis solemnibus olim

Dulcia dum palmæ præmia captat ouans,
Concidit infelix, animus neque defuit illi,
Non vires, laudum nec generosus amor,
Defuit euentus, miseramque indigna ferentis
Dardanij proceres indoluere vicem.
Sed mihi fatalis quæ præmia casus ademit,
Sedulitas faxo reddat vt illa prior.
Et nisi deficiat supremi gratia Cœli,
Quæ regit humanas vt lubet vna vices,
Acrior ad primum rediens, velut ante, laborem
Pensabo ingratæ fors ego damna moræ.

ILLVSTRISS. HEROVM MICH. HOSPITALIS GALLIARVM CANCELLARII, ET GVLIELMI VAIRI SACRI SIGILLI CVSTODIS COMPARATIO.

HOSPITIALIS *amor Phœbi*, VAIRVSQ. *Mineruæ,*
Quàm bene conueniunt conditione pari;
Scilicet Aruernis primordia duxit ab oris,
Noménque & proauos gentis vterque suæ.
Ambo supremi veneranda in luce Senatûs
Conspicui meritis enituere Patres.
Mox titulos, variósque gradus emensus honorum
Supremo solij sedit vterque loco.
Sorte pari MEDICVM *diû sub gente, Sigilli*
Vtrique & rerum credita cura fuit.

Alter longinquâ Rhodani reuocatus ab orâ,
Alter ab extremis finibus Allobrogum.
Excepere nouis vtrumque applausibus vrbes,
Optantes miseris vndique rebus opem.
Præcipuos Phœbi, castißima pectora, mystas
Affectu amplexus fouit vterque pari.
Edidit egregij monumenta futura laboris,
Vnde sibi æternum nomen vterque tulit.
Non illum infecere sui contagia secli,
Huius vita nitens & sine labe fluit.
Hoc duce Iustitiæ assueti redduntur honores,
Illius auspicio floruit alma Themis.
Qua pote virtuti sua præmia reddidit ille,
Hic satagit studijs vt suus adsit honos.
Ambo præstantes augusto corpore, & ambo
Insignes facie, lumine, fronte, comâ.
Denique Francorum semper sacra Lilia, flores,
Intrepidâ Heroës excoluere manu.
Factio dúmque graui conuulsit turbine regnum,
Principis & patriæ sustinuere decus.
Attamen hoc distant, pius HOSPITIALIS *acerbos*
Rerum inter motus vixit & interijt.
Sed VAIRI *genius felicior, aurea reddit*
Seculá, páxque subit, subsequitúrque quies.

AD CLARISSIMVM VIRVM ACHILLEM HARLÆVM Senatus Principem.

TRANQVILLAS *Musarum artes, & blanda secutus*
Otia, quæ pacis nutrit amica quies,
Hæc studia in commune fero, dum quisque rebellem
In populum haud segni corripit arma manu.
Quáque licet figens infestis versibus hostes,
Sic saltem patriæ conor adesse meæ.
At tu, magne Heros, nulli cessure priorum,

Purpureæ

Purpureæ meritò fama suprema togæ,
Quem tu dignaris nonnunquam audire loquentem,
Et vultu immeritum candidiore beas;
Vix benè cum primi florescit temporis ætas,
Et iuuat in celebri nomen habere foro.
Hunc quoque scribentem placido nunc excipe vultu,
Quæ pius in Regem scribere suadet amor.
Suadet amor certè: sed enim si vera fatemur,
Hoc facit exempli vis quoque magna tui.
Nam quem non moueat medijs tua visa periclis
Quamlibet aduerso tempore certa fides?
Cedite quos olim coluit generosa vetustas,
Cedite, tam fortis non fuit ipse Cato.
Ille etenim cessit fatis, victúsque dolori
Succubuit, proprio dum miser ense cadit.
At tu fortunâ, superato & carcere major
Viuis, & afflictis nunc quoque rebus ades.

DVORVM ILLVSTRISS. VIRORVM SACRI ÆRARII SVPREMORVM PRÆFECTORVM CVM CASTORE ET POLLVCE COMPARATIO, ANNO M. DC. XXV.

QVAM *benè conueniunt Geminis cælestibus, æquâ*
Heroës gemini conditione pares?
Piratis Gemini diráque tyrannide Pontum
Purgarunt, pelago sic fuit orta salus.
Heroum officio nostrum non inquinat orbem
Auri cæca fames & malesanus amor.
Promeruit pietas Geminorum maxima Cælum,
Horum promuerit nobilis Astra fides.
Æthere dum fulgent, cælestia sidera, fratres,
Diffugiunt toto nubila pulsa polo.
Heroes quocunque caput venerabile tollunt,

Et pudor & probitas & subit alta quies.
In geminum præsens dominatur Iuppiter Astrum,
Heroas geminos Rex pater ipse fouet.
Fortunatus erit, gemino cui fortè sub Astro
Prodire in lucem candida fata dabunt.
Felix quem placido, Heroum par nobile, vultu
Conspicit & meritis officiisque beat.
Tyndaridæ immiti deprensis æquore nautis
Illicet apparent, auxiliúmque ferunt.
Horum ope vesanis pelagi ferè mersa procellis
Gallorum è mediјs cymba resurgit aquis.
Attamen Heroes gemini, fratrésque Gemelli
Hac differre sibi conditione solent.
Dum cælo affulget Castor, tunc occidit alter,
Nec cæli è superâ nos simul arce iuuant.
At gemini Heroes vnà, patriæque laborem,
Regi operam, afflictis rebus opémque ferunt.

IN POEMATA CAROLI ROGERII IVLIODVNENSIS.

IVLIADVM *terram Aoniæ coluère Sorores,*
Et fuit hæc summis vrbs habitata viris.
Scæuola, Salmonius, Latúsque & plurima dudum
Pieridum & Sophiæ nomina nota iugis
Testantur patriâ fælicia iugera glebæ,
Et Genium, & nostri culta beata soli.
Et meritò, hîc facilis tellus, & purior æther,
Candidiorque dies & sine nube nitet.
Hic balantem animam & Panchai thuris odores
Spirant è teneris florea serta comis.
Hîc etiam leni circum alludente susurro
Et syluæ & Zephiri murmura blanda mouent.
Hîc niuei turgent generoso palmite colles,
Roscidáque in mediјs vallibus antra patent,
Innumerique fluunt alto de vertice riui,

Vuida qui vario flumine prata rigant.
Nobilis vrbs medijs latè supereminet aruis
Fœlici gremio Martia corda fouens.
Cernis vbi ingenti constructa palatia sumptu,
Sublimemque arcem, cultaque templa Deûm,
Candor vbi, niueique habitant sine crimine mores,
Et pudor & probitas & sine labe fides?
Denique non solium, nostris non carduus agris
Nascitur, aut grauidis frugibus herba nocens.
Sed læta segetes & amici pocula Bacchi,
Et fructus varia fertilitate placent.
Doctis nulla viris tellus fæcundior extat,
Nulla nec ad fœtus ingeniosa magis.
Quodque etiam mirere magis, non illa remittit
Luxuriem, & magnos progenuisse viros.
Copia testis erit florum frugumque quotannis
Pinguia quæ largis fœtibus arua beat.
Rogerius quoque testis erit, cui flore sub æui
Circundat viridi laurea fronde caput.
Seu molles Elegos, seu blanda Epigrammata ludat,
Gallisue aut Latijs carmina culta modis.
Denique tantorum solus decora inclyta Vatum
Rogerius genio, mente, animóque refert.

CL. V. IAC. GVESLÆO IN Senatu Cognitori Regio.

ILLI *Oratores veteris duo lumina secli*
Græcia quos quondam vidit & Ausonia,
Non ita dum in medium proferrent crimina vulgus
Siue tua Antoni, siue Philippe tua,
Illustri nitidæ vocis fulgore micabant,
Flectebantque omnes ad sua vota viros;
Vt tu, maxime vir, quoties insurgis in illos,
HENRICVM *indignâ qui necuere manu.*
Testis erit, quæ te magnâ spectante coronâ

In procerum, inque ipso Principis ore tui
Carnutum audÿt vrbs, mirâ cum voce tonantem
Te Druydum veteres obstupuere domus.
At vos magnanimi, sanctique quiescite Manes
Regis, quo melior nullus in Orbe fuit.
Nam licet hoc facinus qui patrauere nefandum
Carnificis meritas non subiere manus;
Hi tamen inuictæ percussi fulmine vocis
Dedecus æternum, quod meruere, ferent.

NIC. RAPINO FILIO.

Dvm *fortis pater emerito post bellica cursu*
Tædia, Pieridum debita sacra nouat;
Principis Harlæi casto vel pendet ab ore,
Vel cytharâ egregium tollit ad Astra virum,
Præsidis Augusti doctas vel detinet aures,
Qui cum Phœbeâ diuidit arte diem.
Interea viridi felix, Rapine, sub æuo
Quæsitor patrio fungeris officio.
Nec minus Hispanum ferris violentus in hostem,
Et sæpe hostili sanguine tinctus ades.
Scilicet eximÿ redit in præcordia virtus
Patris, & inuicto nomine digna geris.
Te tamen interdum vexant & bella puellæ,
Et solitos ignes improbus afflat Amor.
Hicque vbi Phœbeam myrthus prope consita laurum
Fragranti latè replet odore locum,
Et Venus & Phœbus stimulos sub pectore vertunt
Sæpe tibi & noto corda furore mouent.
Nec mirùm vario excitus si Numine vates
Aurea condideris carmina culta lyra.
Sic olim vixit prudens in amore Tibullus,
Dum dedit incertæ tempora militiæ.
Nuper & Aoniâ memorandus in arte Marullus
Per medios enses vstus Amore fuit.

Tu quoque per varios rerum bellique tumultus
Nunc iacis ad ſurdos carmina blanda Notos;
Nunc adeo primæ reminiſceris improba flammæ
Tædia, & audaci præmia parta manu.
Perge agedum & validæ ſuperant dum dona iuuentæ,
Incaſſum ire bonos ne patiare dies:
Sed Phœbo & Veneris puero, Martique ſacratus,
Diſsimili ſtudio Numina terna cole.

LAVRI ET AVRI COMPARATIO AD CL. V. IO. PASSERATIVM REGIVM Eloquentiæ Profeſſorem.

QVAM *bene conueniant inter ſe Laurus & Aurum,*
Accipe Laurigeri gloria ſumma chori.
Præſtat vt arboribus reliquis pulcherrima Laurus,
Nobile ſic Aurum quæque metalla premit.
Æternùm rutili fuluus nitor emicat Auri,
Æternùm nitidâ Laurea fronde viret.
Præſenti recreant medicamine Laurus & Aurum
Corpora, præſenti corda liquore iuuant.
Venturi Laurus fati ſecreta reſoluit,
Vis Auri inſinuans abdita quæque ſubit.
Viuida fulmineo Laurus non læditur igne,
Ipſe Auri nullo vincitur igne decor.
Aurum Mercurius, Laurum tutatur Apollo:
Hinc adeo variâ pectora ſorte mouent.
Aurea Patronum, ſed Laurea præmia Vatem
Diuerſo alliciunt nos agitante Deo.
Me tamen, vt verum fatear, dum gratia Lauri
Pellicit, hinc Auri non minus aura trahit.

ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ FIL. ODARVM LIBER VNVS.

AD HENRICVM SCOMBERGIVM NANTOLII COMITEM GENEROSISSIMVM Equitum Tribunum.

QVALIS profundi concita gurgitis
Audax Iaſon murmura negligens,
Primus procellis atque ventis
Vela dedit, vada ſalſa findens.
Tandemque ſacrâ velleris aurei
Prædâ potitus, monſtra potens ſolo
Strauit, penates victor intrans
Æſonidum comitante turba:
Talis frementes æquoreæ plagæ
Sæuáſque rupes & vada non prius
Tentata decurris minaci
Sydere, cæruleiſque nimbis.

IVSTIque faustis auspiciis volans,
Virúmque lecta nobilium manu,
Nostro Britannum sauientem
Victor ouans procul orbe pellis.
Duces tot inter tu superemines,
Et primus ensem fulmineum rotans
Cruore, SCONBERGI, Britanno
Tela, manus, gladiosque tingis.
Ostendit & quâ se tua dextera,
Se pubis infert gloria Gallica,
Sternuntur Angli paßim & alto
Læta fauet tua sors labori.
Hic militarem ductus in ordinem
Dextram minantem conserit arduus
Hostis, patenti castra campo
Explicat & fera bella miscet.
Tandémque vultûs lumina non valet
Pati Britannus; maluit æquoris
Furentis iram, bellicosi
Quàm gladios Ducis experiri.
Mox castra linquit, valláque lineis
Distincta curuis, dúmque rates petit
Perculsus ingenti pauore,
Obruitur pelagi sub vndis.
Ductore tanto concidit ocyus
Armis relictis, vindice dextera,
Ad Oyam & extremos Britannos
Attonito fremit ore pulsus.
Dein castra victor IVSTVS in exteris
Dum ponit oris, Casalium asserit,
Susæque victas intrat arces
Hesperios Italósque fundens.
Illic decoro vulnere saucius,
In Septimanas tu tamen impiger
Reflectis oras, & perennis
Digna refers monumenta famæ.

Mox bella Regi dum mouet Allobrox,
Nostrisque in oras Italicas viam
Occludit, vt genti imminentis
Seruitij dura longa soluat;
Tunc imperator Gallica lilia,
Et signa IVSTI tollis ad æthera,
Veillaniam expugnas secundis
Auspiciis animosus arcem.
Non illa tutis mœnibus aut viris
Superba, tanti vim potuit Ducis
Perferre, dum submissa calcas
Imposito pede colla victor.
Dein rursus arcem Casaliam obsidet
Dum vanus hostis, constituis diem
Pugnæ, necem atque inde victor
Sanguineis minitatus armis.
Tunc linquit hostis Casalium, abnuit
Conferre dextram, fatáque sic volunt,
Bis victor inuictum furenti
Asseris obsidio Torasi...m.
Eia canoram tange Erato lyram,
Decet futuris pandere sæculis
Tot facta, laudes tot superbas
Æolio celebrare cantu.

ABELII SAMMARTHANI

SCÆVOLÆ FIL.

ODARVM LIBER VNVS.

AD
HENRICVM SCHONBERGIVM
NANTOLII COMITEM, GENEROSISSIMVM EQVITVM TRIBVNVM, LEMOVIcensem, Engolismensem & Santonensem Proregem.

QVALIS *profundi concita gurgitis*
Audax Iason murmura negligens
Primus procellis atque ventis
Vela dedit vada salsa findens:
Tandemque sacrâ velleris aurei
Prædâ potitus, monstra potens solo
Strauit, penates victor intrans
Æsonidum comitante turbâ:
Talis frementes æquoreæ plagæ
Sæuasque rupes & vada non prius
Tentata decurris minaci
Sydere, cæruleisque nimbis.
IVSTIQVE *faustis auspicijs volans,*
Virûmque lectâ nobilium manu

Nostro Britannum sæuientem
Victor ouans procul orbe pellis.
Duces tot inter tu superemines,
Et primus ensem fulmineum rotans
Cruore, SCHONBERGI, *Britanno*
Tela, manus, gladiosque tingis.
Ostendit & quâ se tua dextera
Se pubis infert gloria Gallicæ,
Sternuntur Angli passim & alto
Læta fauet tua sors labori.
Hîc militarem ductus in ordinem
Dextram minantem conserit arduus
Hostis, patenti castra campo
Explicat & fera bella miscet.
Tandemque vultûs lumina non valet
Pati Britannus; maluit æquoris
Furentis iram, bellicosi
Quàm gladios Ducis experiri:
Mox castra linquit, valláque lineis
Distincta curuis, dumque rates petit
Perculsus ingenti pauore
Obruitur pelagi sub vndis.
Ductore tanto concidit ocyus
Armis relictis, vindice dexterâ,
Ad Oyam & extremos Britannos
Attonito fremit ore pulsus.
Dein castra victor IVSTVS *in exteris*
Dum ponit oris, Casalium asserit,
Susæque victas intrat arces
Hesperios, Italosque fundens;
Illic decoro vulnere saucius
In Septimanas tu tamen impiger
Reflectis oras, & perennis
Digna refers monumenta famæ.
Eia canoram tange Erato lyram,
Decet futuris pandere sæculis
Tot facta, laudes tot superbas
Æolio celebrare cantu.

DE VICTORIIS LVDOVICI IVSTI REGIS CHRISTIANISS. ET POTENTISS.

EN nitet cœlum rutilante Phœbo,
Floribus vernis micat alma tellus,
Atque inassuetis oneratur omnis
Frondibus arbos,
Cantibus lætis resonant volucres,
Riuuli exultant saliente lymphâ,
Et leues circum zephyri tepescunt,
Mollibus auris.
Dum fauor Cœli Superúmq; lenis
Gratia illustres cumulant triumphos
Galliæ & IVSTO, Hesperio à cubili
Solis adortum.
Patrij ritus studio, & salutis
Gloria æternæ stimulante, victor
Rettulit IVSTVS virides madenti
Sanguine palmas.
Cernis auulsis clypeos lacertis,
Cernis abreptas humeris pharetras,
Cernis iniectis redimita longùm
Colla catenis.
Vt metu pulsæ fugiunt cohortes,
Hostium vt turmæ numerosa linquunt
Signa, vertentes inhonesta castris
Terga relictis.
Principem nostrum innumeris tropæis
Et mari & terris vbicumque partis

Vera laus ornat, nihil antè vidit
Pulchrius ætas.
Ensuis IVSTVS *laceras carinis*
Vel rates mersit pelago, vel alto
Aggere & vallo timidè repressum
Contudit hostem.
Denique externos [illegible]perauit hostes,
Et domi infestos domuit rebelles,
Indicit legem, simul & quietem
Reddidit Orbi.

AD ILLVSRISS. PRINCIPEM HENRICVM BORBONIVM Mompenserii Ducem.

HENRICE, *fessæ spes noua Galliæ,*
Diuique proles vera LOISII,
Qui tollis ausu non remisso
Borbonidum super Astra nomen;
Si blandiori dulcia pectine
Te iuuit olim fingere carmina,
Lætáque Parnasi sub vmbrâ
Ludere vel gelidis sub antris,
Post tot laboris tædia bellici,
Atque acta dextro sidere prælia,
Iam collige antiquos amores,
Atque iterum cytharam retenta.
En te beati præsidium chori
Sacris Thuanus *versibus extulit*
Et laureâ nectet superb[illegible]
Scæuola cæsariem c[illegible].
Vt casta laurus nescia fulminis
Graues nec imbres, frigora nec timet

Sed seruat æternum sub ipsis
Frondibus ingenitum vigorem;
Sic vera virtus nescia funeris
Seros nec annos, tempora nec timet,
Sibi sed æternum reseruat
Conspicuum meritis honorem.

VIRO ILLVSTR. I. TALÆO SACRI CONSISTORII ASSESSORI, & in supremo Senatu Regis patrono.

TV quem incu'patæ decus inuiolabile vitæ
Exornat; pietasque fidesque;
Quem fœcunda stupet doctorum turba virorum,
Magnus miraturque Senatus,
Nobilis ipsa fori quem tota palæstra per Orbem,
Et celsum super æthera tollit,
Aurea dum medio depromis verba Senatu
Mellifluæ tua fulmina linguæ;
Miràmur: populique leues hinc inde furentis,
Atque infesto turbine plenos
Dum motus damnas, flectisque ad iura rebelles,
Miramur tua flumina linguæ
Sic olim auratâ quæ pendet ab ore catenâ
Vel plebem ducebat hiantem
Gallicus Alcides, vel Diuûm altaria passim
Sacræ religionis honorem
Ilicet instaurans ritus abolebat iniquos
Demulcens fera corda virorum.

AD VIR. ILLVSTR. M. MOLLÆVM
Sacri Consistorii Assessorem & ſummum Regis Cognitorem.

HVc ades ſummo Ioue nata Virgo,
Huc ades lætis comitata Nymphis,
Et nouo mecum meditare dignnm
Pectine carmen.
Hoc viri magni meruit beato
Præpotens cultu genius, piumque
Ordinis noſtri officium, atque laudi
Debita merces.
Scilicet ſacro pia corda plenus
Spiritu dignos fouet ille myſtas
Virginum, & Phœbi Themidiſque, noſtri
Lumina ſæcli.
Nec modò auguſtum patriæ Coronæ
Cognitor curat populi, reique
Publicæ verum decus, & potentis
Regis honorem;
Sed graui in cœlum pietate præſtans
Debitum Regi Superûm atque Diuis
Protegit cultum, patriïque ſeruat
Numina ritûs.
Et fidem Chriſti, fideique ſanctos
Ille cultores fouet, ac frementis
Hæreſis tetrum ſcelus atque peſtem
Qua pote ſiſtit.
Hinc diuturno celebrandus æuo
Laude ſe tollit celebris per Orbem;
Deinde ſupremum meritis rependet
Præmia Cœlum.

VIRO ILLVSTR. H. BIGNONIO SACRI CONSISTORII ASSESSORI & in summâ regni Curiâ Regis patrono.

BIGNONI, ô nostri flos & noua gloria sæcli,
 Quem probitas illæsa, pudorque,
Doctrinæ & Themidis studium immortale colendæ,
 Atque anni sine labe fluentes
Virtute insigni & donis cælestibus ornant,
 Ac nitidum super æthera tollunt,
BIGNONI generose, tui dum nomine cœtûs
 Intrepido dum pectore Regem
Alloqueris populi & procerum spectante coronâ,
 Tu voto non proficis vno;
Scilicet hinc blandâ linguæ mulcedine Regem
 Allicis & noua flumina fundis;
Hinc prudens tutare tui decus Ordinis ingens,
 Et fesso quoque consulis orbi.

AD VIR. AMPLISS. N. BRVLARTV TVNC IN SVPREMA CVRIA Præsidem.

BRVLARTE, summæ gloria Curiæ
 Et dulce mœstis præsidium reis
 Qui regiæ legationis
 Munere non semel ante fun[illegible]
Ingens ab oris Heluetijs decus
 Pius reportas, quod fidei memor

Flagrante bellorum tumultu
Adfueris patriæ labanti.
Nunc dißipato turbine ciuico
Secretioris culmine Consilî
Locatus HENRICVM *salutas,*
Et patrios repetis penates.
Blando receptum Gallia te sinu
Insitatis plausibus excipit,
Experta virtutem fidelis
Propositum tenax alumni.
O ter beatos! gloria quos manet
Seruasse duris temporibus fidem,
Regemque non auro, nec Indis
Lilia post habuisse gemmis.

I. BELCLERO SACRI CONSISTORII ASSESSORI ET A SACRIS REGIS Mandatis & Iussis.

SERENA *qualis stella micans iubar*
Tollit decoro lumine fulgidum,
Dum nox tenebris inuoluta
Perpetuis agitatur Euris:
Talis beati propositi tenax
Nostri tot inter tædia sæculi
Vir magne, viuis: dumque victrix
Impietas furit orbe toto
Sanctis amicus moribus & diu
Spectatâ iniquis temporibus fide
Fulges, & antiqui pudoris
Præteritum reuocas honorem.
Hinc IVSTVS *Orbis totius Arbiter,*
Et sola nostri gloria sæculi

Tot rebus

Tot rebus arcanis fidelem
Constituit sibi te ministrum.
Solet superbis addita dignitas
Mutare mentem, tu tamen vnus es
BELCLERE, nec ventosa turgent
Immodico tua corda fastu.
Non vana merces, non labor irritus;
Si terra forsan reddere negligit,
Cœlum rependet, maximumque
Te meritò super astra tollet.
Quódque immerentem me faueas bonus,
Aura licebit dum superâ frui,
Te concinam, qui me tot vsque
Officijs cumulare pergis.
Non vniones diuitis Indiæ,
Non quæ Sabæis saltibus aut iugis
Nascuntur, insigniue cultu
Signa petis fabrefacta Cœlo.
Nostros labores forsitan æstimas
Pluris vel auro marmore vel nouo,
Quæ lapsa momento caducæ
Diripiet breuis hora sortis.

AD M. VICVM TVNC SACRI CONSISTORII ASSESSOREM, POSTEA sacri Sigilli Custodem.

VICE, *dum inuictis generosus armis*
Hoste ab infesto patriam tuetur
Frater, & bello premit ingruentes
Victor Iberos:
Interim sacris studijs honesti
Deditus raris animique fulgens

Dotibus, pulchro reuireſcis auſu in
Turbine rerum.

Hinc pius nullos fugiens labores
Cogis ad frænos populum rebellem
Ore conſtanti, riguoſque fundis
Nectaris imbres.

Scilicet tetræ ſcelerata gentis
Factio ſenſim perit, vt furenti
Puluis huc illuc agitatus atro
Flamine venti.

Nos, quibus ſacros operà fideli
Mòs fuit ſemper coluiſſe Reges,
ImperI caſus & iniqua ſortis
Fata ſecuti

Degimus culpæ, ſceleriſque puri;
Et fidem HENRICO *ſoluiſſe Regi*
Nos iuuat ſemper meminiſſe, vt illos
Pœnitet acti.

FRANC. SVBLETO DENOIERIO SACRI CONSISTORII ASSESSORI & Regiæ gazæ Præfecto.

G AZÆ *pura ſacræ munia dum regis*
Artis Palladiæ natus ad otia,
Vatúmque ingenuis digna laboribus
Dulci nectare temperas,

Virûm ô nobilium præſidium & decus,
Quæ culti ingenij pignora concipis,
Et quæ laudis amans publica commoda
Curas, poſteritas colet.

Nam tantis merito dignus honoribus
Vnus viuis adhuc, quem niueæ tenor
Vitæ, quem pietas, & pudor, & fides,

Et virtus meritum beat.
Dum palmæ folijs implicitum caput
Et lauri folijs conspicuum geris,
Te quà Sol oritur, vel cadit vndique
Florens gloria proferet.

D. BVTILLERIO RANCÆO V. C. SACRI CONSISTORII ASSESSORI, Rationum Regiarum apud Heduos Præsidi, & à sacris Iussis Reginæ matris Augustiss.

TE luculentis tollere laudibus
Ad pulchra cœli sydera mens erat,
Tuasque dotes elegantes
Pierijs celebrare plectris.
Pusilla sed vis debilis ingenî
Terret canentem, nec licet auream
Vim lucis immensæ minutis
Ferre oculis, radiosque Phœbi.
Contra nitentes tollere lumina,
Splendore multo scilicet vndique
Suffusa caligant tenebris
Cimmerijs penitus obortis.
Vir magne, nostrâ nil operâ indiges:
Mens ergo, si quid defuerit,
Citò supplebit & cultu perenni
Pectore te tacito recondet.
Tu nempe Musis & Themidi vnicum
Verumque cultis præsidium viris
Huc vsque vixisti Camœnæ
Pieriæ columenque gentis.

M. RIPALDO IN SENATV INQVISITIONVM PRÆSIDI. V. C.

HOC *te minuto carmine concinam*
RIPALDE, gentis dulce decus tuæ,
Quem Præſidem ſpectata virtus
In celebri ſtatuit Senatu.
Nec iura tantùm ſanguinis hoc iubent,
Aut illa ſacræ gloria purpuræ,
Nomen ſed ingens, morumque candor,
Integritaſque, fideſque poſcunt.
Vos, ô ſupremi progenies Iouis
Pindum virentem quæ colitis Deæ,
Quando virûm præſtantiorum
Veſtrum opus eſt celebrare laudes;
Si turbulenti vel medio fori
Vos in tumultu ſæpius inuoco,
Tanti viri deferte laudem
Perpetuum memores in æuum.

IN PINDARICA SCÆVOLÆ SAMMARTHANI PATRIS V. C.

PAREM *nec vllum credit Horatius*
Dirces poetæ, nec ſimilem tulit
Horatio vatem vlla tellus
Præteritis tot ab vſque ſeclis.
At dum entheato pectore Pindarum,
Blandoque Flaccum pectine ſic refers,
Vatiſque laudes vtriuſque
Pollice liberiore vincis;

Fœlix laborum, atque vberis ingenî
Florente venâ, credita non prius
Aeuo nec exspectata nostro
Aeoliâ bonus arte pandis.

DE EODEM SC. SAMMARTHANO MORIENTE.

AD THEOPH. RENAVDOTIVM MEDICVM REGIVM.

SCÆVOLA *supremæ moribundus frigora noctis*
Dum properare videt,
Carmina continuò plectris cœlestia ducit
Pollice non tremulo;
Hoc agit in facto potiori accensus amore
Luminis ætherei.
Sic olor extremi dum sentit funeris horam
Dulcius ore canens;
Nos cantu extremo meliori sorte potiri
Post noua fata monet.

PETRO LACCIO I. C. ET IN SENATV PATRONO DOCTISS.

DVM *sæuienti noxia turbine*
Megæra toruis vnique cædibus
Instabat, & fœdus ruinis
Attonitum quatiebat Orbem,
Te non tyranni sollicitus furor
Non inquieti tædia carceris,

Vera laus ornat, nihil antè vidit
Pulchrius ætas.
Ensuis IVSTVS *laceras carinis*
Vel rates mersit pelago, vel alto
Aggere & vallo timidè repressum
Contudit hostem.
Denique externos superauit hostes,
Et domi infestos domuit rebelles,
Indixit legem, simul & quietem
Reddidit Orbi.

AD ILLVSRISS. PRINCIPEM HENRICVM BORBONIVM Mompenserii Ducem.

HENRICE, *fessæ spes noua Galliæ,*
Diuique proles vera LOISII,
Qui tollis ausu non remisso
Borbonidum super Astra nomen;
Si blandiori dulcia pectine
Te iuuit olim fingere carmina,
Lætáque Parnasi sub vmbrâ
Ludere vel gelidis sub antris,
Post tot laboris tædia bellici,
Atque acta dextro sidere prælia,
Iam collige antiquos amores,
Atque iterum cytharam retenta.
En te beati præsidium chori
Sacris Thuanus versibus extulit,
Et laureâ nectet superbus
Scæuola cæsariem corona.
Vt casta laurus nescia fulminis
Graues nec imbres, frigora nec timet

Sed seruat æternùm sub ipsis
Frondibus ingenitum vigorem;
Sic vera virtus nescia funeris
Seros nec annos, tempora nec timet,
Sibi sed æternum reseruat
Conspicuum meritis honorem.

VIRO ILLVSTR. I. TALÆO SACRI CONSISTORII ASSESSORI, & in supremo Senatu Regis patrono.

TV *quem incu'patæ decus inuiolabile vitæ*
Exornat; pietasque fidesque;
Quem fœcunda stupet doctorum turba virorum,
Magnus miraturque Senatus,
Nobilis ipsa fori quem tota palæstra per Orbem,
Et celsum super æthera tollit,
Aurea dum medio depromis verba Senatu
Mellifluæ tua fulmina linguæ;
Miràmur: populique leues hinc inde furentis,
Atque infesto turbine plenos
Dum motus damnas, flectisque ad iura rebelles,
Miramur tua flumina linguæ
Sic olim auratâ quæ pendet ab ore catenâ
Vel plebem ducebat hiantem
Gallicus Alcides, vel Diuûm altaria passim
Sacræ religionis honorem
Ilicet instaurans ritus abolebat iniquos
Demulcens fera corda virorum.

AD VIR. ILLVSTR. M. MOLLÆVM SACRI CONSISTORII ASSESSOREM & summum Regis Cognitorem.

HVc ades summo Ioue nata Virgo,
Huc ades lætis comitata Nymphis,
Et nouo mecum meditare dignum
Pectine carmen.
Hoc viri magni meruit beato
Præpotens cultu genius, piumque
Ordinis nostri officium, atque laudi
Debita merces.
Scilicet sacro pia corda plenus
Spiritu dignos fouet ille mystas
Virginum, & Phœbi Themidisque, nostri
Lumina secli.
Nec modò augustum patriæ Coronæ
Cognitor curat populi, reique
Publicæ verum decus, & potentis
Regis honorem;
Sed graui in cœlum pietate præstans
Debitum Regi Superûm atque Diuis
Protegit cultum, patriisque seruat
Numina ritûs.
Et fidem Christi, fideique sanctos
Ille cultores fouet, ac frementis
Hæresis tetrum scelus atque pestem
Qua pote sistit.
Hinc diuturno celebrandus æuo
Laude se tollit celebris per Orbem;
Deinde supremum meritis rependet
Præmia Cœlum.

VIRO ILLVSTR. H. BIGNONIO SACRI CONSISTORII ASSESSORI & in summâ regni Curiâ Regis patrono.

BIGNONI, ô nostri flos & noua gloria sæcli,
Quem probitas illæsa, pudorque,
Doctrinæ & Themidis studium immortale colendæ,
Atque anni sine labe fluentes
Virtute insigni & donis cælestibus ornant,
Ac nitidum super æthera tollunt,
BIGNONI *generose, tui dum nomine cœtûs*
Intrepido dum pectore Regem
Alloqueris populi & procerum spectante coronâ,
Tu voto non proficis vno;
Scilicet hinc blandâ linguæ mulcedine Regem
Allicis & noua flumina fundis;
Hinc prudens tutare tui decus Ordinis ingens,
Et fesso quoque consulis orbi.

AD VIR. AMPLISS. N. BRVLARTVM TVNC IN SVPREMA CVRIA Præsidem.

BRVLARTE, *summæ gloria Curiæ,*
Et dulce mœstis præsidium reis,
Qui regiæ legationis
Munere non semel ante functus,
Ingens ab oris Heluetijs decus
Pius reportas, quod fidei memor

Flagrante bellorum tumultu
Adfueris patriæ labanti.
Nunc dißipato turbine ciuico
Secretioris culmine Consilî
Locatus HENRICVM *salutas,*
Et patrios repetis penates.
Blando receptum Gallia te sinu
Insuetatis plausibus excipit,
Experta virtutem fidelis
Propositum tenax alumni.
O ter beatos! gloria quos manet
Seruasse duris temporibus fidem,
Regemque non auro, nec Indis
Lilia post habuisse gemmis.

I. BELCLERO SACRI CONSISTORII ASSESSORI ET A SACRIS REGIS Mandatis & Iussis.

SERENA *qualis stella micans iubar*
Tollit decoro lumine fulgidum,
Dum nox tenebris inuoluta
Perpetuis agitatur Euris:
Talis beati propositi tenax
Nostri tot inter tædia sæculi
Vir magne, viuis: dumque victrix
Impietas furit orbe toto
Sanctis amicus moribus & diu
Spectatâ iniquis temporibus fide
Fulges, & antiqui pudoris
Præteritum reuocas honorem.
Hinc IVSTVS *Orbis totius Arbiter,*
Et sola nostri gloria sæculi

Tot rebus

Tot rebus arcanis fidelem
Constituit sibi te ministrum.
Solet superbis addita dignitas
Mutare mentem, tu tamen vnus es
BELCLERE, nec ventosa turgent
Immodico tua corda fastu.
Non vana merces, non labor irritus;
Si terra forsan reddere negligit,
Cœlum rependet, maximumque
Te meritò super astra tollet.
Quódque immerentem me faueas bonus,
Aurâ licebit dum superâ frui,
Te concinam, qui me tot vsque
Officijs cumulare pergis.
Non vniones diuitis Indiæ,
Non quæ Sabæis saltibus aut iugis
Nascuntur, insigniue cultu
Signa petis fabrefacta Cœlo.
Nostros labores forsitan æstimas
Pluris vel auro marmore vel nouo,
Quæ lapsa momento caducæ
Diripiet breuis hora sortis.

AD M. VICVM TVNC SACRI CONSISTORII ASSESSOREM, POSTEA sacri Sigilli Custodem.

VICE, dum inuictis generosus armis
Hoste ab infesto patriam tuetur
Frater, & bello premit ingruentes
Victor Iberos:
Interim sacris studijs honesti
Deditus raris animique fulgens

Dotibus, pulchro reuirescis ausu in
Turbine rerum.

Hinc pius nullos fugiens labores
Cogis ad frænos populum rebellem
Ore constanti, riguosque fundis
Nectaris imbres.

Scilicet tetræ sceleratæ gentis
Factio sensim perit, Vt furenti
Puluis huc illuc agitatus atro
Flamine Venti.

Nos, quibus sacros operà fideli
Mòs fuit semper coluisse Reges,
ImperI casus & iniqua sortis
Fata secuti

Degimus culpæ, scelerisque puri;
Et fidem HENRICO *soluisse Regi*
Nos iuuat semper meminisse, Vt illos
Pœnitet acti.

FRANC. SVBLETO DENOIERIO SACRI CONSISTORII ASSESSORI & Regiæ gazæ Præfecto.

GAZÆ *pura sacræ munia dum regis*
Artis Palladiæ natus ad otia,
Vatúmque ingenuis digna laboribus
Dulci nectare temperas,
Virûm ô nobilium præsidium & decus,
Quæ culti ingenij pignora concipis,
Et quæ laudis amans publica commoda
Curas, posteritas colet.
Nam tantis merito dignus honoribus
Vnus Viuis adhuc, quem niueæ tenor
Vitæ, quem pietas, & pudor, & fides,

Et virtus meritum beat.
Dum palmæ folijs implicitum caput
Et lauri folijs conspicuum geris,
Te quâ Sol oritur, vel cadit vndique
Florens gloria proferet.

D. BVTILLERIO RANCÆO V. C. SACRI CONSISTORII ASSESSORI, Rationum Regiarum apud Heduos Præsidi, & à sacris Iussis Reginæ matris Augustiss.

TE luculentis tollere laudibus
Ad pulchra cœli sydera mens erat,
Tuasque dotes elegantes
Pierijs celebrare plectris.
Pusilla sed vis debilis ingenî
Terret canentem, nec licet auream
Vim lucis immensæ minutis
Ferre oculis, radiosque Phœbi.
Contra nitentes tollere lumina,
Splendore multo scilicet vndique
Suffusa caligant tenebris
Cimmerijs penitus obortis.
Vir magne, nostrâ nil operâ indiges:
Mens ergo, si quid defuerit,
Citò supplebit & cultu perenni
Pectore te tacito recondet.
Tu nempe Musis & Themidi vnicum
Verumque cultis præsidium viris
Huc vsque vixisti Camœnæ
Pieriæ columenque gentis.

M. RIPALDO IN SENATV INQVISITIONVM PRÆSIDI. V. C.

HOC te minuto carmine concinam
RIPALDE, gentis dulce decus tuæ,
Quem Præsidem spectata virtus
In celebri statuit Senatu.
Nec iura tantùm sanguinis hoc iubent,
Aut illa sacræ gloria purpuræ,
Nomen sed ingens, morumque candor,
Integritasque, fidesque poscunt.
Vos, ô supremi progenies Iouis
Pindum virentem quæ colitis Deæ,
Quando virûm præstantiorum
Vestrum opus est celebrare laudes;
Si turbulenti vel medio fori
Vos in tumultu sæpius inuoco,
Tanti viri deferte laudem
Perpetuum memores in æuum.

IN PINDARICA SCÆVOLÆ SAMMARTHANI PATRIS V. C.

PAREM nec vllum credit Horatius
Dirces poetæ, nec similem tulit
Horatio vatem vlla tellus
Præteritis ter ab vsque seclis.
At [illegible] entheato pectore Pindarum,
Blandúque Flaccum pectine sic refers,
[illegible]tisque laudes vtrii,que
Pollice liberiore vincis;

Fœlix laborum, atque vberis ingenî
Florente vena, credita non prius
Aeuo nec exspectata nostro
Aeolià bonus arte pandis.

DE EODEM SC. SAMMARTHANO MORIENTE.

AD THEOPH. RENAVDOTIVM MEDICVM REGIVM.

S CÆVOLA *supremæ moribundus frigora noctis*
Dum properare videt,
Carmina continuò plectris cœlestia ducit
Pollice non tremulo;
Hoc agit in facto potiori accensus amore
Luminis ætherei.
Sic olor extremi dum sentit funeris horam
Dulcius ore canens;
Nos cantu extremo meliori sorte potiri
Post noua fata monet.

PETRO LACCIO I. C. ET IN SENATV PATRONO DOCTISS.

DVM *sæuienti noxia turbine*
Megæra toruis vnique cædibus
Instabat, & fœdis ruinis
Attonitum quatiebat Orbem,
Te non tyranni sollicitus furor
Non inquieti tæcta carceris,

Periurus ensis, turbulenti
Factio nec populi mouebat.
Nam puritatis conscia mens suæ
Insitatis pressa laboribus
Se colligit, fortisque duræ
Despicit innumeros tumultus.
At semper æui mollia secula
Experta nusquam mens poterit sibi
Constare; sed virtutis expers
Mota malis penitus labascit.
Sic in reducto culmine montium
Horrenda venti prælia dum cient,
Quæ fortè despectat furentis
Indomitis Aquilonis ortus,
Superba quercus floridior viget
Insanienti concita murmure,
Quàm tota quæ languens ab Austro
Debilior tepido madescit.

DE PACE.

POST *decus partum, meritasque palmas*
Regis, illabens animis voluptas
Gliscit, & sensim tacito titillant
Pectora sensu.
Hinc ioci dulces subeunt, amico
Corda demulcent genio, impotentes
Et leuant curas, minuúntque duræ
Tædia vitæ.
Principis vultus redeuntis Orbem
Plausibus complet, seriesque rerum
Lætior surgit, potiturque amicis
Galliâ fatis.
Ergo Phœbeæ fidibus Camœnæ

Personent latè, meritasque IVSTI
Concinant laudes, referantque latos
Vndique plausus.

IOAN. MORELLI V. C. MANIBVS AD CAMILLAM FILIAM virginem doctiss.

ABSIT vanus honos, pompáque funebris
MORELLI tumulo, quem socium sibi
Insignem meritis & celebrem fide
Adsciuit Superûm pater.
Tu tantùm, ô teneri virgo decus chori,
Cui Musæ faciles ludere Thespiis
Concessere modis, hoc breue maximi
Da carmen tumulo patris.
MORELLVS iacet hic; si tamen is iacet,
Qui sedes nitidi iam colit ætheris
Dignus fama volans ora per omnium
Pennâ perpete quem vehat.

ABELLIVS SAMMARTHANVS
hæc canebat anno ætatis XIIII.

ABELII

ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ FIL.

CARMINVM LIBER PRIMVS.

AD SVMMVM PONTIFICEM VRBANVM VIII.

VT qui purpurei lætas Orientis in oras
Prouehitur liquidi prope littora curua profundi,
Non tenues conchas, sparsos & vbique lapillos
Vndique; sed nitidas cœlestia sydera gemmas
Colligit Eoi pelagi fœlicibus vndis;
Quas ferat immensi per tot confinia Mundi.
Sic vastum mare dum laudum percurro tuarum,
Sancte Parens, sat erit tua tot præconia gentes
Ferre per extremas seclisque aperire futuris.
Quid memorem prius? an cursum sine labe fluentem
Annorum & sanctæ decus inuiolabile vitæ?
An cultum ingenium, magnæque capacia famæ

Pectora & egregias dotes, ac grandia casti
Dona animi & sacras generosi pectoris artes?
Non te terra capit, tua te sanctissima virtus,
Candida te Pietas in cœlum subuehit, ipsis
Dat tibi Diûum epulis & sacro nectare pasci.
Nam diuinam agitas humano in corpore vitam:
Oblitusque hominem & cœli conuexa reuoluens
Flectis ad humanos cœlestia Numina sensus.
Auspice te facies rebus fœlicior instat:
Iam templis renouatur honos, iam prestinus aris
Cultus adest melior, iam viuida pectora virtus
Ipsa colit, sacris ceditque cœrcita frenis
Hæresis, atque auidi damnosa licentia secli.
Dum vero flectis sanctam ad mortalia mentem,
Tum res Europæ fessas componis & Orbem
Instauras, ferro Reges in bella ruentes
Sedas & toto conceptos Orbe tumultus,
Hostilesque animos atque horrida prælia sistis.
Macte animus, macte ingenio, Pater optime, rerum
Nempè per extremos populos mundique remoti
Imperia æternum sanctæ defendis honorem
Sedis, & augustæ decus immortale Tiaræ
Erigis, ac CHRISTI *attollis vexilla per Orbem*
Atque equidem, nec fallor ego, te vindice sancta
Relligio, Romana Fides, altaria Diûum
Et Pietas, CHRISTIQVE *vigent per secula nomen.*
Tu quoque Pierias castissima numina Nymphas
Vnus amore foues, sedesque habitare quietas
Das bonus Ausoniæ venientibus ordine seclis.
Hæc inter sacro pia pectora concitus oestro
Aurea fatidicis numeris oracula soluis,
Canticáque æternum condis victura per æuum.
At quoniam gratus tibi quondam Scæuola noster,
Nosque etiam, pater alme, hilari mea suscipe vultu
Carmina tot complexa preces, conceptaque vota
Pro IVSTO *&* IVSTI *illustres celebrantia palmas,*
Hæc tibi conueniunt, qui tangens culta canoræ

Fila lyræ Diui præconia summa LOISI
Vexisti Aealio longè super æthera cantu,
Quique alto duplicas cœlestia vota parenti,
Dum IVSTVS *iusto in census pietatis amore*
Liberat externos populos ditione superbâ
Oppressos, fideique & religionis honore
Hæresin & gentes ducit sub fræna rebelles,
Atque alias patriæ atque sibi fidissima semper
Pectora, Iustitiâ fouet & minitantia pellens
Arma procul placidis victor parit otia terris.
Interea Tyberim & magnæ surgentia Romæ
Mœnia & Ausoniæ fœlicia iugera glebæ,
Orbemque illustras venerandi numine vultûs,
Cui maris & terræ, cœlique immensa potestas
Claudere vel reserare datur, cui candida cœli
Limina, & æthereas sedes, cui maximus Orbis
Consurgit, sacrosque pedes submissus adorat.
O mihi dent etiam tantum pia numina vitæ,
Vt repetita feram diuinis oscula plantis
Cernuus; augustumque caput, faciemque verendam,
VRBANIQVE *colam viridi sub flore senectam.*
Nempe vbi mens sedem præstanti in corpore fixit,
Temporibus licet irrepant sensim vndique cani,
Indefessa tamen patrij neque degener ortus
Explicat ingenitum cœlesti sorte vigorem,
Aurea supremas tollens monumenta sub auras.

ILLVSTRISS. S. R. E. CADINALI FRANC. BARBERINO.

BARBERINE *tuæ flos & spes altera Romæ,*
Chura Deûm, atque tui decus inuiolabile secli,
Qui vice Pontificis summi commissa per Orbem
Dirigis æternæ numerosa negotia Sedis,

BRASSACVS illustri repetens ab origine gentis
Et genus & proauos, gestis qui nobile nomen
Auxit & ingentis peperit sibi præmia famæ:
Principis Orator IVSTI subit ardua Romæ
Templa & tecta tuæ, iam iam repetita daturus
Pontificis summi venerandis oscula plantis:
Audaces medio tu nantis in æquore gressus
Dirige, non ventos, non diri syderis iram,
Tristia non metuet vesani murmura ponti.
Interea tutare decus, regnique salutem,
Congressu ille tuo fœlicior exeret Orbi
Romano caput inuictum, mox auspice tanto
Ausoniæ implebit factis illustribus oras.
Sic Sole oppositus lapis vndique Thracius ignem
Excipit ac rutilos radios emittit & ardens
Obiectæ exhalat concepta incendia flammæ.
Hinc tibi si titulos olim decreuit honorum
Pro tantis memor officijs gratissima tellus
Gallica, nunc varijs altaria cincta coronis
Ponet, vbi deuota tuos celebrabit honores,
Et Patris VRBANI, totum qui temperat Orbem,
Augusta æternis intexet nomina fastis.

AD
ALPHONSVM PLESSIVM RICHELIVM
ILLVSTRISS. S. R. E. CARDINALEM LVGDVNENSEM.

SIS licet illustri de sanguine cretus auorum,
Non te nobilitas, vano non turgida fastu
Ambitio, ficto non illita gloria fuco,
Aurea sed pietas nitidis pulcherrima pennis

Doctrina & candor, virtus & in ardua tendens
Ad summos sacri cultûs euexit honores:
Et cum Richelio magno, quem diligit æther,
Cuique parem non vlla tulit, non proferet ætas,
Ad patriæ molis te pondera celsa vocauit.
At vos, deuotæ purissima lumina vitæ,
Gaudete ô, vestri decus inuiolabile cætûs
PLESSIVS *excelsâ mundi dum sede locatur:*
Sic vester stabili sanctissimus ordo columnâ
Fulcitur, superas ea dum consurgit in auras,
Turbine nec cæco, nec tristibus icta procellis,
Flamine nec quatitur ventorum immobilis hærens.
Tu quoque nonnullo affectu, vir maxime, dum me
Dignaris, memor officij gratique fauoris,
Æqua satis tandem tibi nunc quæ præmia soluam?
Nobile tu mihi carmen eris pro munere tanto,
Et tua victuris intexam nomina chartis.
Si locus interea est votis, Deus æthere ab alto
Det tibi felici decurrere tramite vitam.
Vtque grauem hiberni Sol inter sideris auram,
Imbresque effusos atque horrida frigora brumæ,
Vi tacitâ tamen è gremio telluris amicos
Eliciens fœtus, viridantes explicat herbas
Vndique, & igne suo fouet oblectamina florum,
Sic varias inter curas & tædia sæcli,
Auspice te pia religio, probitasque, fidesque,
Intactæque vigent cœlestia numina Musæ,
Doctrinæque sacrum adjungis pietatis amorem,
Et cultum illæsæ vitæ, fideique tenorem.

VIRO ILLVSTRI ET GENEROSO
AMAD. PORTÆO, SACRI
CONSISTORII ASSESSORI, EQVITI
S. Ioannis Hierosol. & Ordinis sui
ad Regem Legato.

PORTÆE, excelso veteris sate sanguine gentis,
Qui varios inter belli, rerúmque labores
Et fidei & patriæ IVSTO *regique fidelem*
Impendisti operam per tot discrimina vitæ;
Ordinis augusti nostris Legatus in oris
Ad Regem dum tu felicia munera præstas,
Magnanimique tui cœtûs, nostræque Coronæ
Consilio atque operâ decus immortale tueris,
Suspicimus varias generoso in pectore dotes,
Solers iudicium & forti sub corde latentem
Virtutem, intactæque tuæ pietatis amorem.
Tu quoque Richelio dum militat orbis & æther
Auspicÿs IVSTI *felici numine Diuûm,*
Ingentis vice Richelÿ vel Gallica tollis
Lilia & externas mundi vexilla per oras,
Vel maris imperium, aut rerum commercia tractas.
Sic vice Neptuni dum tendit ad astra vocatus
Conciliòque Deum accumbit regna humida Glaucus
Dirigit, æquoreos tractus, longosque recessus,
Et ponti liquidis latè dominatur in oris.

AD VIR. ILLVSTR.
CAROLVM ALBASPINEVM CASTRI-NOVI MARCHIONEM,
in Britanniam Legatum ac Ordinum Regis Cancellarium.

MAXIMA littoribus diuisa Britannia nostris
Oceani varios inter celeberrima tractus,
Tu facilem bona pande sinum, dum maximus hospes
Littora nota subit, plagas, latosque recessus,
Pacis & æternæ regnis noua fœdera sancit.
Ne tamen ipsa diu ne gaudia nostra moreris.
Scilicet immensâ dum rerum mole laborat,
Hunc vocat in curæ partem Richelius heros,
Et meritò; dextro nam non sine numine diuûm,
Et regi, regno, & patriæ pia munera præstat.
Ille est qui antiquæ repetens ab origine gentis
Et genus & proauos meritis ingentibus auxit,
Nomen & egregiæ peperit sibi nomina famæ:
Illum iudicij teneris solertia in annis,
Et grauitas, pudor, & nullo sine crimine candor,
Ante annos meritum ad summos euexit honores.
Hinc olim tractûs Batauj *& Legatus in oris*
Impiger augustum magni seruauit honorem
Principis & sacri decus inuiolabile sceptri
Europæ motus inter, variasque procellas.
Sic noua quamuis sit Laurus, tamen illa per auras
Se longè attollens firmis radicibus hæret;
Et longas hyemes, pluuiasque & fulmina temnit,
Perpetuum intactâ seruans sub fronde vigorem.

MICHAELI MORÆO SACRI CONSISTORII ASSESSORI, ET dignissimo Parisiensi Prætori.

CONSPICVI, *Moræe, tui decus Ordinis ingens,*
Dum Themidi pia ſacra facis fora clauſa recludes
Et magnâ procerum circûm applaudente corona,
Et populi cœtû, atque tuo mirante Senatu,
Melliflua fundis dulciſsima flumina linguæ,
IVSTVMQVE *Europæ columen, curamque Deorum,*
Ac merita illius, laudemque ad ſydera tollis,
Virtuti herois tanti quàm debita ſoluis
Præmia? qui te ad præcipuos euexit honores
Miratus vitæ niueos ſine crimine mores,
Doctrinam ingentem, ingenij ſolertis acumen,
Iudiciumque ſagax, & culti pectoris artes.
Hinc meritò ſummi ſuccedis muneris hæres
Ballioli, mediâ qui dignè in luce Senatûs
Auguſtum magni officium nunc Præſidis implet;
Sors eadem te certà manet venientibus annis:
Nobilis interrea Præturæ illuſtria præſens
Munera ſuſtineas, abſentis damna rependens.
Qualis conſpicuum colluſtrans Lucifer orbem
Vix vbi ſeceſsit, tunc ſydus amabile Solis
Succedit, liquidóque nouum iubar æthere tollens,
Triſtia diſcuſſæ reparat diſpendia lucis.

AD IVLIA

AD IVLIANVM BRODÆVM DIGNISSIMVM IN CVRIA patronum Epistola.

BRODÆE, augustæ decus immortale palestræ,
En tibi consortem generosam, & dulcia nostri,
Si qua tibi pietas, commendo pignora lecti,
Dum mihi longa dies supremi funeris instat.
Ergo age felici facundæ flumine vocis,
Ingeniique tui solertis acumine, cultu
Doctrinæ atque vsu tot rerum diuite pollens,
Protege turbatos, fremit vndique feruidus hostis
Insultans, aderit placidi indulgentia cæli
Ne dubita, tua verba reget, tua facta paterno
Diriget affectu, mala vix toleranda ferentes
Audiet, insontem vxorem, natósque iuuabit,
Et procul Harpyias, obscœnáque monstra repellet.
Certè ego viuenti veluti sub imagine florem
Surgentem tenerâ te quondam ætate colebam,
Spirantémque auidum veræ virtutis odorem:
Postmodò dum æternùm affini nos fœdere iunxit
Castus amor, te totum oculis, te mente ferebam,
Tecum solliciti fallens fastidia sæcli.
Nunc ego cui varij surgunt per tempora cani,
Firmâ ætate virum te tanta negotia miro
Soluentem ingenio & blanda mulcedine linguæ
Suspicio, & monumenta tuæ præsensio famæ,
Postera quæ præsénsque simul mirabitur ætas.
Hæc in te officij sit testis Epistola nostri,
Quam varias inter conscripsi ex tempore curas,
Atque mei serua sub pectore pignus amoris,
Æternùm & nostri documentum insigne laboris.

ALTIFORTIVS.

*D*VM *furit, obſeſſámque animis audacibus Vrbem*
Implet, & infeſtus fremit Altifortius armis,
Iniuſtum accendens peruerſo numine bellum;
Tu cui per varios belli rerúmque labores
Fulſit & auguſtis virtus numeroſa tropæis
Egregiæ laudis decus immortale parauit,
Vlterius cæcos inſana in mente furores
Non pateris, iuſtas hoſtili è ſanguine pœnas
Sumis, & vltor ades generoſi pectoris Heros.
Nec mora magnanimus Princeps tibi miſſile plumbum
Suggerit hinc, illinc dextram Deus æthere ab alto
Dirigit: inde pilam nigro Stygis amne fluentem
Impellit ventus, celeri quam turbine dirum
Parca per obſeſſi torquet caput: ilicet alto
Vulnere confoſſus tellurem ſanguine multo
Fœdauit moriens. Vrbis videre cadentem
Mænia, depreſſi plauſúmque dedere ſonorum
Intonſi colles, circùm prærupt aque ſaxa.
Sic tandem auſpicibus Superis, atque alite dextrâ
Vrbs obſeſſa ruens poſitis ſecedit ab armis,
Effunditque preces, veniámque à Principe poſcit.
Sic merito letho cadit Altifortius hoſtis,
Quo ſuperante ſalus Vrbi ſpéſque vna remanſit,
Quo pereunte grauem traxit ſublapſa ruinam.

CORIOLANVS.

MARCI, Romuleæ quondam pars optima gentis
Factio quem populi & ciuis malesana furentis
Seditio, insanos agitans sub pectore motus
Inuisum exilium & duros tolerare labores
Impulit, inuisam patriæque relinquere terram;
Quemque etiam iustus furor & grauis ira coëgit
Bella mouere tuis, totamque lacessere Romam,
Ac passim aërias minitantia signa per auras
Tollere & insignes ex hoste referre triumphos.
Ausonia hæc inter gemit alto pectore tellus,
Et turpes ignominias & barbara iussa.
Passa diu ac belli discordibus icta procellis
Tantorum accusat causamque caputque malorum,
Et veniam offenso supplex a ciue reposcit.
Tu tamen vlterius tendis, nec vota morantur;
Nec lachrymæ, patriæ nec suspirantis imago;
Iræ pone modum viden vt suspiria castæ
Coniugis & matris vultus remorentur euntem?
Sic quem non potuit Respublica flectere ciuem,
Natum blanda parens, vxor dilecta maritum
Flectit & iratæ sedant incendia mentis.

ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ FIL.

CARMINVM LIBER SECVNDVS.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM REGIS FRATREM VNICVM Aureliæ Ducem.

GASTO, *perpetuis nomen memorabile fastis,*
Regis amor, patriæ decus, & noua gloria Martis;
Qui per diuersos rerum, bellique labores,
Per varios regni casus, & dura Coronæ
Tædia ciuilis vesano in turbine belli;
Dum premitur Rupella graui obsidione rebellis,
Arduus in patrium assurgens non degener ensem
Debita victricis retulisti præmia palmæ,
Vsque adeo veræ laudis generosa cupido,
Et raræ pietatis honos & mascula virtus
Te sæuo patriam penè euertente tumultu
Indomitum cæcis caput obiectare periclis

Suasit & impauidum duris succurrere rebus,
Aureáque æternæ tibi quærere nominá famæ.
Macte animis, maiora manent te præmia laudum;
Quóque loco magis excelso illustrique beatus
Consideas, rerum & belli te plura manebunt
Pondera, sollicitum, per tot discrimina Virtus
Excita, nobilior te cæli ad sidera tollet.
Sic quæ deuexi sinuoso in vertice montis
Crescit & assiduis agitatur flatibus Euri
Concita radices firmas agit altius arbor,
Et se viuidior superas attollit ad auras.
Tu quoque Neustriaci tractûs, Batauique profundi
Littora, Parisiasque arces & lumine vultûs,
Militéque allecto Campanas asseris oras;
Ne Germanæ acies quicquam, peregrináue castra
Moliri tentent; dextro dum numine IVSTVS
Ausoniæ varios proceres ditione superbâ
Oppressos, gentemque Italam formidine longâ,
Seruitióque graui Capitolia maxima soluet.
O quæ magnanimi mentem generosa LOISI
Gaudia tentabunt, flexo dum poplite adorans
VRBANVM patrem, reserat qui limina cœli,
Voce salutabit submissâ & supplice cultu
Affiget repetita sacris pius oscula plantis.
Nec mora Pontum vltra victor properabit & olim
Gallica Idumeas tollet vexilla per oras,
Et Gallo Syrios implebit milite campos
Turca ferox Asiam linquens trans arua Canopi
Terga fugæ dabit impatiens, audacia cedet
Hostibus & cæcis Scythiæ occludentur in antris.
Tum noua pacato meditabitur aurea mundo
Sæcula præteritis non concessura diebus.

DE I. COGNEVSIO SERENISS. DVCIS AVRELIAN. CANCELLARIO
AD VILLAM EIVS APVD S. CLODOALDVM ORNATISSIMAM.

TE cano finitimas inter celeberrima villas,
Quæ leuiter facili pendens nitidiſsima cliuo
Attollis ſupero præclara palatia cælo:
Hic varij luſus picturæ, & mille colorum
Expreſſæ apparent facies, formæque decoræ:
Illic hortus adeſt, qui floribus vndique vernans
Lumina diſsimili paſcit ſpectantia textu,
Pictáque ſufficiunt tot viuos tecta colores,
Pictus odoratos quot flores continet hortus.
Parte alia fulgens habili nitet area menſu,
Buxiferos gyros & longa volumina flectens,
Et noua planities iacet interiecta ſub ædes,
Hinc vbi Pariſiam latè circumſpicis vrbem,
Pratáque & ingentem ſinuoſi fluminis oram,
Ac circumfuſos viridanti gramine colles.
Tu quoque ſpranti cum murmure ſufficis auras,
Quæ rapidi mulcent radiantia lumina Phœbi.
Quid memorem antra, pijs ſecreta ſedilia Nymphis,
Dumque iubar condit, vel ab æquore Cynthius exit,
Nympharũm ſacra properat chorus omnis ab antris,
Exercent choreas, mediáque in littoris acta
Molliter alternis quatiunt veſtigia plantis.
Interea leni flexu per gramina ſerpens
Sequana Pariſiæ lentus ſulcator arenæ,
Dum vaſtum ſubit Oceanum, tua mœnia lambens,
Per maria & mundi varias protendit ad oras
Nobile nomen heri ingentis, cui plurima virtus

Excelsi ingenij vigor, & sollertis acumen
Iudicij, illæsus candor, probitasque fidesque
Principis augustum ceræ concessit honorem.

DE FORTISSIMIS ET GENEROSISS. REGII VTRIVSQVE ORDINIS Equitibus.

AD LAGÆVM PVY-LAVRENTIVM REGIS VNICI FRATRIS præcipuum Camerarium.

VIRTVTI & generi IVSTVS *memoranda reponit*
Præmia, dum regni proceres ad Equestris honorem
Ordinis attollit, quo non augustior vllus.
Vt Sol æthereis lucem communicat astris
Dum nitidum illius caput inter sidera fulget,
Sic proceres inter roseo micat ore, beatam
Rex pius inspirans diuini Numinis auram.
Ergo agite, illustres animæ, decora inclyta Gallûm,
Penè sibi facit aßimiles quos IVSTVS, *vt extet*
Vestris certus honos meritis, per vulnera laudem
Quærite, vos patrûm moueant exempla per Orbem
Admissa, & rapti toties ex hoste triumphi.
Ite & victrici pia vincti tempora lauro
Ite agedum, & fausto sub amici nomine Regis
Ne pigeat noua fata pati, dextrâmque potentem
Miscere & creperi tentare pericula Martis,
Ac spretâ luce æternam defendere famam.
Auspice nam IVSTO *cœlestia numina vobis*
Spondent egregiæ præconia debita palmæ.
Crux pia, quam geritis, sacrum & venerabile signum
In vobis recolit crudelia funera CHRISTI,

Et vos pro patriâ, pro relligione labores
Ferre monet, palmæque nouos sperare triumphos.
Illa Cruci sacræ effigies impressa Columbæ,
Cæli signat iter, promissaque sidera monstrat,
Hic vbi post varios casus bellique tumultus
Sanctus ab æthereis illabens Spiritus auris
Leniter aspirans supero vos flamine tollet.
Vestu habens nitidis interlita lilia flammis,
Lilia mansuri memoranda insignia regni,
Vos fidei testem pro principe fundere vitam,
Liligerique monet decus inuiolabile sceptri
Tutari & patriæ & populi, regnique salutem.
Cæruleus collo Torquis demissus, & ille
Pendulus ex humeris pretiosæ circulus artis
Vestra pio Regi fidissima pectora nectit,
Quæ non vis hominum, non flectere gratia possit.
Denique conceptum supremi ante ora Parentis
Sollemne & fidei nunquam reuocabile verbum
Vos monet obstricti persoluere debita voti,
Sanctus ad æthereas quæ Spiritus inferet arces.
Hæc tibi nobilium soboles generosa virorum
Dono lubens, qui me affectu dignaris amico.
Scilicet illustri quæsitis Marte trophæis
Ordinis augusti Torquem tibi Numina cedent,
Pignus & egregij monimentum insigne laboris.

AD ILLVSTRISS. VIRVM MERICVM VICVM SACRI sigilli Custodem.

TE Regi deuota fides, medijsque periclis
Visa diu, varios longùm tolerare labores
Egit & externæ superare incommoda terræ,
Heluetijs quum nunc Regis Legatus in oris

Antiqui

Antiqui renouas felicia fœdera pacti;
Nunc patriæ succurris amans, regnóque ruenti,
Componens motos eluso turbine fluctus.
Anne etiam memorem generoso pectore fratrem,
Plurima quem immenso virtus æquauit Olympo?
Præcipuè innumeras ducit quum in prælia turmas
Extentis latè qua fertilis Euria campis,
Panditur & BelgI vicina tot oppida tractûs,
Et Dionysiacam victor dum protegit vrbem,
Præcipitique fugæ cogit dare terga rebelles,
Illustremque ducem regalibus immolat vmbris;
Egregij decus & monumentum nobile facti.
Et tamen hunc sibi dum MAGNI *fatale recurrit*
HENRICI *vulnus, Lachesis fera mersit acerbo*
Funere & insigni spoliauit laude penates,
Vix bene cum fusi variarent tempora cani.
E cœlo interea felicem ex ordine gentem
Respicit, & summum tibi fausto sidere Diuûm
Delatum sacræ ceræ lætatur honorem,
Et memoranda tuum sua per vestigia natum
Ire videt nitido iuuenilis flore sub æui,
Dum Superûm, Aonidumque pius cultu emicat alter.
Tu verò Gallis superasti, vt nostra leuares
Tædia magnanimi concepta è funere fratris,
Inuisæ sortis crudelia damna rependens.

DE LVD. BALZACIO V. C.

SCILICET *egregios animi componere mores,*
Et potiorem hominis partem curare decebat
Te, pater, infesto ni Gallia plena tumultu
Penè ruens vetet audaces producere cantus:
Nunc ergo tua, culte pater, vestigia seruans
Exequerer tantæ monumenta insignia curæ.

P

Verùm è Santonici sinuoso littore ponti
Fama volans docti decus immortale laboris
Nuntiat & cœli superas attollit ad auras
Balzacium, varios dum rerum format in vsus
Principis ingenium & pulchras componit ad artes,
Cælóque & terris opus admirabile fingit.
Perculit extemplo curæ suprema paternæ
Fila attexentem pudor & timor, vndique surgunt
Inculti sentes, & deuia cœca viarum,
Nostræque imponunt taciturna silentia Musæ.
Cedo lubens primæ dignissima præmia palmæ
Balzacio, magnisque viri congratulor ausis;
Immeritâ non quòd cumulat me laude, venustos
Sed culti eloquij flores, & mellea linguæ
Flumina, & illius doctrinam, animiq; capacis
Osculor ingenijque simul solertis acumen.
Me iuuat ergo aliò incœptos deflectere cursus,
Sat mihi magnanimi præconia maxima Regis
Si liceat celebrare, pióque attollere cantu.
Sic iustæ inter nos pietatis amica iuuabit
Munera partiri, & patriæ, Regique fidelem
Ferre operam, ac nostri si quid meruere laboris
Officia, æternùm sub pectore Gallia condet.

GENETHLIACVM.

PVRPVREI *qualis nitidissima gratia floris*
Viuidior micat, illustri dum sydere Solis
Nascitur, irriguo fulgensque diutius horto
Spargit odoratas fœcundo è semine vires:
Sic tu, blande puer, felici sydere noctis
Edite, quâ CHRISTVS *terris illuxit & astris,*
Pro Rege & patriâ, pro relligionis honore
Implebis totum factis illustribus Orbem.

Et tua mandabis meliori nomina famæ.
Fortunate puer, superas dum lucis in auras
Egrederis, mediæ frigus per tempora brumæ
Mitescit, glaciesque & diri iniuria cœli,
Vt rerum facies hilari placidissima vultu,
Et tibi tranquillus nascenti arrideat Orbis.
Fortunate puer, primi tibi sanguinis author
Contigit ille sui floret qui gloria sæcli,
Quem Regi deuota fides & spiritus ingens,
Candorque illæsus, pietasque & plurima virtus
Insignem meritis, pulchris & fascibus ornant.
Fortunate puer, titulo decoratus equestri
Fortis auus tibi sternit iter, qui vindice dextrâ
In mediâ exultans certamine victor arenâ
Germanum audacem Stygias demisit ad vmbras
Et Rege & magnâ procerum spectante coronâ.
Ille etiam æquoreos, quà pandit Belgica, tractus
Deuicto retulit memorandum ex hoste tropæum;
Nam tellus patria egregijs non sufficit ausis.
Tandemque HENRICI MAGNI *sub signa vocatus*
Arduus inuictas ducens in prælia turmas,
Parmensis dum versa fugæ cum milite fuso
Terga patent, letho fuit interceptus acerbo.
Sic atauus quondam infesto præcordia ferro
Transfixus cadit externis generosus in aruis
Ceresolæ, sua dum inuictus vexilla tuetur,
Hispanasque metit rigido prius ense phalanges.
Fortunate puer, claro qui sanguine matrem
Esse tibi iactas aui decus Heroïnam,
Cœlesti insignem ingenio, pulchroque nitore
Syderei vultûs, roseóque decore iuuentæ,
Sanguine de veteri ductam, quæ stemmate tangit
Materno augustæ sacrum diadema Coronæ,
Et varios numerat superato ex hoste triumphos;
Testis erit fluitans vndanti sanguine Tarrus,
Fornouium, Ausoniæque omnis pulcherrima tellus,
Orbis & innumeras tot prælia gesta per oras.

Tu quoque fortunate nimis, quem gloria Regum,
Spes hominum LODOICVS, *amorque & cura Deorum*
Sustulit Hectoreâ dextrâ lustralibus vndis.
Ergo age, te firmata virum cum fecerit ætas,
Officij tanti memor acceptique fauoris,
I, sequere augusti LODOICVM *nobile regni*
Præsidium, nostræque decus, columenque salutis.
Vt te per longos belli rerumque labores
Principe sub tanto viridem exercere iuuentam
Fata sinant, totum pandet dum signa per Orbem
Quà surgit, vel quà se condit in æquore Titan.
Sic Aquilam ætheream volucris generosa per auras
Dum sequitur, monstrante viam Iouis alite, pennas
Læta mouens Cælo sensim se credit aperto,
Et liquidum audaces attollit in æthera cursus.

EPITHALAMIVM.

ERGONE *felici tandem Iunone Geneuram*
Castus Hymen thalamo potuit sociare iugali?
Pandite claustra domûs nunc pandite claustra puellæ,
Nobilis vt cupidi iam virgo cubile mariti
Intret & optati placidè genialia noscat
Iura tori; viden vt tenerorum effrenis Amorum
Peruolitet manus, vt Charites sacros amaranthos,
Florentesque rosas passim & noua lilia fundant?
Cernis vt innuptæ zonam Cytherea puellæ
Soluat; vt Idaliâ redimitus tempora myrto
Lætus Hymen quatiat tædam, pedibusque sonantem
Pulset humum cytharæ ad numeros, quam intonsus Apollo
Tangit, & hos sacro simul edit pectore cantus.
Fortunati ambo iuuenes, par nobile amantum,
Astra domûs vestræ, sæcli decora inclyta nostri,
En vestra vnanimi castissima pectora nexu
Blandus Amor, placidæque comes Concordia vitæ
Firmabunt seræ per sæcula longa senectæ.

Ergo agite, ô dextro fulgent quibus omine tædæ,
Basia purpureis tot sumite rapta labellis;
Quot nocte in mediâ rutilantia sydera lucent,
Tot lætos cupidæ Veneris decerpite flores;
Mollis odoratis quot floribus Hybla refulget,
Concipite ardenti varias tot pectore flammas,
Quot rapidæ vomit Aetna furens incendia flammæ.
Denique tot blandos Hymenæi carpite fructus,
Quot grata Alcinoi fœtus pomaria fundunt,
Vt superent thalami communia pectora vestri,
Quæ prole insigni reddant vtrumque parentem.
Filius ingenio, virtute & nomine fœlix
Excelsis proceres factis æquabit auitos,
Venturis peragens lætissima tempora seclis.
Filia præclaræ vestigia digna sequetur
Matris & intactum excelso sub corde pudorem
Seruabit castæ exemplum memorabile vitæ.
Sic sæpe intactæ viuo de cespite palmæ
Exiliunt geminæ plantæ, quarum altera vere
Mascula viuidior victrici è robore surgens
Lætâ succiferos educit ab arbore fœtus;
Altera se tenui attollens mollissima tactu
Fœmina Panchæos latè diffundit odores.
Vix ea finierat Phœbus, cum è parte sinistrâ
Intonuit læuum Superûm Pater omina firmans,
Omina felicem rerum testantia sortem.

EPICEDIVM.

QVà patet Antissæ, prope Lesbia littora, tractus,
Orpheos ad tumulum viridi Philomela sub vmbrâ
Dulcius arguto fingit de gutture cantus:
Delius inspirat volucri miserabile carmen,
Plangat vt extincti crudelia funera nati.
Sic tot Pierij, cultissima pectora, mystæ,

Quos Themis aut Musæ meliori numine complent,
Marmoreum ad tumulum dum iusta nouissima soluunt,
Blandiùs Aonio deducunt pectine versus.
Mentem animúmq; addit numeris vir magnus, amicæ
Coniugis vt mœsti celebrent lacrymabile fatum.
Has meritò inferias, lugubria carmina poscis
Lux sæcli Heroina tui & noua gloria sexus,
Quam ducta antiquæ non solùm ab origine gentis.
Nobilitas, nitidique decens præstantia vultûs
Ornabant, sed casta fides & mixta pudori
Illæso pietas, placidæque modestia mentis
Coniugis vna tui quondam pars optima, fœlix
Quæ patrij superas cœli nunc incolis arces.
Multa licèt Pharijs tibi marmora cæsa columnis
Ponat, & ingenti solemnes ordine pompas
Constituat, tristique ferat pia munera busto,
His tamen æternum numeris tua fusa per æuum
Se liquidum meliùs tollet super æthera virtus.
Pόstque tot exhaustos morbíque obitúsque labores,
Iusta tuo cineri & meritas persoluere laudes
Num satius fuerit, quàm læuo numine Diuûm
Flebilibus placidos Manes vrgere querelis,
Plurimáque inuiso conuitia fundere Cœlo?
Hæc etiam mandante tuo Heroïna marito
Cantabam, nostræque diu intermissa retentans
Fila lyræ, tumulóque tuo pia dona ferebam,
Parua quidem, nostræ sed debita pignora mentis.
At quoniam vitam degis cœlestibus æquam,
Grata tui si non tibi cessit cura mariti,
Quem meritum ad primos iamdudum euexit honores
Cognita præcipuè dubijs prudentia rebus,
Candor & innocuus, doctas cultúmque per artes
Ingenium, & puræ decus inuiolabile vitæ;
Sorte tuâ lætare, suo te pectore totam
Extinctam licèt, atque oculis & mente recondit:
Si nescis, amor illius post fata superstes
Crescit ab exequijs ardens, neque funera sentit.

ABELII SAMMARTHANI
SCÆVOLÆ FIL.

EPIGRAMMATVM LIBER PRIMVS.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM MICHAELEM MARILLACVM SACRI SIGILLI CVSTODEM.

DVM patrias leges & iura perennia condis,
Et Themidi augustæ debita sacra facis;
Principis inuicti dum magna negotia tractas,
Et puræ Fidei dogmata vera colis;
Iessæi vatis curâ, versuque fideli
Dum pius hæc inter carmina sancta canis;
Magne Heros, sic vitam agitas cœlestibus æquam,
Sic Themidi, & Regi consulis, & Fidei.

DE RVPELLA A LVDOVICO IVSTO REGE INVICTISS. expugnatâ.

RVPELLAM *inuictis dum* IVSTVS *fulminat armis,*
Felicique hostes obsidione premit;
Aër perpetuis agitat freta concita ventis,
Et grauis Anglorum dissipat aura rates.
Oceanus frustra assurgens refluentibus vndis
Oppositæ molis rumpere claustra parat.
Tellus aggeribus factis, valloque patenti
Obsessis aditum linea longa vetat;
Ignis inextinctæ renouans incendia flammæ
Hinc homines, illinc pinea texta vrat.
Ne tende vlterius; nam Principis omnia IVSTI
Impositum subeunt victa Elementa iugum.

IN MORALIVM.

QVàm leuis humanas agit inconstantia mentes!
Vt sibi canities veniat Moralius optat;
Venit vbi, languet effœto in corpore, damnat.
Canitiem pulsis æui melioribus annis;
Sic leuis humanas agit inconstantia mentes.

IN PAV-

IN PAVLVM.

TEMPORE, *Paule, breui mala plurima carmina fundis,*
Nulla canis dum tu carmina, multa canis.

DE DIODORO.

TORI *fœdera cum, Philippe, iungis,*
Ait te miserum inde Diodorus;
Et tamen thalamum subit iugalem;
Sciens fallitur ergo Diodorus.

HENRICO LVDOVICO CASTANEO RVPIPOZÆO PICTAVORVM Episcopo viro illustriss.

ANTISTES *venerande, sacri pars magna Senatûs,*
Et celebri illustris stemmate gentis honos;
Dum pius auxilium cœli, mentémque benignam
Diuini propitij assiduo Numinis ore vocas;
Fortè tuæ ardenti studio super æthera missæ
Viribus humanis plus valuere preces.

DE N. BORBONIO VIRO DOCTISSIMO AD SCÆVOLAM SAMMARTHANVM patrem meum.

DVM *te cœlesti versu* BORBONIVS *Orco*
Subtrahit, & cœli te super astra vehit
SCÆVOLA; *terrarum tibi dat volitare per Orbem,*
Et socio fidam præbet amicus opem.

Aurea vir magnus tibi pectine carmina ducit
SCÆVOLA, *digna tuo nomine, digna suo.*

ILLVSTRISS. CHRISTOPHORO PORTVGALLIÆ PRINCIPI.

VI *licet exactum Imperio, tamen aurea cœli*
Sydera te super attollit tua Regia virtus.
Nam Rex ipse tui superas, & numine Diuûm
Regia mens viget imperio tua dignior omni.

NIHIL INSCRIBENDVM EFFIGIEI IOANNÆ DARCIÆ VIRGINIS Aurelianensis.

QVÆ *pater Omnipotens altâ caligine pressit*
CAROLVS *& Virgo quæ tacuere suis;*
Ardua secreti mysteria pandere facti
Non licet; hæc veteri relligione latent.

DE MORALINO.

PROMITTIS, *Moraline, multa, ludens*
Tuis pollicitis, nihilque donas;
Si tu non tibi, Moraline, credis;
Quis credat tibi quæso mentienti?

AD HENRICVM ESCVBLEVM ARCHIEPISCOPVM BVRDEGALENSEM virum illustriss.

TEMPORE *quo Rupella furens ciuilibus armis*
Et strepitu belli Gallia tota fremit;
Tu CHRISTO, *Regi, & patriæ pia munia præstas*
Obsequij, gratas officijque vices.
Non equidem tanti vanescet gratia facti,
Posteritas longùm sed studiosa colet.
Macte animo, reddet meritis pia præmia Cœlum,
Quæ non digna satis reddere terra potest.

DE HENRICO LOMENIO MONBERONII COMITI SACRI Consistorii Assessori, & Regi à sacris iussis & mandatis.

QVALIS *in illustri tabulâ spectatur imago,*
Quæ viuum insigni spirat ab arte decus;
Talis in augusto vir magnus munere patrem
Lomenium meritis, ingenióque refert.
Sic sensim natura suas agit insita vires;
Sic patrio viuum spirat ab ore decus.

AD ANT. PHILIPPÆVM VRILLERIVM SACRI CONSISTORII ASSESSOREM & Regi à sacris iussis & mandatis.

MAXIME vir, cui sacra patent oracula Regis,
Aurea quem decorat cum pietate fides;
Méne etiam propensa tui beat aura fauoris,
Quæ tibi pro tali pectore dona feram?
Accipe deuotam testantia munera mentem;
Pectoris officium muneris instar erit.

CLAVDIÆ CATHARINÆ CLAROMONTIÆ RETIORVM DVCISSÆ Epitaphium.

RETIA marmoreo iacet Heroïna sepulchro,
Nobile quæ titulis genus alto à sanguine ducens,
Tot sibi summorum deuinxit pectora Regum;
Quam tenero castæ gremio excepere Camœnæ,
Mellea quam pauit cœlesti nectare Pitho,
Quam Charites aluere, animi plenißima magni
Pectora & ingenium Dea cui Tritonia finxit.
Parca sed abripiens momento munera Diuûm
Mersit, & obscurâ noctis caligine texit.
Fallimur; augustâ nam prole superstite, famam
RETIA & æternos auxit virtutibus annos.

DISTICHON

QVID tot cogis opes, quid te coquit ardor habendi?
Lurida nil tecum cymba Charontis aget.

DE VENERE.

CVR nasci Cytherea mari Dea creditur? an quòd
Aestuat & semper fluctuat omnis amans?

AD V. AMPLISS. GVL. VAIRIVM LIBEL. SVPPLICVM MAGISTRVM, postea sacri Sigilli Custodem.

HENRICVM patrijs tentat dum pellere sceptris,
Et longâ populus seditione fremit;
Principis imperio vir maximus Vrbe latebat,
Rebus vt afflictis quâ pote ferret opem.
Sic patrijs ausi quondam detrudere regnis
Anguigenæ fratres dum voluere Iouem;
Imperio Iouis humanis latitabat in oris
Cynthius, & Diuis numen, opemque tulit.

An. M. D. XCIII.

AD IO. BOCHARDVM CAMPINIVM TVNC REGIÆ GAZÆ SVPREMVM præfectum.

QVI petit, austeri tristissima tædia vultûs
Sæpe à te inuito duráque verba refert.
Da facilem accessum Aoniis hinc inde puellis,
Hæ placidi vultûs lumina blanda petunt.
Scilicet hinc tristem ingenuas tolerare repulsam,
Hinc pudor audaces non sinit esse Deas.

ANTONIO FRADETIO PARISIENSI SENATORI V. C.

MAXIME vir, Themidis decus inuiolabile Diuæ,
Quem decorat pietas & sine labe fides;
Hinc me cæca fori rabies agit, Atropos illinc,
Quæ natum immiti cuspide cæca tulit:
Vulnere agor gemino; iuris medicamine solo
Ferre potes validam, si lubet, artis opem.

V. C. DION. BVTHILLERII MANIBVS.

HIC, vir magne, iaces triplici qui munere pollens
Mercurij, Phœbi & Themidis tria sufficis Orbi
Consilio, linguâ & scriptis monumenta per annos.
Victura æternos; tria nostro sufficis Orbi
Pignora natorum triplicis qui munere vitæ
Conspicui meritis implent illustribus Orbem.

FR. CITESIO MEDICO REGIO viro doctissimo.

RICHELII Herois morbos & dura laboris
Tædia dum verbis, auxilioque leuas;
Hoc agit Aoniæ & Medicæ Deus artis Appollo,
Qui tua casta pari numine corda fouet.

AMICO.

NOBILE muneribus pretium facit ipsa voluntas,
Nobilius longè mens generosa facit.

IAC. AVG. THVANI SENATVS Præsidis viri illustrissimi Tumulus.

ILLE sui quondam flos & noua gloria sæcli,
Et patriæ & procerum, Regis, & Orbis amor;
Illustri sobole, scriptis & stemmate clarus
AVGVSTVS Themidis, Pieridumque decus,
Marmoreo iacet hoc tumulo, quem Gallica tellus
Tam genuisse iuuat, quàm periisse dolet.

DE NAVI ET SORTE.

LICET aura te benigna
Vehat, & noto secundo
Tibi spondeat propinquas
Maris applicare ad oras:
Tamen illa sæpe contra
Maris impotentis iram
Agitat, ratémque mergit.
Imitatur illa Sortem,
Citò blanda quæ refulsit,
Citò dura quæ recessit.

I. BALTAZARI REGIO Nauarræ Quæstori.

MERCVRIVS Iouis interpres mandata per Orbem
Explicat, & terris iussa verenda refert.
Schombergi fide interpres, sublimia regni
Munia dum tractas, qua pote iungis opem.
Quàm benè Atlantiadem vultúque & pectore & ore
Et simili sortis conditione refers?

PRO EODEM VOTVM ad auras.

AVRARVM *suaues animæ, quæ læuibus alis*
Editis exigui murmura blanda soni,
Hanc statuo vobis Lauro de virgine syluam,
Albáque purpureis Lilia mixta rosis;
Vos ô dum varias tendit telluris in oras
Baltazarus IVSTI *Principis arma sequens,*
Vos molli zephyro & circum alludente susurro
Lenite inuisæ tædia longa moræ.
Ille memor vestri officij vos nempe vicissim
Carmine mulcebit, donáque vestra canet.

DE MORTE.

EXTREMVM *vitæ fatali lege tenorem*
Qui timet, æterni non præmia concipit æui.

PETRO D'AVBEROCHE.

DVM *Lauros* IVSTI *& Mauortia pectora laudas,*
Dumque piò VRBANVM *concinis ore Patrem;*
Carmina, vir docte, & diuina & regia pangis,
Quæ felici homines, astráque sorte beant.

EIDEM.

QVÆ *mihi cum liquidis diuinæ Aganipidos vndis?*
Non Cyrrhæ latices curæ: nam pura beatum
ALBA E RVPE *fluens mihi sufficit vnda liquorem.*

NIC.

NIC. RICHLETI IN SENATV PATRONI EPITAPHIVM.

MVSARVM, *Themidisque pari succensus amore*
Marmoreo hoc tumulo non, Richelete, iaces:
Vel Musæ Elysios te transmisere per hortos;
Vel Themis æternùm te super astra tulit.

DE STEPH. PASCHASIO RATIONVM REGIARVM PATRONO V. C.

QVI *longam exegit vitam sine labe fluentem,*
Qui linguâ & scriptis decus immortale parauit.
PASCHASIVS *Parcam venientem excepit amicè,*
Intrepidáque manu morientia lumina condens
Ipse, sibi æterni reserauit limina cæli.

MVLLOTIO DOCTORI THEOLOGO.

TV, *qui sacra Dei summi commercia tractas,*
Aurea quem decorat cum pietate fides;
Vnum quemque iuuas, ipsum te negligis, illud
Numinis, hoc nostræ nobile sortis opus.

DE CAROLO MENARDO SENATORE CLARISSIMO.

DVM *mea tecta subit felicia maximus hospes*
MENARDVS, *tenuis quâ se Verreria tollit,*
Omnia lætantur circùm aspirante susurro,

Annosæ alludunt quercus, è germine flores
Innumeri exiliunt, generoso è palmite surgit
Vitis, & induitur viridanti tegmine tellus
Fertilior, ventorum animæ fera murmura ponunt,
Et pater ostendit nitidissima lumina Titan.
MENARDI *facit hoc Genius, comitúmque venustus*
Nympharum chorus, & lepidæ presentia natæ.
Sic Aganipæi laticis dum Cynthius vndam
Vel Deli inuisit Musis comitantibus, hortos,
Vndique tellurem vultu cœlúmque serenat.

I. BLONDELLO CAVSARVM CAPITALIVM PRÆFECTO V. C.

IVDICE *te nostri plectuntur crimina sæcli,*
Nec dira impietas fasque piumque premit.
Vindice téque boni caput altum ad sydera tollunt,
Rebus & illorum prospera vota fluunt.
Sic, vice mutatâ, dum iuris postulat ordo,
Diuinæ Themidi debita sacra nouas.

THEODORO GOTHOFREDO REGIO HISTORICO Dionysij I. C. filio.

GALLIA *dum fœlix memori celebrabitur æuo,*
Aureáque augustum tollet ad astra caput;
Scripta tua æternis stabunt florentia seclis,
Queis regni Historiæ, & decora alta patent.
Sic docti sequeris Patris vestigia, debent
Romula cui tantum & Gallica iura simul.

ANDREÆ QVERCETANO Geographo Regio.

MAGNA *opera & meritâ dignos tu laude labores*
Edisti ingeny pignora rara tui.
Hæc ætas tua prosequitur gratissima cultu
Præmia, quæ studijs soluit amica tuis.
Posteritásque colet monimenta insignia famæ:
Sic meritis semper sors erit æqua tuis.

EIDEM.

TIBI *Gallia debet ipsa vitam,*
Tu natalia Galliæ parenti;
Donum nobilius tuum, ipsa donat
Vitam Gallia, tu perennitatem.

IN LENTVM.

NOCTES *atque dies Lentum coquit ardor habendi,*
Possideátque licet plurima, plura cupit.

DAN. SIBYLLÆO IVLIODVNENSI MEDICO.

CONVENIVNT *proprijs quoniam sua nomina rebus,*
Inde Sibyllini nominis omen habes.
Scilicet antiquam dilexit Apollo Sibyllam,
Idem etiam Medicæ te Deus artis amat.
Veridicæ tribuit longissima sæcla Sibyllæ,

At tibi perpetuos dat ſine fine dies.
Illa potens ventura canit, non fata moratur;
Hinc tua maiori numine corda calent:
Nempe graues morbos, cauſaſque & ſemina præſcis,
Et bonus auxilio ſiſtere fata potes.

DE PHILLIDE E GRÆCO.

CVR *conuexa poli reflexa noſtri*
Curnos vndique pendeant in orbes
Quæris? ſcilicet vt meæ venuſtum
Corpus Phillidos vndiquáque cernant.

I. B. SIBI CHARISSIMO.

ERGONE *abire ratum, & noſtræ linquere colles*
Villulæ, & eximij læti florida culta ſoli:
Vt gremio placidam foueas optatus amicam,
Et ſocij thalami debita iura colas?
Parco tibi, placitæ potius nam forma puellæ,
Quàm tenuis villæ gratia parua mouet.

DE I. BONETII LIBRO QVEM M. Marillaco Procancellario inſcripſit.

ARBVSIÆ *ſacra dum pandis miracula diuæ,*
Næ polles animo iudicióque ſagax.
Nempe aſſertorem legis hunc, quo vindice terris
Sancta fides, pietas, relligioque vigent.

AMICO.

DVM *quereris præclara tui monumenta laboris*
Neglecta in capſis tota latere tuis.

Quid facias? decora insanus præsentia temnit
Liuor, & ipsa suâ sæcula laude carent.

IOCVS.

ALCON & *Coricyna noctè totâ*
Stare sub Ioue frigido coacti,
Non altâ niue torpuere amantes,
Totis incaluere sed medullis.
O quantum furit æstuans Cupido!

SCÆVOLÆ SAMMARTHANI V. C. EPITAPHIVM.

SCÆVOLA *mente Deum coluit, sacrosque fideli*
Obsequio Reges flexit & eloquio:
Ille etiam fouit Musas, ac lumine cassos
Illustres Stygio traxit ab amne viros.
Floruit & vixit titulis & honoribus auctus,
Mortuus æternæ laudis honore viget.

THEOPHR. RENAVDOTIO REGIS MEDICO.

ET *Latiâ & Gallâ pollens, Theophraste, Camœnâ,*
Quem Medicæ princips artis Apollo beat.
Extinctam laudat, præsentem despicit omnis
Aetas virtutem; lex ea sortis agit.

AD ABEL. SAMMARTHANVM PATRVVM V. C.

SCÆVOLA, SCÆVOLÆ, EX IRENÆO FILIO, NEPOS.

O MIHI digna ſequi liceat veſtigia magni
SCÆVOLÆ aui! at paucis gloria tanta datur.
Tu ſolus potis es : ſimili nam pollice ſacrum
Tangis ebur, ſimili pectine plectra moues.
Seu Salicam Legem, & magni ornamenta Senatûs,
Seu Laurum, aut Diuûm Cantica ſacra canis.
Par genius vobis, ſimilique ardore Camœnæ,
Non indigna tuo carmina patre facis.
Ambo par tentaſtis iter, par gloria vobis,
Quiſnam ideo Phœbo vos neget eſſe pares?

ABELII SAMMARTHANI RESPONSIO.

TV quoque, dum magni veſtigia nota parentis,
Et pulchrum niueo tramite curris iter,
Caſtalides ſequeris ſanctiſsima numina Muſas,
Et facili Aonium pollice tangis ebur.
Macte age, perpetuam duces in ſecula vitam,
Qui cultu, ingenio, nomine reddis auum.

ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ FIL.

EPIGRAMMATVM LIBER SECVNDVS.

AD NIC. IAYVM SENATVS PRÆSIDEM ILLVSTRISS.

ASTREÆ decus & summi rarißima cœtûs
Gloria Romanis non concessura togatis,
Cui vige ingenij rarum solertis acumen,
Quem vitæ intactæ candor, cultúmque per artes
Ingenium, illæsus tenor, experientia rerum,
Et probitas meritum ad summos euexit honores,
Maxime vir, nostro tua numinis aura labori
Si blandè faueat, non atræ somnia mentis,
Nec leuia insani metuam deliria vulgi.
Nam licet infestus mea toruo pignora vultu
Inuidus aspiciat, tamen hæc tua viua refulgens
Purpura splendidiórque micat quæ murice puro
Maiestas, virtúsque potens liuentia pellet
Fascina, & ardenti perstringet lumina flammâ.

DE V. ILLVSTR. LVDOVICO SERVINO IN SENATV PATRONO REGIO moriente.

SERVINVS *medio dum insana duella Senatu*
Culpat & ante sui Principis ora notat,
Concidit exanimis, factóque hîc fine quiescens,
Hunc tandem extremi funeris hora tulit.
Non potuit supero pia Numine pectora plenus
Sorte, loco, aut cœtu nobiliore mori.

DE RVPELLA.

QVAS *sibi in auxilium appellat Rupella cohortes,*
Has sibi in exitium non benè cauta vocat.

DE LÆLIA.

DVM *cani inficiunt tuos capillos,*
Tum conuitia fundis ipsa cœlo:
Nos æternùm agitat vicißitudo.
Expectata diu & petita cunctis,
Paucis læta venit tamen Senectus.

AD ANDR. POTERIVM NOVIONVM Senatûs Præsidem illustriss.

NON *melior iuris custos nec amantior æqui*
Diuinæ Themidi debita sacra facit.
Auspice te multos inter victricia tollo
Signa, meos hostis voluitur ante pedes.

Pro meritis

Pro meritis, vir magne, tuis ingentibus in te
Crede mihi, obsequio non prior vllus erit.
Ergo tibi sacro quæ debita pectine duco
Pignora, tot meritis sint, precor, æqua tuis.

HENRICO MEMMIO IRVALLIO
Senatûs Præsidi illustriss.

TE *rerum, & Latij, nostrique scientia iuris*
Ornat, & ingenuâ cum probitate fides.
Teque Caledoniæ illustri de stemmate stirpis
Prognatum decorat cum pietate pudor.
Denique si deesset veterum tibi sanguis auorum,
Gentis & excelsæ continuatus honos;
Sat tibi tot meritis, ingentibus, inclyte MEMMI,
Pro veteri virtus nobilitate foret.

AD PETRVM SEGVIERVM
Senatus Præsidem illustriss.

DVM *decus Orbis erit longè pulcherrima rerum*
Galliæ, dum Gallûm Curia splendor erit,
Consessu Patrum in medio gentile SeguierI
Mansurum æterno tempore nomen erit.
Sic & Panchæo deductus ab aggere Phœnix
Æternùm Assyriæ regna beata colit.
Hoc tamen inferior, patriâ quod morte resurgens
Exilit Orbis honos vnica semper auis.
At tecum innumeri proceres de semine tanto
Augustæ effulgent lumina rara Togæ.

NICOLAO BALLIOLO SENATVS Præsidi illustriss. ac Reginæ Cancellario.

TE meritum summo regni locat Ordine Princeps,
Rebus vt afflictis numen, opemque feras.
Sic Deus Astræam in terras demisit ab alto,
Vt Dea tranquillâ secula pace beet:
Hinc tibi cum Superis communia fata supersunt,
Sydera pro meritis teque, Deamque manent.

IN INVIDVM ET ALCONEM.

INVIDE, me carpis, te carpit & inuidus Alcon,
Mutua sic liuor spicula fixa gerit.

ANT. NICOLAIO RATIONVM REGIARVM PRIMARIO Præsidi illustriss.

EXCELSI, vir magne, tui decus Ordinis ingens,
Atque idem secli gloria rara tui.
Res mira! augusti tu quintus Muneris hæres
Maximus immensâ non sine laude viges.
Hoc agit insinuans sensim se candida virtus,
Et patris in natos vis generosa fluens;
Cognatásque agitant cœlestia semina mentes,
Dum similis generi continuatur honos.

IN PALATII PARISIENSIS incendium.

DVM nostri aula fori flammâ & candente fauillâ
Aestuat, & toto culmine mota ruit:
Est qui venturam cœli denuntiat iram,
Et populo passim tristia fata canit.
Fallitur; augusti nam sæua incendia tecti
Extinguit placido Principis ore iubar:
Et magni Genius fœlix, noménque LOISI
Prodigia & casus & mala cuncta fugat.

AMPLISS. VIRO IO. IAC. MEMMIO ERRICI F. IO. IAC. N. REGIO in sanctiore Consistorio Consiliario.

PATRE & auo fœlix & natis, maxime Memmi,
Effulges secli lux rediuiua tui.
At quoniam meritis & tot virtutibus ornas
Stemmate præclaram nobiliore domum;
Hinc auus & nati atque pater fœlicior vno
Te patre, te nato, teque nepote fuit.

AD IOACHIMVM CEVALERIVM SENATOREM PARIS. V. C.

DVM sacra Themidis meliori incensus amore
Diuæ incorrupto pectore sacra facis;
Rebus in angustis mediáque in luce Senatûs
Intrepido dum tu pectore verba facis,
Tunc nos, quicquid agis, quidquid meditaris, & ore
Et mente & factis tempus in omne beas.

DE SPE.

SOLA homines inter Spes est mirabile donum,
Spem licet infœlix qui perdidit omnia, seruat.

CAROLO FAYO SPESSÆO VIRO ILLVSTR. SACRI CONSISTORII Assessori & apud Belgicæ Ordines Oratori.

SCÆVOLA Pieridum decus immatura parentis
Defleuit tristi carmine fata tui.
Astræa simul & Phœbi noua gloria, patris
Concinis extincti tu quoque fata mei.
Quæ pater in patrem fœlici contulit astro,
Sunt ea muneribus dona minora tuis.

AD PAVLVM HAYVM CASTELLETVM CONSISTORIANVM COMITEM, Libellorumque Supplicum in Regia Magistrum virum ampliss.

QVI patrem celebras culto quoque carmine, nostris
Vir magne, in libris tu quoque scriptus eris.
Sic meritis iusta officijs tibi præmia soluam
Debita & obsequij pignora certa mei.
Scilicet vt viuum, sic tu post fata beasti
Vt laude & numeris, sic pietate patrem.

ANT. FERRANDO PROPRÆTORI PARISIENSI.

TV, qui olim ingenti circum applaudente coronâ
Flexisti Astræos ad tua vota Patres;
Nunc, vir docte, tui fulges pars magna Senatûs
Oppressis columen, præsidiumque reis.
Te neque sollicito numerosa negotia nexu,
Nec rerum immensâ pondere mole premunt.
Sic lapis æternùm rapido licet ardeat igne
Flammeus, absumi non tamen igne potest.

PETRO MARTELLERIO V. C.

ERGONE *præstanti qui mentis acumine polles,*
Doctrinâ, ingenio, iudicióque potens;
Qui procerum & populi tot magna negotia soluis
Vnus & impliciti tædia longa fori;
Tu nati causam non dedignare tuendam,
Propitióque fauens numine dexter ades.
Non cymba illius ventos, non fulminis iram,
Non *metuet sæui tot vada cæca freti.*
Auspice te melior surget rediuiua per altum
Sit licet aduerso turbine pulsa ratis.
Et multos inter tua quos seruauit ab vndis
Dextera & infesto tempore nota fides.
Vt merito constet generosis gratiâ factis,
Suspendet medio debita vota foro.

AVGVSTO GALLANDIO V. C.

DVM *precibus Regem flectis, monitisque rebelles;*
Dum vanos titulos & fastus vrbis inanes
Rupellæ, seriemque rei & ludibria pandis;

Feuda etiam, & regni tenebris, decora inclyta, densis
Dum superas iussus reuocas in luminis auras,
Totque fori interea, procerúmque negotia tractas;
Næ tu perpetuum celebrari dignus in æuum.
Nam Regi obsequium præstas, Vrbique salutem
Propitius, gestisque fidem, rebusque nitorem
Reddis & augustæ solemnia iura Coronæ.

DE SORTE.

QVI *dubiæ Sorti fidit male sanus & expers*
Consilij, præceps in sua fata ruit.

PETRONILLÆ.

LÆDE *quamlibet, Vre, punge, sæui,*
Nostro dummodò, Petronilla, fœlix
Vulneri medeare rore leui,
Erit Vulnere mitius leuamen.

V. C. PETRO PVTEANO CLAVDII F.

MAGNI *magna patris soboles, cui dona Camœnæ*
Casta placent, quique ingenuas amplecteris artes,
Gallica dum abstrusis auidè monumenta latebris
Eruis, ac Veteres tabulas, arcanáque gentis
Voluis, & augustæ lustras decora alta Coronæ,
Quantum grata tuo ingenio mea Gallia debet.
Auspicijs, nempe illa tuis illustrior auras
Aethereas petit, & caput inter sydera condit
Altior æternum nusquam interitura per æuum.

IN ELOGIA SC. SAMMARTHANI.

VOs ô, *quorum animas sublimis regia cœli*
Detinet, & quorum corpora terra capit.
Et quos Romuleæ fœlici flumine linguæ
Scæuola Tartareo victor ab amne trahit;
Gaudia dum vobis cœlestia comparat æther,
Ipsa etiam tellus debita vota facit.

AD CLAVDIVM PONTANVM V. C.

NON *in perpetuum Lethæam traijcit vndam*
Scæuola, cui sternit iuncto pede siue soluto
Pendentem æterno Pontanus fornice pontem,
Scæuola quo superas remeat rediuiuus in auras.

IACOBO GVTHERIO I. C. ciui nobili & Patricio Romano.

MVRETVM, *Ossatumque olim sibi Romula tellus*
Adsciuit, nostri lumina rara soli.
Audebertum etiam, eloquio scriptisque potentem
Gutherium, patriæ sydus vtrumque suæ,
Patricij & ciuis titulis & honoribus auxit,
Insignes meritis & super astra tulit.
Sic fuit in pretio Romanis Gallica virtus,
Debita cui merces & suus extat honos.

AD N. V. IN OBITVM VXORIS.

ORPHEVS *vxorem stygijs reuocauit ab vndis:*
Non tamen illa diu suspexit lumina Solis;

Continuóque Erebi furuas remeauit ad vmbras.
At tu, magne Heros, longè fœlicior Orpheo
Vxorem Stygij reuocas è faucibus Orci,
Spectet vt æternùm nitidi noua lumina Phœbi,
Et superi repetat sublimia culmina cœli.

SEB. ROLLIARDO I. C. in suprema Curiâ Patrono.

HINC *Themidem; similique foues molimine Musam,*
Successúque pari numina bina colis.
Hinc patriæ decora Historiæ, summique Senatûs
Lumina, & ingentum maxima facta Patrum
Iam rediuiua tuis fulgent tam illustria chartis,
Vt laude eximiâ vincere fata queant.
Macte igitur; palmæ non scilicet institit vni,
Qui varijs studijs nomina celsa tulit.

EIDEM SEBASTIANO ET DIONYSIO ROLLIARDIS FRATRIBVS.

MVTVA *vos sine labe fides & nobile munus,*
Fraternóque potens fœdere nectit amor.
Plura quid expetitis? faxit Deus æthere ab alto,
Vt meritis vestris prospera vota fluant.

DE CVPIDINE.

PROPTER *fluminis alueum nitentis*
Cur sedet Veneris puer Cupido?
An Cupidinis & faces & ignes
Vt extinguat aquæ fluentis humor?

AD IOAN. MONTEREVLLVM IN SENATV PATRONVM.

NVNC Cytharâ dulci mansura poëmata condis,
Nunc medio tractas ciuica iura foro.
Sic dum venturæ quæris præconia famæ,
Hinc tibi & oppresso consulis inde reo.

V. GRANDERIO IVLIOD. ECCLESIÆ RECTORI.

SCÆVOLA cum perijt, meliori sorte potiri
Sperantem verbis, auxilioque iuuas.
Tandémque intrepidè morienti lumina condis,
Et bonus exhalantem. excipis ore animam.
Dein populi in turbâ, procerum cœtuque frequente,
Mellito eloquio tollis ad astra virum.
Debemus tibi, Granderi, qui patris, amici,
Et nati officio fungeris ipse pio.

IACOBO CORBINO IN SENATV PATRONO.

DVM celebras meritâ insignem pietate Berullum,
Atque vnà laudas summi decus Ordinis ingens,
Te, cœtumque pium & sanctum, Corbine, parentem
Tollis perpetuis cœli per sydera chartis.

G. COLLETETIO POETÆ GALLICO DIGNISSIME Scæuolam laudanti.

SCÆVOLA *dat vitam multis, vitæque vicißim*
Mutua concedis munera, sorte pari.

I. GIRIO IN CVRIA PATRONO.

CHARE *Giri, varijs fœlici numine Diuûm*
Cui nitet excultum dotibus ingenium;
Seu Themidi addictus caußis intentus agendis
In medio fundis verba diserta foro:
Candida Phœbæo seu pectora concitus oestro,
Exculto nitidum pollice tangis ebur;
Hinc sibi Mercurius totum te vindicat, illinc
Cynthius & pariter numen vtrumque fouet.
Fœlix ô nimium, quem cœli ad sydera tollit
Officio illustri gloria vtrinque pari.

ABELIO SAMM. FILIO.

FIDE *Deo, præcepta eius sub pectore serua;*
Quæ sunt grata Deo qui facit, ille sapit.

AD GVL. ADAMVM IN Senatu Patronum.

QVAM bene concineres felici carmina cultu
Libera, si placeat plectra mouere lyræ;
Tam bene qui versus tot condis Appolline dextro,
Includens iunctis verba coacta modis.

SCÆVOLÆ SAMMARTHANI VOTVM THEMIDI PRO Abelio filio.

DVLCIBVS Aonidum nobis eductus in antris;
Molliáque assuetus plectra mouere puer,
Nunc cytharam abijciens, veterumq; oblitus amorum
Se tibi, magna Themi, tempus in omne dicat.
Tu Dea, si niueos huic dant sua semina mores,
Ingeniumque aptum qualibet arte coli;
Da studijs faciles cursus, templisque sacerdos
Pura tuis olim fac tibi sacra canat.

ABELII RESPONSIO.

VOTA pius Themidi pro me, pater optime, fundis,
Auxilium facili numine Diua tulit.
Intermissa diu cytharæ dum fila retento,
Hic rursum euentu concipe vota pari.
Assuetæ noua deficiunt in carmina vires,
Fors poterunt Genio plus tua vota meo.

AMICO.

SI mea non penitus ſuerint ingrata legenti
Carmina, me cytharam non tetigiſſe piget.
Tædia ſi tulerint, veniam, non præmia poſco;
Liber ab inuidiâ ſi modo lector erit.
Vel ſub lucem hominum potius ſua carmina prodat,
Fortè feret meritis præmia digna ſuis.

ABELII SAMMARTHANI SCÆVOLÆ FIL.

HENDECASYLLABON LIBER I.

ILLVSTRISSIMO VIRO
CLAVDIO BVTILERO
SACRI CONSISTORII ASSESSORI
& Regi à sacris oraculis & mandatis.

PRoles maxima maximi parentis,
Virûm dulce decus politiorum,
Candidißime & omnium virorum
Quot sunt, quotque alijs erunt in annis,
Humanißime BVTILERE, *magnas*
Si per tot vacat occupationes,
Et negotia sanctiora Sceptri,
Regisque & patriæ, quibus laboras
Solerti ingenio atque perspicaci,
LOISI *vnicus è suis minister*
Nostris & simul exteris in oris,
Et quà Suzia capta iungit Alpes,
Et quà legibus Occitana IVSTI

Se prouincia victa tota subdit,
Et quà se regio hinc & inde pandit
Scaldim inter gelidum, Mosam atque Rhenum;
Velim, si tibi fortè non molestum,
Grati vt lumine blandiore vultûs
Meos suscipias bonus labores,
Fructúsque ingenij minutiores.
Hinc nec scommata vana, nec malignam
Liuoris metuam notationem.
Ille tabifico madens veneno
Nusquam iudicat æquus æstimator,
Sed quod mens sibi turbulenta virus
Solet suggerere vndiquaque fundit.
Morbi sic vbi sæuit atra pestis,
Non res mentis inops, sed ipsa rerum
Signa sensibus implicata læsis
Aut tantùm videt, aut videre credit.

AD CL. FALCONEM SENATVS Armorici Principem.

ASTREÆ decus, & decus Thaliæ,
Hoc se præcipuè meus fatetur
Fœlicem genitor, quòd à iuuentâ
Vos fidelis amor tenaxque iunxit,
Qui nec iam in senio fatiscit ipso,
Verùm ætate magis magisque crescens
Vos reddit magis & magis beatos.
Tu tamen melior, beatiorque,
Quòd dignus patre filius tuarum
Per vestigia sanctiora laudum,
Doctrinâ bonus eloquentiáque
Suæ gloria Curiæ nitescat,
Sui flos nouus emicetque sæcli.

VIRO CLARISSIMO CHRISTOPHORO PERROTO Senatori Parisiensi.

SI quando tibi fortè feriari
Sinunt gratæ operum remissiones,
Doctrinæ omnigenæ laboriosi
Fœtus & Themidis seuerioris
Diuini studij occupationes;
Tu dulces numeros, modósque pangis
Nostri ad marmora Scæuolæ perempti.
Queis cedat liquor & beata pressi
Mellis copia quod tulere cannæ,
Vel si dulce magis quid esse possit.

VIRO CLARISS. IO. BVGVIERO SENATORI.

VIR magne, eximium decus Senatûs,
Et Phœbi & Themidis beate alumne,
Ergo Scæuola clauditur sepulchro:
Imò non tumulo latet sub mœsto.
Illum Pierij nitore cantus,
Vnde nectarei fluunt liquores,
Vnde melliflui fluunt lepores,
Orci tristibus eruis tenebris,
Et rursum aërias vehis sub auras:
Imò purpurei subinde cœli
Super sydera, Buguiere, tollis.

V. C. PETRO GOBELINO
SACRI CONSISTORII ASSESSORI & Cognitori Regio.

FLORE ævi in medio ſenile pectus
Qui geſtas, Gobeline, rara noſtri
Laus ſæcli, & Themidis beata cura.
Sic tu mellifluo lepore linguæ
Totius populi ſtupente cœtu
Principem celebras inuſitato
Vocis nectare, floridiſque verbis,
Nomen ipſe tuum vt ſub aſtra tollas.
Qualis ſe retegit, ſuóque lumen
Dat è lumine, dum procul nitenti
Purus omnia luſtrat ore Phœbus.

AD RODOLPHVM MAGISTRVM
SERENISSIMI AVRELIÆ DVCIS Regis vnici fratris Archiatrum.

DOCTRINÆ officio tuo fideli
Dum tu Aſclepiadæ potentis artes
Sub lucem reuocas, & imminentis
Parcæ triſtia fata commoraris:
Dúmque Apollineo incitatus œſtro
Sacræ plectra lyræ canorâ tangis,
Amborum aſſequeris decus, tuúmque
Nomen deſide vindicas ab Orco.
Cum verò patriâ ſubinde linguâ
Regis pacifici poëma reddis,
Quo nos blanditijs, leporibuſque
Ad veræ ſtudium allicis Sophiæ;
Tunc longè exuperas & hunc & illum;

Vt qui

Vt qui corporibusque, mentibusque
Longum æquè tribuas amicus æuum.

A. CVMONTIO SENATORI PARIS. V. C.

DOCTRINÆ *ecce tuæ reconditioris,*
Et iuris studium seuerioris,
Nostra sæcula sæculis vetustis
Nusquam cedere posteros docebunt:
Sed dum perpetuo incitata cursu
Vastum flumina concident in æquor,
Dumque purpureo micans in axe
Stellis innumeris polus nitebit,
Pulchris gloria te secunda pennis
Cæli sydereas vehet per auras.

PHILIPPO GIRARDO in Senatu Patrono.

CVSTOS *Aonij puëlla collis*
Formauit iuuenem, tibique cultum
Pectus excoluit bonas per artes,
Ascrai nemoris leui sub vmbrâ.
Téque olim in mediâ Patrum coronâ
Virum pro trepidis reis loquentem,
Quæ fandi studio præest amica
Pitho nectareo liquore fouit.
Et tandem Themis ipsa nata Cælo
Ciuilis Sophiæ senem per hortos
Deduxit, dubijs dares & arctis
Vt oracula sanctiora rebus.
O fœlix nimium iuuenta fœlix,
Ætas firmior, & senecta fœlix!

MAGDALENÆ LACCIÆ VXORIS dilectissimæ Epitaphium.

ISTO Vxor mea conditur sepulchro,
Qua nec vlla magis pudica vixit,
Qua nec vlla magis modesta vixit;
O! si perpetuum frui per ænum
Conuictu licuisset, immerentem
Diro funere nec tulisset illam
Fati cæca necessitas iniqui,
Me certè fore iure credidissem
Omnium penitus beatiorem
Quot sunt, quotque aliis erunt in annis.

P. IVRIO IN PARISIENSI Senatu Patrono.

EIA Verrerios adi recessus,
Romano sale, Gallicóque cultu
Conditos numeros tibi canenti
Assurgent nemora, herbidæque valles,
Assurgent iuga montium, atque colles,
Hic & cæruleis Deæ sub vndis
Ludunt Naiades, inuiisque syluis
Intonsæ Driades, leuesque Nymphæ.
Hîc hortus violas, thimique flores
Passim fundit humi, crocum & cyperum,
Et laurum viridem, & rosas olentes.
Hîc frugum genitrix Ceres patenti
E sinu omnigenûm manu beata
Frugum prodiga copiam refundit:
Hîc blandæ Bromius repertor vuæ

Colle bis satus explicat virenti
Passim pampineas decorus vmbras.
Hanc sedem Charites colunt, paterque
Phœbus & teneræ nouem Puellæ,
Hîc mollis Iocus & tener Cupido
Fingunt delicias amœniores.
Hîc passim roseas tibi corollas,
Hic passim tibi myrteos odores
Tellus sufficit, aureosque flores.
Hîc serenior aër enitescit,
Amnis lenior vndiquaque serpit,
Aues gutture dulciore cantant,
Aspirant zephyrique blandiores.
Hîc altrix iuuenum & senum voluptas,
Et soli teneri, & beata sudi
Cæli temperies mihi vigorem
Dum vernum, & teneram refert iuuentam
Omnem protinus exuo senectam.

AD CAROLVM LABBÆVM IN Parisiensi Curia Patronum.

L*ABBÆE, omnibus è meis amicis*
Condidissime, qui meos labores
Pluris quàm decet æstimas, vetustæ
Cede amicitiæ, graui asterisco
Eos ipse nota, feros & vngues
Duri iudicis in meos libellos
Mitte, vt liberius seueriores
Doctorum subeant manus virorum,
Quos Phœbi & Themidis beatus ordo
Cultu prosequitur, subinde nostri
Tanquam lumina pulchriora sæcli.

E GRÆCO.

EN nigros oculos reflectis in me,
Nigrum detege, Magdalena, velum,
Vt albam faciem & nigros ocellos
Lætus conspiciam, ô venusta virgo;
Bina sydera sic mihi recludes,
Auroramque simul, diemque reddes.

G. LANERIO LEFFRETERIO IN Magno Regis Consilio Senatori V. C.

MVNVS nobile dum beatus exples,
Dat vires animo colenda virtus:
Illáque interea fidésque præstans,
Diuini pietásque rara cordis,
Et candor, placidæ tenórque vitæ,
Necnon frontis honos, decorque vultus
Seuerus simul & simul modestus
Tui iudicij notant acumen,
Insignes animique corporisque
Dotes, ingenij tuique cultum.
Sic læti decus oris incolarum
Viuidus color, & venusta forma
Insitam notat aëris salubris
Æquam temperiem, & soli benigni
Fœcundique sitûs amœnitatem.

G. MERALDÆ CONIVGI SVAVISSIMÆ.

HINC me dulce mihi, Meralda, nomen
Iuuas officio tuo fideli

Ægrotum, aßidua hinc domus regenda
Totam cura tenet, piaque nomen
Et castæ assequeris, tui acriores
Meis sensibus excitans amores.
Ergo te meritæ perennitati
Consecrare iuuat, meóque versu
Te pudicitiâ, innocentiáque
Insignem celebrare, dein merentem
Ferre purpurei sub astra Cœli.

IN AMBITIOSVM ET AVARVM.

MONTES *montibus adijcit polúmque*
Vult transcendere turgidus superbæ
Ardore ambitionis intumescens:
Atque auro quoque auarus addit aurum,
Habendi nimio calore & æstu
Totis artubus vndiquaque incalescens:
Optatis tamen interim fruisci
Non potest sibi carnifex vterque.

AD CLARISSIMOS VIROS IACOBVM ET IOANNEM PINONES PATREM & filium, Senatores Parisienses.

ET Phœbi & Themidis beata cura,
O docti pater erudite fili,
O docti patris erudita proles,
Hos Musæ numeros minutiores,
Quamuis illepidos & inuenustos
Vobis offero murmurantis inter
Fori tædia & occupationes,
Vobis iudicium sagaxque naris

Si vobis placuit, satisue fecit
Hic noster labor, haud seueriorum
Tot Vngues metuam ferociores,
Dira nec feræ tot venena linguæ.
Nam quæ sunt semel approbata vobis
Nullus corripere impudenter ausit.

IN TENEBRICOSVM.

QVid mirum fugiat, Tenebricose,
Si te Candidus ebrium poëtam,
Furentes numerósque pertimescat?
Sic propter sata vitis ipsa Laurum
Et frondes fugit arborisque sacræ
Graues & sibi noxios odores.

ALIVD.

ROSIS *spicula mixta sic legentes*
Incautos nimio dolore pungunt,
Tuis vt latitant sub inuolucris
Verborum atque iocis subinde fictis
Mille nequitiæ & sales amari
Morsu vipereo vndiquáque tincti.

NICOLAO RIGALTIO IN Senatu Patrono.

SALVE *Mercurij simulque Phœbi,*
Augustæ Themidis, simulque Musæ
Summa gloria, maximum que lumen:
Qui cultissimus eruditione,

Qui purißimus elocutione,
De libris veterum & recentiorum,
Iuris dogmata Romuli profundum
Doctrinæ studium beatioris
Artesque ingenuas, scientiasque,
Styli munditie disertioris,
Et blandæ referas lepore linguæ;
Inter tot studij tui forensis
Curarumque alias remißiones,
Nugis perde operam meis terendis,
Quamuis insipidis & inuenustis,
Queisque ineptius inuenustiusque
Nostra aut postera nil videbit ætas.
Nempe seria temperare lætis
Licet, dum vacat, otióque molli
Relaxare animum, leuésque nugas
Elegantibus anteferre Musis.

NIC. RAPINO V. C.

GRAVI *iudicio tuo politæ*
Acríque ingenio meæ Camœnæ,
Leues quæ prius extitere nugæ,
Fiunt blanditiæ suauiores,
Et quæ quisquiliæ prius fuere,
Fiunt delitiæ venustiores.

AMICO.

E*N Verreria frigido recessu,*
Et mulcentibus arborum susurris,
Dum ver æthera mulcet, & susurris,
Et molli Zephyro tepescit aurâ,
Nunc te ad delicias vocat, sinúque

Picta gramine diſcolore tellus
Flores innumeros amica fundit,
Roſáſque & violas & alba paßim
Tibi Lilia Gallicæ coronæ
Digna inſignia porrigit; nitentem
Sol hic purior emicat per hortum,
Et dies ſine nube pulchra ſurgit.
Fœlix denique Scæuolæ ſuperbit
Cœleſti Genio, ſacriſque Muſis.
Iſthic ſcilicet vltimum ſub æuum
Olor carmina dulciora fudit,
Ætas quæ ſua vidit & probauit,
Quæque poſtera prædicabit ætas.

ABELLII SAMMARTHANI PSALMORVM ALIQVOT DAVIDIC. PARAPHRASIS.

ILLVSTRISSIMO VIRO HENRICO LVDOVICO CASTANÆO RVPIPOZÆO PICTAVORVM EPISCOPO.

Hic vbi Dissaum superas attollit in auras
Conspicuum caput, & viridanti valle per herbam
Despicit exigui labentia flumina Clani,
Prataque purpureis variè fulgentia gemmis,
Dulcia diuinam tibi mulcent otia vitam,
Et simile æternis agitas cœlestibus æuum.
Sisque licet veteri de sanguine cretus auorum,
Doctrina & famæ titulis & honoribus auctus,
Mortales tamen humano de pectore curas
Exuis, & superos motus, atque abdita pulchris
Sensa notis penetras, fidóque interprete cultu
Cantica Iessæi cœlestia carmina Regis,
Et CHRISTI *& veterum reseras oracula Vatum,*
Sanctorumque subis penetralia maxima Diuûm.
Sic Aquila æthereo Superûm gratissima Regi,
Dum præceps nitido reditum molitur Olympo,
Oppositas penetrat nubes & permeat auras,
Excelsúmque secat pernicibus aëra pennis.
Sic pater auricomo Sol altè affixus Olympo
Nubila, quæ piceâ cæcum caligine Cœlum
Inuoluunt, fugat & vincit, nimbísque repulsis
Exerit obscurum detectis aëra terris,
Et nitidam Cœlo tellurem ostendit aperto.

PSALMVS XIX. Hebræis 20.

Exaudiat te, Dominus in die.&c.

Preces pro Christianissimo & inuictissimo Rege LVDOVICO IVSTO.

Factio dum sine lege ruit, cæcósque tumultus
Excitat, & veteres regni dum suscitat hostes;
Te Deus exaudire velit, Rex optime Regum,
Et patriæ saluum præsenti numine seruet,
Auxiliumque tibi Cælo metuendus ab alto
Mittat, & augustâ te firmet ab arce Sionis.
Cumque etiam pia sacra feres, & debita voti
Persolues, memor Omnipotens tua munera blandè
Accipiat Deus, atque immisso cælitùs igne
In flammam & cineres oblata holocausta resoluat.
Denique quidquid ages, animo quæcunque reuolues,
Diuina vsque tuis aspiret gratia cœptis.
Nempe altos aderit circum Victoria currus;
Nos tibi plaudemus reduci, te sospite læti
Próque aris tibi, próque focis pia signa feremus.
En nostras placâ cepit Deus aure querelas,
Et summi (nec vana loquor) de culmine Olympi
Magnanimum infidis Regem defendet ab armis:
Certam adeò diuina suis fert dextra salutem.
Curribus ergò alÿ exultent, iactétque feroces
Alter equos, pleno memorabimus ore Tonantis
Augustum nomen, patris auxiliumque petemus.
Nec mora gens inimica ruet, genicúsque reflexis
Victoris cadet ante pedes, & supplice vultu
Multa gemens veniam generoso à Principe poscet:
Interea capita in terras abiecta prememus,
Et Superûm erecti tollemus ad æthera vultus.

Quare ades, ô Regemque fauens, Regnumque tuere;
Et cùm sacra tibi ponemus vota querelasque
Edemus, valeant euentu vota secundo,
Et nostris, Pater Omnipotens, attende querelis.

PSALMVS XX. Hebr. 21.

Domine in virtute tua lætabitur Rex.

Pro eodem Rege Christianissimo EPINICION.

ARBITER *armorum Omnipotens, quo pendet ab vno*
Rerum certa salus, fusâ quòd gente rebelli
Rex pius & partis fœlici marte tropæis
Exultat, Pater alme, tuum est, tibi gaudia fundit
Victor ouans, memori grates tibi pectore reddit.
Nam verum illudit vano dum numine Numen
Hostis, & insanos voluit sub corde furores,
Ad te confugiens supplex quodcumque petiuit
Ille tulit, longéque adeo potiora potitis
Sæpe tulit, victúmque hostem dare terga coëgit.
Hinc porrò & patriæ sacrum diademæ coronæ,
Et nunquam optati decus inuiolabile sceptri,
Per varios rerum casus, vanosque tumultus
Terrarum vnanimi applausu gestare dedisti:
Vtque tibi puram petijt sine crimine vitam,
Protinus illæsæ longissima tempora vitæ
Concedis bonus, atque annos sine labe fluentes;
Nec tuus vsquam illi placido fauor altus Olympo
Deficit, aut mollis pacato lumine vultus.
Vnde quidem multâ lætus cum laude vigebit
Æternùm, & florens memori celebrabitur æuo.
Nimirum simul intrepidus te fidit in vno,
Illicet infesti perierunt funditùs hostes,

Nec diuina tuæ fugerunt verbera dextræ,
Flammantésque iras; vt enim fornace sub imâ
Æstuat ignis edax, & sæua incendia miscens
Deuorat annosæ durissima robora syluæ;
Sic etiam iustâ Deus altè accensus ab irâ
Fudisti gentem externam, sceleratáque deinceps
Semina, progeniemque futura in sæcula perdes.
Illa quidem horrendo nimium se polluit ausu,
Et spirans immane nefas tua Numina læsit.
Ac licet insidias tendat, vitæque minetur
Magnanimi Herois, qui iusta ad fræna rebelles
Cogit, & acceptas rerum moderatur habenas;
Tu tamen hunc, Pater, æthereâ seruabis ab arce
Incolumem, ferróque hostes flammáque fugabis,
Impiáque ardentes vibrabis in ora sagittas.
Ergo ades ô exsurge Deus, vireſque potentes
Ostende, & supero sanctum caput exere cælo,
Nos tua pandemus terras benefacta per omnes,
Teque pio nitidum tollemus ad æthera cantu.

PSALMVS XIIII. Hebr. 15.
Domine quis habitabit.

QVIS *tecum, alme Parens, superi colet aurea Cæli*
Templa? quis æternùm felix in monte sedebit?
Qui purus sceleris, quicquid rectúmque piumque est
Exequitur, verbi falsâ nec imagine ludit,
Cui non lingua procax, tristi qui vulnere nullum
Læsit, & opprobrio non fidum oppressit amicum;
Qui nihili facit impuros, dominique timentes
Suspicit, & vanæ fugiens mendacia linguæ,
Quamuis damnosi seruat rata fœdera pacti:
Qui neque congestos infami fœnore nummos
Condit, & insontes accepto munere damnat:
Qui memor hæc sequitur, superi tecum aurea cæli
Templa colet, fœlixque æternùm in monte sedebit.

PSALMVS XXIX. Hebr. 30.
Exaltabo te Domine.

TE Deus æternùm cæli super æthera tollam,
Qui pressum medijs in rebus, humique iacentem
Erigis, oppressúmque vehis, dum feruidus hostis
Insultat lachrymisque meis rebusque caducis.
Tristis ego afflictúsque tibi solemnia dudum
Vota fero, cedant successu optata secundo.
Me quoque supremâ pressum, pater optime rerum,
Morte redemisti vel ab ipsâ mole sepulchri
Traxisti placidam dum porrigis æthere dextram.
Vos quoque diuini quos protegit aura fauoris,
Ventura æternùm celebrate in sæcula numen.
Ira Dei tenues subitò euanescit in auras,
Sed pia munifici viget indulgentia cæli,
Vespere si pungit nos fletus, manè vicissim
Aurea tranquillâ surgit cum luce voluptas.
Ecce ego viuebam sortis securus iniquæ
Credulus hinc nimium, & felici tramite sistens
Ducere sperantem secura per otia vitam:
Me nempe, alme Parens, excelso in monte locasti,
Sed mea credulitas & inani gloria fastu
Dejecit superi actutum de culmine montis.
Tunc ego te lachrymis supplex in vota vocaui:
Quid tibi profuerit, Deus & Pater optime mundi,
Si tellure tegar, gelido condárue sepulchro.
Puluis ego tua tot benefacta sonare per orbem
Vt potero, cantúque tuum celebrare decorem.
Ergo age placatus nostris attende querelis,
Rebus opem afflictis præsta, morbóque salutem:
Nec misero placidas aures auerte precanti,
Tristia fac letis cedant, plausúsque dolori
Sic te solemni celebrabo in sæcula cantu

Et totas Orbis referam tua facta per oras.
Vocemque atque tuas in laudes ora resoluam.

PSALMVS XLII. Hebr. 43.
Iudica me Deus.

SIs *Iudex, fortisque mihi, pater optime, vindex,*
Auxilióque tuo me protege, perfida dum gens
Et scelera & cæcas meditatur pectore fraudes,
Diráque vesanus miscet conuitiet factis.
Ergone, summe Deus, iustæ spes vna salutis
Auxilium mihi ferre negas, longéque repulsum
Despicis, & luctu & tristi inde rore sepultum,
Dum furit insultátque mihi dum perfidus hostis.
Sis bonus, ô mihi præsidij iubar exere cœlo,
Pande viam ætherei super alta cacumina montis
Quæ fecit, & sancti referet mihi limina tecti.
Tunc propior, sedémque tuam prostratus adorans,
Et te lætitiæ Deus, authorémque salutis
Perpetuo cytharæ attollam super æthera cantu.
Cur mea mens tristi langues mœstissima planctu?
Quid te discrucias? placidæ spem pone salutis
In Domino; curámque tui committe, beato
Rursus ad æthereas te cantu subuehet auras;
Incolumen qui te præsenti numine seruet.

PSALMVS XCIX. Hebr. 100.
Iubilate Deo omnis terra.

EN *cœli Domino præconia debita pangat,*
Lætitiáque fremens terrarum inseruiat orbis.
Nam Deus est noster, neque enim nos finximus ipsi;
Sed nos qui terras & condidit omnia finxit;

Nos inquam gentem illius, quæ dulcia vitæ
Grex velut in campis per pascua pabula ducit.
Quare age lætitia exiliens sublimia porta
Vestibula ingredere, vt septo conclusa patenti
Augustum Domini tollat super æthera nomen.
Nempe fides Domini simul & clementia sæclis
Innumeris florens manet inconcussa per æuum.

PSALMVS CXXII. Hebr. 123.

Ad te leuaui oculos meos.

SANCTE *parens, qui tecta colis fulgentia Cæli,*
Ad te oculos tollo, rectósque ad sidera vultus,
Seruus vt in domini dextram sua lumina torquens
Imperium atque adeo nutus expectat heriles.
Sic nostra in cælum tollentes vota precesque
Poscimus auxilium Domini tam pectore puro
Munifici, vt foueat nos indulgentia Cæli.
Eia agedum miserere animæ non digna ferentis,
Scilicet opprobrium & diræ conuitia linguæ
Nostra inquam opprobrium patitur mens fracta superbi
Diuitis & motos petulanti murmure risus.

PSALMVS CXXIIII. Hebr. 25.

Qui confidunt in Domino.

QVI *pius in Domino confidit, inania vulgi*
Contemnit studia, atque auræ popularis honores,
Acceptúsque Deo per tempora læta manebit
Æternùm florens, sacræ velut alta Sionis
Pondere fulta suo rupes immobilis hæret.
Cernis vt aërij montes felicia cingunt

Mœnia? secretâ populum sic Numinis aurâ
Tutatur Deus, & sanis defendit ab armis.
Impia non iustum scelerati dextra Tyranni
Seruitio premet insultans, non rebus in arctis
Deseret afflictam per cæca pericula gentem,
Nec bonus oppressæ confusus imagine vitæ
Desperans, fractam conuertet ad impia mentem.
Ergo ades, ô iustisque fauens Pater annue votis,
Quique fero cæcas meditatur pectore fraudes,
Sectetur miser ignauam per deuia plebem,
At Solymæ longùm tranquillâ in pace quiescant.

PSALMVS CXXVI. Hebr. 127.

Nisi Dominus ædificauerit domum.

NI cæli terræque potens Deus exstruat vrbem,
Frustra operam certè insumet qui condere tentat:
Ni Dominus curâ vigili custodiat vrbem,
Frustrà operam certè insumet qui mœnia seruat.
Sic mea rerum opifex summus nisi cœpta secundet,
Numine felici, namque exitus acta sequetur.
Ergo ades, ô facilisque meos placidusque labores
Implicitoque iuua tot nostra negotia nexu:
Nam frustra primum Phœbi consurgit ad ortum,
Et redit occidui sub prima crepuscula Solis,
Ni Deus adfuerit, tenues labor ibit in auras.
At contra electis grati iucunda saporis
Munia supremi dabit indulgentia cæli;
Illa domum dulci fœcundat prole beatam;
Hæc digna hæredis merces, hoc munere gentem
Dilectam sibi conciliat pater atque hominum Rex.
Qualis arundo ruit dextrâ vibrata potenti,
Talis progenies audaci mascula nisu
Assurgit, se precipuè flat numinis aura.

Fœlix

Fœlix, ô nimium fœlix, qui fortè pharetram
Tot Varijs grauidam potuit complere sagittis.
Non ille innumerâ populi spectante coronâ
Impia Vesanæ metuet conuitia linguæ.

PSALMVS CXXX. Hebr. 31.
Domine non est exaltatum.

NON oculos, non alta tuli super astra superbo
Pectora, Vel fastu Vel inani turgida Vento.
Nil quoque sum Vires superans aggressus & ausus.
Quod si non humidi colui tua Numina mente;
Si non seruaui taciturna silentia jussus,
Vt puer à lactis succo depulsus amicæ
Matris opem implorans sacri me limine Vultus
Priuet in æternum Deus Omnipotentis Olympi.
Ergo agedum Israël nunc & Venientibus annis
Spem licet in Domino totum qui temperat orbem.

PSALMVS CXXXIV.

VOS quibus est sancti custodia credita templi,
Perpetuo Dominum super æthera tollite cantu,
Celsáque tendentes geminas ad sidera palmas,
Illius augustas celebrate in sæcula laudes.
Sic Deus, æterno qui condidit omnia nutu
Et cœlum & terras, demittat ab arce Sionis
In populum manifesta sui documenta fauoris.

PSALMVS CXLI. Hebr. 142.
Voce mea.

AD Dominum effudi tremulo de pectore questus,
Et miser ante sui placidissima lumina vultus,
Vota mea & duræ languentia tædia vitæ
Explicui oppressus varijs hinc inde procellis.
Nosti equidem insidijs laqueisque minacibus omnes
Clausas esse vias, oculos quocunque per orbem
Effero, nullus adest qui saltem agnoscat amicus.
Non pater hinc atque hinc tutâ mihi sede receptus:
Nullus adest qui vitæ habeat curamque salutis.
Hinc ego, summe Deus, petij tua numina supplex,
Tu mea spes inquam, mea sors illæsa per orbem.
Ergo agedum oppressi lachrymis rebusque caducis
Suscipe clamorem atque hostili surripe dextræ,
Quæ miserum fera me pungit longéque minores
Ingenti superat nostras molimine vires.
Tu quoque solue animam mortali è corpore præsens
Cinctus vt augustâ Iustorum adstante coronâ,
Assiduo celebrem alme Deus, tua numina cultu,
Qui me propitio diuinæ robore dextræ
Extuleris miserum sinuosis æquoris vndis.

PSALMVS CXLVIII.
Laudate Dominus de cœlis.

ERGO agedum cœli pulcherrima corpora vestras
Quæ nitidum colitis positas super æthera sedes,
Supremum Domini celebrate in sæcula numen.
Vos turbæ Angelicæ, vos castra micantia signis,
Sol pater æthereo qui splendidus orbe refulges,
Luna micans cœlo radijs argentea puris,
Supremæ sphæræ stantes & in æthere lymphæ
Supremum Domini celebrate in sæcula nomen.
Omnia quinetiam Verbo quæcunque creauit
Finibus & certis & fixo limite clausit,
Quem non ferre gradus nobis concesserit vltra.
Præterea vasti terrestria corpora mundi,
Vos etiam furui loca plena timoris abyssi,
Ignes fulminei, grando, nix ipsa, vaporque,
Fluminaque, & celeres rapido cum turbine venti,
Omnia qui fidi illius mandata ministri
Perficitis, studio vnanimes curáque fideli.
Vos etiam excelsi prærupto vertice montes,
Et vos decliui pendentes tramite colles,
Arborei fœtus, altique cacumine Cedri,
Syluestrésque feræ, atque armenta domestica quæque
Degitis immensos animantia cuncta per agros,
Et leuibus superas pennis quæ finditis auras;
Regesque & populi, proceresques & Iudicis æqui
Officium implentes, iuuenes, passimque puellæ,
Annosíque senes, depulsi & ab vbere matris
Vos nomen cantate Dei, mirabile cuius
Gloria longinqui superat confinia mundi,
Et superos orbes atque alti sydera cœli;

Cornua quique ſuo populo vireſque ſuperbas
Addidit hinc charis Deus Iſraëlis ab ore
Venturum meritò celebrari dignus in æuum
Læta ſibi iuſtos vt gratia reddat honores.

ABELII SAMMARTHANI

SCÆVOLÆ FIL.

SACRA POEMATA.

AD RENATVM SAMMARTHANVM MERITISSIMVM ECCLESIÆ PICTAVIENSIS MAGNVM Archidiaconum deinde Subdecanum.

TIBI, gloria, laúsque vera Cleri,
Quo nil sanctius, eminentiusue
Tibi, maxime vir, meúmque porrò
Alterum decus à meo parente,
Quo nil cultius, elegatiusue,
Hæc magni in te animi pusilla mitto
Nostri pignora pauculas Camœnas
Nec cultas satis & parùm venustas.
Sed quanquam illepidæ, parúmque cultæ,
Si lepore suo, elegantiáue,
Vel nitore suo minus placebunt,
Certe materiâ, pióque cultu,
Et candore suo tibi placebunt.

SAMSO EX GALLICO POEMATE Sc. SAMMARTHANI V. CL.

AD RENATVM SAMMARTHANVM MERITISSIMVM PICTAVIENSIS Ecclesiæ magnum Archidiaconum, deinde Subdecanum.

HÆc tibi, quæ patrio quondam sermone canebat
Ille meus genitor frater tuus, optime mitto
Patrue, dona tuis bene conuenientia Musis,
Tu modò sume lubens, nec nostræ inculta Camœnæ
Carmina, sed culti Genium admirère parentis.

Victor vt innumeræ Samso trepidantia gentis
Agmina fatali Maxillæ robore fudit;
Illicet humanâ delusus imagine mentem,
Hoc sibi, non Domino, cui rerum summa potestas,
Retulit, & proprias vires super æthera vexit.
Æquore tum medio, quod adhuc à cæde madebat,
Corpora cæsorum lustrantem, & multa stupentem
Inuadit sitis, & præcordia ad intima sæuit:
Gliscit amor laticis paulatim, & cæca libido
Vertitur in rabiem, quæ conspicit omnia, flumen
Esse putat, læsis hæc sensibus hæret imago:
Nec tamen est toto liquor vllus in æquore, præter
Purpureo latè stagnantem sanguine terram.
Quid faciat miser? æstiferum sitis ignea guttur
Incendit, nec adest tanto spes vlla dolori,
Vnde mali horrendo victus discrimine sese
Increpat, & duplices tendens ad sydera palmas
Ipse suos fastus damnat, mentémque superbam
Conscius; at flecti facilis pater ille Deorum

Placatur, sortémque viri miseratus iniquam,
Maxillâ herois lassos quæ fortè iacebat
Ante pedes, dentem euellit, purissimus vnde
Protinus humor aquæ exilijt, qui murmure blando
Decurrens, latè bibulam compleuit arenam:
Ille sitim exortâ lætus compescuit vndâ.

IN CHRISTI NATALEM.

DVM genus humanum medijs è faucibus Orci
Eruere & lapso vellet succurrere mundo
Rerum opifex, superis Natum demisit ab astris
In terras, nostri qui debita prima parentis
Solueret, & patrij reseraret limina Cœli.
Aurea non illum vario velamina textu,
Non nitidis cunæ gemmis, ostroue micantes
Nascentem excipiunt, tenuis cælestia pannus
Membra tegit, stipulæque leues cunabula præbent.
Ac licet acris hyems horrentibus vndique nimbis,
Assiduisque rigens Aquilonibus algeat æther,
Non iacet ante focum ardentem, sed amica tepenti
Bruta fouent animâ pendenti cernua vultu.
Denique non varijs constructa palatia pompis
Dant Regi hospitium, sed cautibus horrida duris
Fatidicam præbent Domino præsepia sedem,
Quam supero tamen Angelicæ modulamine voces
Concelebrant, gratóque vehunt super æthera cantu.
Pastores ouium tanti miracula facti
Conspiciunt, lætúmque itidem Pæana canentes
Iosephi Dominum impositum felicibus vlnis,
Vel gremio hærentem venerandæ matris adorant.
Tres etiam rosei longis Orientis ab oris
Conueniunt Reges præeuntia signa secuti:
Aurum, Thus, Myrrham Regique, hominique, Deoq;
Mystica dona ferunt humiles, puerúmque salutant,

Qui prius intactâ latuit Deus abditus aluo.
Te quoque, dum humanos indutum corporis artus
Concelebro, sanctâque tuum cum Virgine partum;
Huc ades & propius facilis res aspice fessas,
Nostrorum miserans incommoda longa laborum;
O Deus, ô miseri Pater & spes vnica mundi.

IN CHRISTI PASSIONEM.

TEMPORA *supremæ redeunt lugubria pompæ,*
Hac luce æterno soboles æquæua parenti
CHRISTVS *post varios rerum vitæq; labores,*
Passa venenatæ post tot conuitia linguæ,
Et manuum atque pedum sæuissima vulnera, diro
Post latus infixum ferro, capitique coronam
Cælesti è spinis textam, post turpia probra,
Et sputa & plagis liuentia membra cruentis,
Latrones inter sæuâ cruce pondulus hæsit,
Humanæque Deus sensit ludibria mortis.
Planxerunt elementa tuam, Pater optime, sortem.
Sol caput obscurâ tectum ferrugine cinxit,
Ordine mota suo tremuit perterrita Tellus,
Nubila pallenti manserunt sydera Cælo.
Hoc erat in fatis, vt crimina nostra cruento
Sanguine dilueres, vt funere victor Auernum
Dirueres, cælique piȷs certæque salutis
Molle dares iter ætherias miseratus ad arces.
Interea, Pater Omnipotens, tua Passio virtus
Sit mea, quâ vita totum defendar in æuum:
Vulnera sint alimenta quibus mens nostra beatis
Fructibus æternum vitæ pascatur in æuum:
Sanguinis effusi largissima copia nostras
Abluat ingentes vndanti flumine sordes.
Mors tua perpetuos sit gloria nostra per annos.

IN

IN CHRISTI RESVRRECTIONEM.

CANDIDA lux salue, Dominumque tertia nostrum
Obscuri tumuli tenebrosa in sede iacentem
Æthereas olim vidisti in luminis auras
Surgentem, atque animas inamœna è valle trahentem,
Reddentemque noua nobis primordia vitæ.
Fulgida lux tenebris totum dum Lucifer Orbem
Exuit & cælo iubar immortale resurgit
Splendidior, radijs & luce nitentior omni
Tristia sollicitæ per tot commercia vitæ
Supremo reditum nobis bona pandis Olympo.
At tibi, Diua parens, nostræ spes vna salutis,
Quæ pia diuinam pertentant gaudia mentem,
Dum visus tibi Natus adest, dum lumine multo
Aurea fulserunt dilecti sidera vultûs
Dulcia cælesti dum melle manantia multo
Verba facit, placidisque implens sermonibus aures
Æternæ referat mysteria maxima vitæ.
Impia turba cauo frustra cohibere sepulchro
Niteris augustum rerumque hominumque parentem;
Quem non terra capit, non cælum, pontus & æther
Hunc vinxisse putas stygij caua basta sepulchri,
Quem non Tartarei cohibent fera vincula Ditis?
Falleris, humanæ spernens conuitia gentis
Solemnes agitat superatâ morte triumphos.

IN DIE PENTECOSTES.

HVC ades, ô requies humanis vnica rebus,
Dum redeunt veneranda tui solemnia cultûs,
Nostráque cælesti collustra pectora flatu.
Quique poli, pater omnipotens, è culmine lapsus,

Sanctus Apostolicas diuino flumine mentes
Lustrasti & Cœlo demissi fulguris instar
Per superas auras, per nubila cocca ruentis
Illabens strepitu ingenti, sanctissima Patrum
Pectora multiplicis docuisti idiomata linguæ,
Aethercam inspirans diuini numinis auram,
Pectore vt intrepido cœlestia dicta Parentis
Sanctáque diuersas vulgarent facta per oras:
Huc ades, & præsens te mentibus insere nostris,
Compone inuisos animíque & corporis æstus,
Illæsum infundens castæ pietatis amorem.
Fac vt nostra tuis renouentur pectora flammis;
Vtque animis iuncti & votis concordibus, vnâ
Te Pater æthereo tollamus ad æthera cantu.
Et cum frigida mors anima seduxerit artus,
Luminis æterni optatum spiremus honorem.

PRECES.

Ei mihi secreto populum ardore medullas
Me miserum sæui pungit vis effera morbi!
Quem finem imponis grauibus, Pater optime, curis?
Post longas hyemes & iniqui sydera Cæli
Ver subit, & liquido resolutus æthere nimbis
Instaurat nitidæ varios telluris honores:
Sic tu post lacrymas & longi tædia morbi
Huc ades, ô Deus, & tanti miserere doloris,
Et priscas reuoca iuuenili in corpore vires.
Tu quoque post scelera & veteris contagia noxæ
Sollicito castam renoua sub pectore mentem,
Rerum summe parens, vt ab omni labe resurgam
Purior, admissæ reparans dispendia culpæ.
Sic aurum ardenti longùm fornace recoctum
Lucidius nitet, & positâ rubigine fulgens
Candida purgata iaculatur lumina flamma.

VA1 1552252